[redacted]



DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

VOLUMEN VI (APPENDIX I)

CUM SUO INDICE GENERALI

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

EIUSQUE AUCTORITATE PROMULGATA

SUB AUSPICIIS SS. DOMINI NOSTRI

PII PAPAE X

Volumen VI (Appendix I)

AB ANNO 1900 NUM. 4052 AD ANNUM 1911 NUM. 4284

CUM SUO INDICE GENERALI



ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MDCCCCXII

URBIS ET ORBIS

Decreta, quae in hoc Volumine sexto (Appendice I) Collectionis Decretorum Sacrae Rituum Congregationis continentur, prouti in eodem Volumine apponuntur et in Indice explicantur, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Apostolica Sua auctoritate approbavit, atque authentica declaravit. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 24 Aprilis an. 1912.

Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

INDEX

DIOECESIUM ET DECRETORUM

A

B

C

D

E

DECRETA AUTHENTICA
CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM
EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

4052. NOVARIEN.

R̃mus Dominus Eduardus Pulciano Episcopus Novariensis S. Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

In pastorali Visitatione Episcopus Novariensis compertum habuit, in pluribus parochiis extare consuetudinem, solemnia nempe defunctorum suffragia adsignandi Dominicis aliisque diebus Festis, eaque peragendi, constituto tumulo in medio Ecclesiae ante Missam parochialem, quae canitur de Dominica vel de Festo occurrente. Mordicus adhaeret populus huic consuetudini, ea praesertim de causa, quia fideles et praecipue cantores diebus ferialibus haberi nequeunt.

Porro consuetudo auferri nequit, quin perturbationes oriantur, Officia pro defunctis praetermittantur et gravia proinde damna parochiis obveniant. Haec consuetudo adeo inveterata est, ut quamvis Em̃us Card. Archiep. Morozzo Episcopus Novariensis in Synodalibus Constitutionibus an. 1826 gravibus verbis eam eliminandam decreverit, idemque obtinere conatus sit Episcopus Orator, adhuc perseveret.

Hinc quaeritur: an dicta consuetudo inveterata permitti vel saltem tolerari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Officium defunctorum in casu permitti posse, nisi agatur de Dominica et Festis maioris solemnitatis: circa tumulum vero obstare Decretum Montis Regalis n. 3201, diei 20 Martii 1869, ad VIII. Hinc paulatim et prudenter eliminandus est abusus.

Atque ita rescripsit, die 16 Febr. 1900.

4053. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI.

Hodiernus redactor Calendarii seu Directorii pro divino Officio persolvendo in Provincia S. Gregorii Magni in Hispania, Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes S. V. humiliter provolutus, quae sequuntur dubia solvenda reverenter exposuit:

Pius Papa IX, fel. rec., Decreto *Ab expositis,* die 29 Aprilis 1858 edito, omnibus Religiosis Minoriticae familiae praecepit omnino conformari Calendario generali perpetuo typis mandato anno 1857, omissis aliis Dioecesis Officiis, praeter illa Patroni principalis loci, Titularis ac Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, celebranda ritu a Rubricis Decretisque pro Regularibus praescripto, nec non alia particularia Officia a S. Sede praeceptive concessa ecclesiasticis utriusque Cleri. Item, iuxta auctores de liturgia tractantes, et Decretum S. R. Congregationis diei 28 Aprilis 1866, *Patavina,* IV, Regulares recitare tenentur de omnibus dioecesanis Festis, quae annexam habent obligationem audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus.

Porro Fratres Minores Provinciae S. Gregorii Magni in Hispania iamdudum Officium recitant Patroni principalis loci, cuius dies non est festivus pro populo, ritu duplici primae classis absque octava; verum, ex sententia eorumdem scriptorum et ex Decretis S. R. Congregationis, uti in Calaguritana n. 1095, die 28 Septembris 1658, Officium Patroni Dioecesis recitari non licet illis in locis, Patronum canonice electum habentibus; quaeritur:

I. An praedicti Fratres Minores teneantur Officium recitare Patroni Dioeceseos, cuius dies est de praecepto festivus in tota Dioecesi, ritu pro Regularibus praescripto duplici primae classis sine octava; vel id praetermittere debeant, eo quod non sit expressum in citato Decreto *Ab expositis,* et quia sicut dictum est, iam recitant Officium Patroni principalis loci?

Insuper Religiosi suprascriptae Provinciae consuetudinem habent, ab immemorabili tempore, non recitandi Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis; quaeritur:

II. An eiusmodi consuetudinem conti-

nuare valeant: vel potius debeant Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis recitare, ritu pro Regularibus praescripto, nempe duplici primae classis octava?

Item: Rubricae Missalis et auctores de liturgia pertractantes, pro hora in qua Missa conventualis celebrari debeat praefinienda, non aperte exprimunt, an praedicta Missa sequi debeat immediate post Horam canonicam assignatam ab ipsis Rubricis , vel an separari liceat enuntiatam Missam ab Hora canonica, ita ut inter Missam et Horam breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit; hinc quaeritur:

III. Utrum Missa conventualis debeat celebrari immediate post canonicam Horam a Rubrica et Decretis designatam; vel eas separare liceat, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit? Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur:

IV. Utrum idem sit tenendum de Missa solemni vel cantata, quae Officio diei non est conformis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV. Negative; exceptis tamen Missis quae vel per Rubricas praecipiuntur, vel ad Commemorationes in Officio diei factas referantur, quae immediate post respectivam Horam celebrentur.

Atque ita rescripsit, die 9 Aprilis 1900.

4054. TIRASONEN.

Hodiernus Magister caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Tirasonensis nonnullos in eadem Ecclesia animadvertens inductos mores, Rubricis et S. R. C. Decretis minus conformes atque etiam contrarios, cupiensque scire quinam ex iis permitti possint, quinam sint eliminandi insequentia dubia, annuente Rmo D. Episcopo dioecesano, eidem S. R. C. resolvenda humiliter proposuit; nimirum:

I. In omnibus Missis solemnibus Corporale non explicatur a Diacono tempore praescripto in Ritu servando in celebratione Missae (Tit. VI, 7), sed a sacrista antequam Missa inchoëtur: an haec praxis possit sustineri?

II. An possit servari consuetudo celebrandi Missas solemnes Feriarum Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, de Requie, aliasque per annum, sine ceroferariis, sine thurificatione, duobusque tantum cereis accensis in Altari?

III. Estne tolerandum quod Subdiaconus in praedictis Missis maneat cum Celebrante, et non incedat cum Diacono eique assistat in pulpito ubi est canendum Evangelium?

IV. Ex praesumpto privilegio, Canonicus celebrans, lecto Graduali seu Tractu, vadit ad scamnum, ubi sedens et coopertus imponit incensum, dat benedictionem Diacono Evangelium cantaturo, ibique manet quin legat Evangelium usque dum Diaconus incipiat cantus ipsius. Haec omnia possunt retineri?

V. Poterit continuari praxis immemorabilis Cathedralis Ecclesiae Tirasonensis, cuius titularis est B. V. Maria, nominandi ad litteram N. Orationis *A cunctis,* S. Attilanum Patronum civitatis et Ss. Prudentium et Gaudiosum Patronus aeque principales Dioecesis?

VI. An sufficiat ut in quibusdam Missis de Requie, anniversariis *late sumptis* quae in hac Cathedrali cum Diacono et Subdiacono cantantur, Sequentia *Dies irae* legatur tantum a Celebrante; an debeat etiam cantari a Choro?

VII. Utrum, attenta consuetudine, in Vesperis et Laudibus persolvendis Celebrans possit manere in habitu chorali usque ad Capitulum, et tunc tantum assumere pluviale?

VIII. Estne permittendum quod, dum quibusdam diebus canitur vespere Officium defunctorum in Choro, sedeat in scamno presbyterii Celebrans paratus Alba et Pluviali inter Diaconum et Subdiaconum, sacris indumentis, uti ad Missam, etiam paratos?

IX. Cum organum alternatim pulsatur, tam in Officio divino quam in Missa, non est cantor qui, ut statuit Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XXVIII, intelligibili voce pronuntiet quod per organum figuratur cantari; sed unusquisque de Choro in Officio divino, non vero in Missa,

submissa voce dicit quae ad sonitum organi omittuntur. Quid in posterum agendum?

Et S. R. Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, et serventur Rubricae ac Decreta, etiam quando Symbolum locum non habet.

Ad II. Negative.

Ad III. Servetur Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. VIII, n. 45.

Ad IV. Negative, et serventur Rubricae Missalis.

Ad V. Affirmative, ita tamen ut fiat eorum Commemoratio etiam in Officio inter Suffragia Sanctorum.

Ad VI. Negative, ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad VII. Negative, et servetur Caeremoniale Episcoporum.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Stetur Caerem. Episcoporum.

Atque ita rescripsit, die 2 Maii 1900.

4055. PRAGEN.

Rm̃us Dñus Leo de Skrbensky, Archiepiscopus Pragensis Sacrorum Rituum Congregationi quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humillime exposuit; nimirum:

Iuxta Rescriptum S. R. C. d. d. 17 Novembris 1864, provinciae Pragensi indultum est:

« 1. Ut iuxta concessionem factam Regno Poloniae die 22 Augusti 1744, in tota Bohemia retineri possit... consuetudo... qua fit, et per integrum tempus S. Adventus usque ad diem 23 Decembris, in singulis Ecclesiis, ad auroram celebretur cum cantu Missa *Rorate coeli desuper,* quae quidem Missa in Ecclesiis minoribus celebratur absque cantu... Hanc Missam *Rorate* excludunt solummodo Festa I cl., si alicubi occurrant.

« 2. Ut in Oratione *A cunctis,* quando dicenda est, nominari valeant Ss. Adalbertus E. M. et Vitus M. Patroni Regni, quorum Festa gaudent ritu dupl. I cl. cum Octava, quamvis in foro nullam inducant obligationem.

« 3. Ut coli, prout antea, valeant tamquam Patroni Regni Ss. Procopius Ab., Cyrillus et Methodius Epp. CC. atque Ludmilla M., in quorum solemnitate suppressa est Octava, non alia ex causa, quia numerus Octavarum nimium excreverat. Hinc in Festo eorumdem Sanctorum Missae addendum est Symbolum, et omnes nominandi sunt in oratione *A cunctis...* ».

Quibus praemissis idem Rm̃us Archiepiscopus expostulavit:

I. An die VII Decembris liceat sumere, loco votivae *Rorate,* Missam Vigiliae Immaculatae Conceptionis saltem in minoribus Ecclesiis?

II. Quum in Bohemia Patroni Regni aeque principales sint Ss. Cyrillus, Methodius, Vitus, Wenceslaus, Adalbertus, Ioannes Nep., Procopius atque Ludmilla, quo ordine nominandi sunt in Oratione Officii votivi SS. Patronorum Bohemiae?

III. Utrum praedicti Sancti Patroni, in Ecclesiis, quae Sanctum Patronum vel Titularem habent, in Oratione *A cunctis,* exprimi omnes valeant aut debeant? Et quatenus affirmative ad alterutram partem dubii, petiit:

IV. Utrum recta sit intercalatio in Oratione *A cunctis:* « ... beatis App. tuis Petro et Paulo, atque beatis Cyrillo, Methodio, Vito, Wenceslao, Adalberto, Ioanne, Procopio, Ludmilla, atque beato N. et omnibus Sanctis? ».

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis respondendum censuit:

Ad I. Non solum licet, sed etiam debet.

Ad II. Servetur ordo Litaniarum.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV. Provisum in responsione ad secundum, et nomen Sancti Patroni vel Titularis Ecclesiae ponatur post nomina Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Atque ita rescripsit, die 2 Maii 1900.

4056. DUBIA.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

I. Utrum Sacerdotes regulares, qui utuntur parvo caputio et pileo, possint uti bireto, dum procedunt ad Altare celebraturi, et in reditu ad sacristiam, praesertim si regula et consuetudo non obstent?

II. Utrum Episcopo celebranti lotio manuum, a Caeremoniali Episcoporum, lib. I, cap. XI, n. 11, et cap. XXIX, n. 10 prae-

scripta ante et intra Missam, facienda sit etiam post Missam?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 15 Maii 1900.

4057. URGELLEN.

Hodiernus Magister caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis et eiusdem Dioecesis Calendarii redactor, de sui Emi ac Rmi Dni Cardinalis Episcopi consensu, insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi solvenda demisissime proposuit; nimirum:

I. Iuxta Decretum in Utinen. n. **4005**, d. d. 13 Ianuarii 1889, ad I et II, aqua baptismalis, Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes benedicenda est in Ecclesiis parochialibus et etiam in filialibus, quae sacrum fontem legitime habent; et haec benedictio fieri debet integra in singulis Ecclesiis. Hinc quaeritur: Quomodo se gerere debeat Parochus, qui, deficiente Clero, duas regit Paroecias, vel filialem habet cum fonte baptismali de iure et nullum invenit Sacerdotem cui praefatam benedictionem committat?

II. Thurificatio SSmi Sacramenti publice expositi, et Canonicorum, perficienda est duplici ictu in quolibet ductu, iuxta Decreta S. Marci n. **3110**, d. d. 22 Martii 1869 ad XX, et Minoricen. n. **4048**, d. d. 24 Novembris 1899, ad IX. Quaeritur ergo: 1.° Utrum idem observandum sit in thurificatione Crucis Altaris, sacrarum Imaginum, libri Evangeliorum ante cantum Evangelii in Missa solemni, Episcopi, Celebrantis, Ministrorum, Beneficiatorum, aliorumque de Choro et Altari, iis exceptis qui non sigillatim incensantur? 2.° Perficine debent duplici ictu ductus in thurificatione Altaris, et in solemni benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum?

III. An *Exultet* in solemni functione Sabbati Sancti canendum sit versus aquilonem, prout fit ad cantum Evangelii; an vero cantari debet versus Celebrantem?

IV. E Collectione authentica Decretorum S. R. C. expunctum est Decretum in Santanderien. d. d. 26 Ianuarii 1793, in quo disponebatur, ad XVII, Festum S. Laurentii martyris concurrens cum Ss. Iusti et Pastoris Mm. Festo, dupl. II classis in Hispania, integras habere debere Vesperas cum Commemoratione praedictorum Martyrum. Unde quaeritur: utrum ita observandum sit, an Vesperas in casu sint dimidiendae?

V. An Diaconus et Subdiaconus teneantur se Celebranti conformare quotiescumque hic se signat vel inclinat, dum aliquid cantat vel clara voce profert, aut submissa in Missa solemni iuxta Rubricam, quod, inquam, non ad *Secreta* pertinet; nempe ad Confessionem, ad Introitum, ad *Gloria* et *Credo*, ad Epistolam et Graduale, ad Evangelium, ad *Sanctus* et *Benedictus*, excepto quando Celebrans recitat *Confiteor Deo*, et etiam excepto Subdiacono patenam sustinente ad *Benedictus?*

VI. An Celebrans Missam solemnem in Dominica Palmarum, dum legit verba: *In nomine Iesu omne genuflectatur* etc., et post *Emisit Spiritum* (ac ad similia in aliis Missis), debeat genuflectere; an vero prosequi debeat, quin genuflectat, donec praedicta verba a Subdiacono vel Diacono cantentur?

VII. Utrum in Ecclesiis, in quibus habetur alternativa Chori respectu Canonicorum, servari possit in aspersione aquae benedictae, thurificatione et pacis osculo, in Missa, norma quam tradunt Decreta in Molinen. n. **3059**, d. d. 12 Septembris 1857, ad XXV, et S. Iacobi de Chile n. **3216**, d. d. 20 Augusti 1870; vel potius servandum Decretum in Ferentina n. **973**, d. d. 14 Novembris 1654?

VIII. An quoties Episcopus Missam pontificalem est celebraturus, Dignitates et Canonici teneantur, dicta *Prima* in Choro (vel *Sexta*, Feria V *in Coena Domini* et Feria VI *in Parasceve*) accedere ad aulam Episcopi, et illum associare ad Ecclesiam Cathedralem?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Posita vera necessitate deficientiae Sacerdotis, super quo conscientia Parochi onerata maneat, idem Parochus de benedicta aqua ex principali Paroecia asportet in aliam.

Ad II. Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Ad III. Affirmative ad primam quaestionem, nisi cantetur in ambone, et ad secundam quaestionem provisum in praecedenti.

Ad IV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, quia Festum S. Laurentii de solemnioribus est inter duplicia secundae classis in Ecclesia universali.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Negative ad primam partem, affirmative ad alteram.

Ad VII. Affirmative ad alterutram partem, prouti fert consuetudo Ecclesiarum.

Ad VIII. Affirmative, iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta.

Atque ita rescripsit, die 29 1900.

4058. S. IACOBI DE VENEZUELA.

Hodiernus Archiepiscopus S. Iacobi de Venezuela sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi exposuit; nimirum:

I. An in quotidiana expositione SS. Sacramenti post Orationem *Deus, qui nobis* addi possit Oratio pro defuncto vel defunctis, in quorum levamen Sacrum peractum sit vel preces recitatae?

II. An in eodem sacello expositionis quotidianae SS. Eucharistiae, quod duabus constat cappellis ex adverso positis cum transitu per medium, possint celebrari Missae de Requie in Altari ubi non extat expositio?

Et Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: Negative ad utrumque.

Atque ita rescripsit, die 13 Iunii 1900.

4059. LAUDEN. SEU CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM SANCTI PAULI BARNABITARUM.

De consensu Rmi Procuratoris Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime exposita sunt, nimirum:

I. An in locis, ubi in Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ex Apostolico Indulto, fit Commemoratio omnium Apostolorum in primis et secundis Vesperis ac in Laudibus, et etiam in Missa, huiusmodi Commemoratio facienda sit in praedictis secundis Vesperis, quando die sequenti celebrabatur Festum Commemorationis S. Pauli Apostoli, ut in Ecclesia propria, sub ritu duplici primae classis?

II. An perdurante expositione Sanctissimi Sacramenti in Altari maiori, possint in aliis Altaribus exponi Reliquiae Sanctorum, quorum ea die Festum recurrit?

III. Quando in aliqua Ecclesia agitur de Sancto, die non propria nec assignata, et de eo, ob speciale privilegium a S. Sede obtentum, canitur et legitur Missa, ut in die Festo, fieri ne debet Commemoratio Officii currentis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative, post Commemorationem S. Petri et ante alias Commemorationes.

Ad II. Affirmative, omissis tamen benedictione et osculo reliquiae, quamdiu SSmum Sacramentum manet expositum.

Ad III. Commemoratio Officii currentis omittatur in Missa votiva solemni, si altera Missa saltem lecta de eodem Officio currenti celebretur, vel quoties idem Officium in alia Missa Commemorationis assequatur; fiat semper in Missis votivis lectis.

Atque ita rescripsit, die 17 Iunii 1900.

4060. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI.

Hodiernus redactor Calendarii ad usum Fratrum Ordinis Minorum, ad Franciscalem Terrae Sanctae Custodiam pertinentium, annuente ipsius Terrae Sanctae Custode, sequentia dubia pro opportuna declaratione, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit; nimirum:

I. Utrum Hierosolymis et proximioribus locis, ubi Basilica Cathedralis Sancti Sepulcri, minime consecrata, Officium dumtaxat Titularis apud utrumque Clerum obtinet, recoli debeat sub ritu Regularibus competente, seu duplici primae classis absque Octava, Festum SS. Nominis Iesu, in cuius honorem Ecclesia Concathedralis Hierosolymitana manet erecta, et cuius Dedicatio singulis annis celebratur ab iisdem Regularibus sub ritu duplici secundae classis?

II. Utrum in tota Aegypti regione Festum Sancti Marci Evangelistae, qui ex Decretis S. R. C. 16 Martii 1729 et 11 Octobris 1743 recolitur uti totius Aegypti Patronus, sub ritu duplici primae classis cum Octava, adhuc a Minoritis ibi degentibus, hodie taliter agendum sit, etiamsi utriusque Decreti observantia, luctuosis temporum adiunctis aliisque de causis, iamdiu fuerit intermissa?

Et Sacra eadem Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, propositis dubiis rite expensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta alias decreta.

Ad II. Celebretur sub ritu duplici primae classis, addita etiam Octava, ob peculiaria adiuncta.

Atque ita rescripsit, die 19 Iunii 1900.

4061. S. SEVERINI.

Rm̃us Canonicus Theologus Cathedralis Ecclesiae S. Severini, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

Prima Dignitas Capituli praefatae Ecclesiae Cathedralis, quae titulo Archidiaconi decoratur, diebus solemnioribus, Episcopo impedito vel absente, functiones quae ad hunc pertinent peragit et Missas Conventuales decantat ad normam Caeremonialis Episcoporum; attamen id facere hucusque recusavit die 19 Martii in Festo S. Ioseph Deiparae Virginis Sponsi, ea praesertim de causa quia idem Capitulum anno 1874 facultatem obtinuit in Ecclesiam S. Augustini ipsius Civitatis se transferendi, cum iisdem tantum conditionibus et oneribus quae in primaeva Ecclesia Cathedrali erant observanda. Hinc idem Rm̃us Orator, nomine etiam ceterorum Canonicorum, de consensu sui Rm̃i Episcopi, sequentis dubii solutionem efflagitavit:

An enunciata Dignitas, in casu, absente vel impedito Episcopo, ad functiones et ad Missas supradictas teneatur etiam in Festo primario S. Ioseph?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Affirmative, et servetur Caerimoniale Episcoporum necnon Decreta, n. 3595, diei 19 Septem. 1883 et n. 3865, diei 9 Iulii 1895.

Atque ita rescripsit, die 17 Iulii 1900.

4062. FANEN.

Parochus S. Thomae Apostoli et Caeremoniarum Magister Cathedralis Fanen., Reverendissimi etiam sui Fanensis Episcopi nomine et voto, Sacrae Rituum Congregationi sequentia pro opportuna declaratione humillime exposuit:

I. An liceat publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum, quum non sit consuetudo, in forma Quadraginta horarum pro una tantum die in suffragium alicuius defuncti loco Officiorum de Requie?

II. In die Festo Corporis Christi Episcopus celebrat Missam lectam ante solemnem Processionem. Impedito Episcopo, potest Canonicus senior celebrare Missam lectam, vel tenetur cantare?

III. Utrum Canonicorum Regularium familia, quae regitur auctoritate Abbatis Congregationis, possit in propria Ecclesia erigere et servare continuo Thronum cum baldachino?

Et Sacra eadem Congregatio exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad III. Negative, et serventur Decreta.

Atque ita rescripsit, die 17 Iulii 1900.

4063. DUBIUM.

Circa interpretationem primi articuli Decreti n. 3999, seu Litterarum Sacrorum Rituum Congregationis, diei 5 Aug. 1898, *de usu linguae Slavicae in sacra Liturgia*, sequens dubium, pro opportuna declaratione, Apostolicae Sedi suppliciter propositum fuit; nimirum: e

Utrum privilegium linguae palaeoslavicae extinctum fuerit ob interruptum usum eiusdem linguae, intra postremos triginta annos, in aliis etiam Ecclesiis de quibus certo constat eas antea fuisse in legitima eiusdem linguae possessione?

SSm̃us Dominus noster Leo PP. XIII, attentis expositis, ex consulto eiusdem Sacrae Congregationis, cuius examini hoc negotium commissum fuerat, declarare dignatus est, « praefatis Ecclesiis privilegium extinctum non fuisse, si usus linguae palaeoslavicae intra postremos triginta annos intermissus fuerit non voluntarie,

sed ex necessitate ob externas causas impedientes, velut ex deficientia palaeoslavorum Missalium aut Sacerdotum eiusdem linguae peritorum ».

Atque ita rescribi et declarari mandavit, ceteris praefati Decreti seu Litterarum diei 5 Augusti 1898 praescriptionibus in suo robore permanentibus. Die 14 Augusti 1900.

4064. ROMANA.

DUBII.

Dominica prima Iulii alicubi Festum Deiparae celebratur sub titulo *Refugium peccatorum* cum Officio et Missa de Communi, prima tantum Oratione, quae propria est, excepta. Quod profecto nulla difficultate laborat, cum de parte aestiva agitur. Sed vero accidit aliquando, ut dictum Festum celebrari debeat tempore paschali, et dubium eo in casu oritur super lectionibus III Nocturni in Officio recitandis. Namque Evangelium huiusce Missae de Communi, tempore paschali, est *Stabant iuxta Crucem;* in Breviario autem deest Homilia praefato Evangelio respondens. Hinc quaeritur: Quomodo est agendum in casu eiusmodi Festi recolendi tempore paschali?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia Commissionis Liturgicae ac reliquis mature perpensis, rescribendum censuit: In casu adhibeatur Missa B. M. V. de tempore paschali a Pascha ad Pentecosten, retento Evangelio *Loquente Iesu,* de Missa B. M. V. a Pentecoste ad Adventum: cui Evangelio respondet Homilia III Nocturni Officii proprii B. M. V. sub titulo *Refugium peccatorum.*

Atque ita rescripsit servarique mandavit, die 3 Septembris 1900.

4065. UTINEN.

Hodiernus Calendarista Archidioeceseos Utinen., de consensu sui Rm̃i Ordinarii, a S. Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum:

Quum in Calendario perpetuo ad usum Archidioecesis Utinensis per Decretum diei 15 Maii anni elapsi 1900 approbato, ad ritum simplicem tria Festa redacta sint, nempe: S. Pantaleonis Mart., S. Mennae Mart. et S. Spiridionis Episc. Conf., quaeritur:

I. An in Festis S. Pantaleonis et S. Mennae, recolendis sub ritu simplici, nona lectio de singulis recitanda debeat esse composita ex tribus lectionibus respectivis, quae legebantur in Festis duplicibus eorumdem Sanctorum, vel debeat recitari nona lectio quae de hisce Sanctis extat in Breviario Romano ad respectivos dies 27 Iulii et 11 Novembris?

II. An in Festo S. Spiridionis, commemorando die 14 Decembris sub ritu simplici, legenda sit nona lectio ex tribus lectionibus secundi Nocturni, quae antea in Officio ritus duplicis recitabantur?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 11 Ianuarii 1901.

4066. NULLIUS

MONTIS CASSINI, S. PAULI DE URBE

ET

SSM̃AE TRINITATIS CAVEN.

Rm̃i Abbates Ordinarii Nullius Montis Cassini, S. Pauli de Urbe et SSm̃ae Trinitatis Caven. a Sanctissimo Domino nostro Leone Papa XIII humillime efflagitarunt, ut sibi suisque successoribus confirmare in perpetuum dignaretur ius interveniendi suffragiumque ferendi in Consistoriis semipublicis Beatorum Canonizationis praeviis: eo vel magis quod ipsi auctoritate Ordinaria conficere possunt Processus informativos in Causis Beatificationis et Canonizationis, atque eorum antecessoribus intimatio pro supradictis Consistoriis semel atque iterum facta fuit, ipsique revera interfuerunt et votum dederunt. Placuit vero Eidem Sanctissimo Domino nostro huiusmodi negotium Sacrorum Rituum Congregationi examinandum et discutiendum committere. Quae Summi Pontificis mandato obtemperans, praehabitis una cum informatione suffragiis, etiam praelo impressis, tum alterius ex Iuris Canonici Professoribus, tum Apostolicis Caeremo-

niis Praefecti, tum demum Commissionis Liturgicae, in Ordinario Coetu, subsignata die ad Vaticanum coacto, praefatam quaestionem, a Cardinali Sacrorum eidem Rituum Congregationi Praefecto propositam atque accurato examine discussam atque perpensam, ita resolvendam esse censuit: *Consulendum Sanctissimo pro concessione privilegii singulis petentibus.* Die 5 Februarii 1901.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, privilegium adstanti suffragiumque ferendi in praedictis Consistoriis semipublicis, non solum tribus Abbatibus Oratoribus, sed etiam aliis Abbatibus Nullius singillatim petentibus indulgere dignata est. Die 9 Februarii 1901.

4067. SENOGALLIEN.

Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Senogallien., de consensu Rmi sui Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. Utrum Missa conventualis de feria, canenda diebus 19 et 25 Martii spectet ad eumdem Hebdomadarium cui pertinet ceteris diebus Missam ferialem celebrare?

II. Utrum tolerari possit consuetudo recitandi Sextam et Nonam horam ante quamlibet Missam conventualem?

III. Possuntne psalmi ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a choro, alter vero recitetur sub organo, clara ac distincta voce, ab uno ex Mansionariis?

IV. Utrum, absente vel deficiente sacri concentus schola, quae ex Ecclesiae huius consuetudine relativas Missae partes cantabiles et Vesperarum psalmos, uti quandoque et Matutini, exequi solet, Canonici et Mansionarii teneantur a seipsis supplere saltem in Cantu Gregoriano?

V. Utrum Chorales ad asteriscum psalmorum pausam facere teneantur?

VI. Utrum organa pulsari queant Feria V in Coena Domini per totum hymnum Angelicum, et Sabbato Sancto ab eiusdem hymni initio et deinceps?

VII. Num Mansionariis legitime impeditis liceat pro Missa conventuali sibi substituere Sacerdotem, qui non sit de gremio Ecclesiae Cathedralis?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Serventur Rubricae.

Ad III. Affirmative: dummodo et organa non sileant, et insufficiens habeatur choralium numerus.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative, et servetur Decretum n. 3122 S. Iacobi de Chile, diei 9 Iulii 1864.

Ad VI. Affirmative, iuxta Decretum n. 3515 Viglevanen., diei 11 Iunii 1880 ad IV, et Rubricas.

Ad VII. Negative.

Atque ita rescripsit, die 4 Martii 1901.

4068. ATREBATEN.

Extensor Calendarii Dioeceseos Atrebaten., de licentia Rmi sui Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii humillime resolutionem expostulavit, nimirum:

Quomodo ordinandae sint Vesperae Festi Sanctae Familiae Nazarenae, quod, ex Apostolica concessione, transfertur ad feriam V post Cineres, et ita concurrit cum primis Vesperis SSmae Coronae Spineae, cuius Officium apponitur insequenti die?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit: Dividantur Vesperae iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit, die 4 Martii 1901.

4069. VICEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Dioecesis Vicensis in Hispania, rogatus a Cappellano maiore cuiusdam societatis navigationis, de consensu Revmi sui Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum:

I. Utrum Episcopi possint Sacerdotibus suae Dioecesis facultatem concedere, ut navigantes Missam in Altari in navi erecto celebrare valeant?

II. Utrum hanc ipsam facultatem tribuere possint omnibus Sacerdotibus Episcopi, in quorum Dioecesi adsint portus maris?

III. Utrum Missionarii apostolici, vi huius tituli, valeant in navi celebrare, absque licentia Sedis Apostolicae?

IV. Utrum Sacerdotes, qui privilegio fruuntur celebrandi ubique, valeant, vi huius prvilegii in navi celebrare, absque speciali Indulto Apostolico?

V. Utrum Cappellae navium aut Altaria in ipsis navibus erecta pro Sacro litando debeant considerari ut Oratoria privata vel publica.

VI. Utrum in praedictis Altaribus valeant celebrari Missae de Requie concessae per Decretum n. 3903 *Aucto,* diei 8 Iunii 1896 ad II, et n. 3944 *Romana,* diei 12 Ianuarii 1897?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I, II, III et IV. Negative.

Ad V. Si Cappella locum fixum habeat in navi, uti publica habenda est: secus neque publica est, neque privata, sed habetur uti Altare portatile.

Ad VI. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 4 Martii 1901.

4070. DECRETUM.

A quibusdam Calendariorum redactoribus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione, reverenter proposita fuerunt, nimirum:

I. Utrum circa Orationes pro Ecclesia et pro Papa id retinendum sit ut, si alterutra vi Rubricae, altera ex praecepto Ordinarii praescribatur, utraque in Missa dici debeat?

II. Num *Pater, Ave* et *Credo* post chorale Officium stantes vel genuflexi recitare debeant Chorales, uti stantes, vel genuflexi recitare teneantur finalem Antiphonam?

III. An dies octava alicuius Festi habentis Octavam, incidens infra Octavam Corporis Christi, ubi haec Octava non est privilegiata ad instar Epiphaniae, sed ita ut quaevis duplicia classica, sive occurrentia sive translata admittat, celebranda sit per integrum Officium, vel per solam Commemorationem?

IV. In Festo Expectationis Partus B. M. V., quod incidit in Feriam IV quatuor temporum, cantandae ne sunt duae Missae in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, videlicet una de Festo et altera de Feria, etsi quamdam identitatem habeant, vel tantum canenda est Missa de Festo?

V. Iuxta Rubricas speciales Breviarii et Missalis Romani, Festum Annuntiationis B. M. V., transferendum quoad Chorum tantum in Feriam II post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, non cedit nisi Festo primario eiusdem ritus occurrenti, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditum transferri debet; quaeritur: In hoc postremo casu, concurrente Festo primario duplici primae classis, celebrato dicta Feria II, cum Festo Annuntiationis B. M. V. recolendo Feria III immediate sequenti, de quo Festo erunt dicendae Vesperae? Et regula quae traditur pro enunciato casu applicandane erit aliis casibus similibus ex. gr. in concurrentia Festi primarii duplicis primae classis cum Festo S. Ioseph, Sponsi B. M. V., translato iuxta Rubricas in sequentem diem 20 Martii, vel in Feriam IV post Dominicam in Albis?

VI. Quando Commemoratio Omnium Sanctorum S. R. E. Summorum Pontificum occurrit Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum, eadem *Postcommunio* habetur pro Missa de Festo et pro dicta Octava: in casu unde sumenda erit *Postcommunio* pro Octava?

VII. Privilegium translationis quo iuxta Rubricas gaudent Festa primaria SS. Ecclesiae Doctorum ritus dupl. min., si impedita fuerint, extendine debet ad eorum Festa secundaria eiusdem ritus.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. Affirmative.

Ad III. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

Ad IV. Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.

Ad V. Quoad utramque quaestionem: Vesperae fiant de Festo digniori cum Commemoratione Festi dignitate inferioris.

Ad VI. In casu *Postcommunio* desumatur ex Missa Vigiliae Omnium Sanctorum.

Ad VII. Negative.

Atque ita rescripsit, die 4 Martii 1901.

4071. ANGELOPOLITANA.

Rm̃us Decanus Cathedralis Ecclesiae Angelopolitanae in Republica Mexicana, nunc

et Vicarius Capitularis, Sede vacante, Sacrae Rituum Congregationi insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum :

I. Invaluit mos in Cathedrali Ecclesia Angelopolitana ut quibusdam diebus in Missa Conventuali ad elevationem SSm̃i Sacramenti sub utraque Specie chorus puerorum canat stropham *O Salutaris Hostia* etc. Quaeritur: Haec consuetudo a pluribus annis invecta potestne continuari?

II. An Caeremoniale Episcoporum observandum sit in Vesperis solemnibus, etiam quum pluvialistae sint ex Canonicis vel Dignitatibus, ideoque teneantur iidem cum Celebrante incedere ad incensationem Altaris, et assistentium officium adimplere?

III. In quibusdam Ecclesiis Dioeceseos Angelopolitanae SSm̃um Eucharistiae Sacramentum asservatur in Altari maiori, dum in aliis solet custodiri in aliquo ex Altaribus et Sacellis minoribus; quaeritur: An utrumque admitti possit?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. Negative, et servetur Decretum Generale n. 3827, diei 22 Maii 1894, ad III.

Ad II. Affirmative, quoad utramque partem, iuxta Decretum n. 3839, Angelopolitana, diei 17 Augusti 1894, ad II et III.

Ad III. Affirmative, dummodo Altare, ubi continuo asservatur SSm̃um Sacramentum, non sit Altare chori.

Atque ita rescripsit, die 26 Aprilis 1901.

4072. MEXICANA.

Rm̃us Dñus Prosper Ioseph Maria Alarcon, Archiepiscopus Mexicanus, sequentium dubiorum a S. Rituum Congregatione solutionem humillime expostulavit, nimirum :

I. Ex Decreto S. Rituum Congregationis n. 3862, Urbis et Orbis, diei 9 Iulii 1895, Sacerdotes confluentes ad Ecclesiam vel ad Oratorium publicum debent Missas celebrare conformes Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii. Quum autem ex peculiaribus Mexicanae Regionis circumstantiis Sanctimoniales loco Ecclesiarum vel Oratoriorum publicorum habeant in suarum domorum interioribus Oratoria in quibus Sacra celebrantur; hinc exortum dubium : Num Monialium Cappellani et alii Sacerdotes in praedictis Oratoriis Missam celebrare teneantur iuxta tenorem Decreti supracitati?

II. Quum Festum Apparitionis S. Iacobi Apost. sub duplici minori ritu in Mexicana Archidioecesi recolatur die 29 Maii, quaeritur : Quid agendum quum haec dies fuerit impedita; seu an debeat reduci ad modum simplicis aut prorsus dimitti?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, quia talia Oratoria non sunt habenda tamquam mere privata.

Ad II. Iuxta Rubricas, Officium de quo agitur non posse transferri, et in casu iam provisum ab eisdem Rubricis.

Atque ita rescripsit, die 16 Maii 1901.

4073. PAMPILONEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Pampilonensis, de sui Rm̃i Dñi Episcopi mandato, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit, nimirum :

In oppido vulgo *Pavicr,* Dioecesis Pampilonensis in Hispania, constructa est Ecclesia in honorem S. Francisci Xaverii, cuius Altare principale minus quam ad medietatem plenum est, et reliqua pars tabulae columnellis marmoreis nititur, quarum bases et partes superiores, seu capitella, sunt aeneae, licet aes non tangat immediate mensam Altaris. Quum vero Ecclesia praedicta propediem consecranda sit, quaeritur :

I. An praedictum Altare consecrari possit? Et quatenus negative ad I :

II. An sufficiat ad consecrationem Ecclesiae peragendum aliud Altare minus in quadam Cappella eiusdem Ecclesiae erectum consecrare, omissa consecratione Altaris principalis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, atque attentis expositis ac praesertim schemate Altaris maioris exhibito, ex quo apparet mensam stipiti lapideo immediate adhaerere, respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, si partes superiores aeneae columnellarum immediate mensam non tangant, et ad ornatum dumtaxat Al-

taris extent, ita ut unctiones a Pontificali Romano praescriptae fiant immediate super mensa et stipite lapideo eam sustentante, Negative, si mensa non sit immediate coniuncta cum stipite lapideo ad normam Pontificalis Romani et Decreti n. 3364, in Cuneen., 7 Augusti 1875, ad II.

Ad II. Provisum in primo, quatenus Altare maius consecrari possit; secus affirmative.

Atque ita rescripsit, die 24 Maii 1901.

4074. ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS AMERICANAE CASSINENSIS.

Hodiernus moderator Calendarii pro Congregatione Americana Cassinensi Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter proposuit; nimirum:

I. In Vesperis festi Expectationis Partus B. Mariae V. (18 Dec.), iuxta Breviarium Monasticum, Responsorium breve notatur « Rorate, coeli ». Quum autem fieri debeat Commemoratio Feriae, quaeritur: Utrum pro hac Commemoratione mutandus sit versus, an idem « Rorate » sit repetendus.

II. Si festum S. Ioseph transferri contigerit ob occursum Dominicae Passionis in Feriam II seq., quomodo ordinandae sunt secundae Vesperae in concursu cum primis Vesperis S. Benedicti Abb. dupl. I classis; et quid agendum in simili concurrentia, si utrumque Festum transfertur post Dominicam in Albis?

III. Quodnam Responsorium dicendum est post Lectionem XII in Festo Ss. Septem Fundatorum vel alterius Festi plurium Confessorum non Pontificum?

IV. In festo Sanctae Elisabeth Reg. Vid. (8 Iulii) notatur versus proprius « Ora pro nobis »; quaeritur, quinam versus adhibendus sit pro Commemoratione B. Mariae V. in Suffragiis?

V. Si alicubi dies octava Patroni aut Dedicationis Ecclesiae in perpetuum impediatur per Festum I vel II classis, quaeritur: Utrum talis dies octava semper reducenda sit ad instar simplicis, an transferendum sit Festum I vel II classis?

VI. Si transferendum sit tale Festum I vel II classis, an idem tenendum de Festis maioribus e. g. Omnium Sanctorum?

VII. Si missa de *Requiem* legatur pro *uno* et *una* defunctis, an liceat mutare Orationem hoc modo: « animabus famuli tui et famulae tuae »?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, quia ex ritu monastico ℟. br. post Capitulum potest inservire tamquam ℣. pro Commemoratione.

Ad II. Vesperae erunt de S. Ioseph cum Commemoratione S. Benedicti in utroque casu.

Ad III. Sumatur de relativo Communi, mutato numero singulari in pluralem, et reticitis nominibus, si plures quam tres vel quatuor fuerint Confessores.

Ad IV. Retineatur versus « Ora pro nobis », prouti in Breviario, pro Festo enunciato; pro Suffragio B. M. V. sumatur ℣. « Dignare me... ».

Ad V. Serventur Rubricae et Decreta.

Ad VI. Provisum in V.

Ad VII. Dicatur « famuli et famulae tuae », quando non exprimuntur nomina; secus dicatur « famulorum tuorum ».

Atque ita rescripsit, die 14 Iunii 1901.

4075. LINCIEN.

R̃mus D̃nus Franciscus Maria Doppelbauer, Episcopus Linciensis Dioecesis, nuper declaravit, se in duabus Ecclesiis, quarum Rector ipse antea fuerat, nova Altaria fixa erexisse, ita tamen ut tabula lapidea stipiti solummodo ex lateribus coctilibus erecto imponeretur, non suppositis, uti praescriptum est, columnis lapideis. Abbas Monasterii, cui dictae Ecclesiae incorporatae sunt, facultate consecrandi Altaria instructus, eadem ritu solemni consecravit.

Quaeritur: An huiusmodi consecratio fuerit valida? Et quatenus negative, quid in casu agendum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, respondendum censuit: Serventur Decreta n. 3364, Cuneen. 7 Augusti 1875, ad II, et n. 3829, Gnesnen. 8 Iunii 1894, ad I, et Sacra Congregatio indulget R̃mo D̃no Episcopo Linciensi, de speciali gratia, ut Altaribus suprascriptis iam conse-

cratis, addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis privatim iterentur, ut mensae cum iisdem stipitibus coniungantur; facta etiam potestate eidem Episcopo delegandi ad hoc aliquem Sacerdotem, si fieri potest, in aliqua dignitate constitutum.

Atque ita rescripsit, die 5 Iulii 1901.

4076. TARBIEN.

Rm̃us Dñus Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

I. Decreto n. 3923, diei 30 Iunii 1896, Plurium Dioecesium, praecipiente lectiones de Scriptura occurrente, in duplicibus infra secundam classem, excipiuntur tamen lectiones, quae «approbatae iam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus, seu etiam minoribus». Quaeritur: Utrum ea exceptione comprehendantur non tantum eae peculiares lectiones, quae certis quibusdam Sanctis assignantur et integre inseruntur in Breviario sicut et in Proprio dioecesano, sed etiam eae omnes, quae assignantur de Communi, et in praedictis Breviario et Proprio tantummodo indicantur, Rubrica ad eas remittente; sicut v. g. in Festo S. Dominici, die 4 Augusti, indicantur pro 1° nocturno lectiones *Beatus vir* etc. de Communi Conf. non Pontif. 2° loco: sicut etiam v. g. in Festo S. Fausti (in Proprio Provinciae Auxitanae, ad 28 Septembris) remittitur, pro clero Tarbiensi, ad lectiones *Fidelis sermo?*

II. Utrum Feria IV Cinerum, in Ecclesiis parochialibus, ubi unicus est Sacerdos, celebrari possit Missa exequialis?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, nisi agatur de Festis Dedicationis Ecclesiae vel Festis B. M. V.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 5 Iulii 1901.

4077. COLIMEN.

Revm̃us D. Iosephus Amator Velasco, Dioeceseos Colimen. Vicarius Gubernator, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime proposuit; nimirum:

I. Variis in Ecclesiis Dioeceseos Colimen. iam inde ab immemorabili tempore mos viget, iuxta quem in expositione SS. Eucharistiae Sacramenti velum extensum in tabernaculo expositionis plicatur; et ipsum in repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in expositione, aut relaxatione in repositione; quae omnia a sacrista vel acolytho peraguntur; quaeritur: an continuari possit haec praxis?

II. Item, moris est, ante Missam solemnem, post cereos accensos, in throno expositionis ostensorium cum SSm̃o Sacramento collocare, super quod velum explicatur ad cooperiendum, donec, vel incepta Missa, et *Aufer a nobis* dicto, Sacerdos thurificet: in cuius thurificationis actu, praevia eiusdem veli plicatione, ut dictum est, expositio absque ullo cantu fit. Huiusmodi usus probandusne est?

III. Rubrica dicit: *delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare;* haec verba *ad Altare* interpretandane sunt *in medio Altaris?*

IV. Post sacrosancti sumptionem Sanguinis et ante ablutionem, quaedam consecrati vini particulae in calice manent: quaeritur: an in casu ablutio sumenda sit, vel iterum admovendus sit calix ori Celebrantis, ut eae reliquiae Sanguinis singillatim sumantur?

V. Ubinam genuflectere debet Subdiaconus, ut Celebrans eum benedicat, post cantatam Epistolam, an in suppedaneo, aut potius in plano?

VI. Cum Rubricae dicant, quod Celebrans et Ministri in Missa solemni pergere debent ad sedendum per breviorem, an permitti possit in Missa cum Sanctissimo Sacramento exposito per longiorem recedere in eundo ad sedilia?

VII. Quadam in Ecclesia huiusce Dioeceseos, ubi sodalitas SS. Rosarii canonice est erecta, per Sabbata singula, uno dempto, scilicet Sabbato maioris Hebdomadae, Missa *Salve, radix sancta,* canitur. Quaeritur: an locum habere possit haec Missa in omnibus Sabbatis, post Constitutionem Apostolicam *Ubi primum,* sexto nonas Octobris anno 1898 editam?

VIII. Servarine licebit consuetudo, instrumento quodam utendi ad ungendos infirmos; similiter et pueros baptizatos, quamvis periculum contagionis non adsit?

IX. Licetne canere Vesperas secunda vel prima hora noctis, atque in illis Sanctissimum exponere, ea de causa, scilicet, quia Ordinarius permittit expositionem in Vesperis?

X. An tolerari possit Feria V in Coena Domini, Altare maius Ecclesiae Sepulcri Altare esse; necnon in ipso Altari Sepulcri ostensoria, calices et ciboria ornati causa exponere?

XI. Quum Diaconus a cornu Epistolae Sacerdoti assistat ad elevationem, permittine potest acolyto Sanctissimum a parte Evangelii thurificare?

XII. Quando Ecclesia Cathedralis Officium chorale non persolvit, quia Capitulo caret, plures Missae eadem die et de eodem Officio cantarine possunt?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I et II. Negative.

Ad III. Affirmative, seu in medio Altaris.

Ad IV. Servetur Rubrica Missalis.

Ad V. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad VI. Serventur Rubricae.

Ad VII. Negative, nisi constet de Indulto.

Ad VIII. Servetur Rituale Romanum, et dentur Decreta n. **3051**, Portus Aloisii, 9 Maii 1857, ad II, et n. **3276**, Toletana, 31 Augusti 1872, ad I, III et IV.

Ad IX. Pro prudenti Ordinarii placito, nisi agatur de Ecclesiis in quibus obligatio Chori habeatur.

Ad X et XI. Negative.

Ad XII. Affirmative, iuxta Decretum n. **3921**, diei 30 Iunii 1896.

Atque ita rescripsit, die 12 Iulii 1901.

4078. LAURETANA.

Hodiernus Ordinator Calendarii pro Clero Basilicae et Dioeceseos Lauretanae, de consensu Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit; nimirum:

I. Quarta die infra Octavam, et die octava Nativitatis S. Ioannis Baptistae, debetne Vesperarum hymnus, qui iam in festo dictus est, coniungi cum hymno Matutini, sub unica conclusione, prout factum est in festo, iuxta Rubricas Generales, Tit. XX, n. 3?

II. Hymnus de secundis Vesperis in festo Ss. Simonis et Iudae Apostolorum, debetne concludi cum doxologia *Iesu, tibi sit gloria*, si in eisdem Vesperis facienda sit Commemoratio Officii votivi de SSmo Eucharistiae Sacramento, vel de Immaculata Conceptione B. M. V. in crastina die celebrandi?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, ita rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, iuxta Rubricas generales Breviarii, Tit. XX, n. 4.

Atque ita rescripsit, die 12 Iulii 1901.

4079. TROPIEN.

Calendariorum Dioeceseon Nicoteren. et Tropien. Redactor Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter proposuit dubia, pro opportuna solutione; nimirum:

I. Quum per Decretum n. **3637**, Aretina, d. d. 18 Iunii 1885, Officia propria B. M. V., aliquibus Dominicis assignata, omittenda sint quando impediantur; quaeritur: 1.° An prohibitio translationis in alias Dominicas huiusmodi dies insequentes, intelligenda sit etiam quoad alios dies non dominicos liberos, ut neque in istos dies praefata Officia transferri queant? Et quatenus affirmative: 2.° An in casu impedimenti perpetui quoad aliquam Ecclesiam, praedicta Officia dominicis diebus assignata, omittenda prorsus sint?

II. In his Dioecesibus Festum S. Ioannis Damasceni celebrabatur die 13 Maii. At post Decretum n. **3734**, Urbis et Orbis, diei 19 Augusti 1890, qui harum Dioeceseon tunc Calendaria ordinabat, hoc Officium, loco diei 27 Martii impeditae, reposuit die 29 Martii, prima insequente libera, iuxta Rubricas et Decreta. Quaeritur: Debetne in his Dioecesibus huiusmodi Officium praedicta die 29 Martii recitari?

III. In concurrentia duorum Festorum, nempe Domini nostri et B. Mariae Virgi-

nis, habentium conclusionem hymnorum propriam, quaenam erit retinenda et recitanda?

IV. Die 2 Februarii in Cathedrali Ecclesia Tropien. (alibi die Epiphaniae Domini) removetur imago seu parva statua Infantis Iesu a praesepe, et processionaliter defertur cum velo humerali et sub umbella per celebrantem ad Altare maius, ubi osculanda traditur Capitulo et Clero; atque finita functione cum benedictione SSmi Sacramenti, et hoc in tabernaculo reposito, eadem imago per alium Sacerdotem, item eodem ritu, qui servatur in deferendo SSmo Sacramento, nempe cum velo humerali cum luminibus et sub umbella, transfertur ad aliud Altare, ubi fidelibus osculanda porrigitur; quaeritur: An haec consuetudo servari possit?

V. Infra Octavam SSmi Corporis Christi, in Cathedrali Ecclesia Tropien., quotidie mane post *Nonam* fit processio cum Sanctissimo Sacramento, sed Missa Conventualis canitur post *Tertiam* coram Sanctissimo Sacramento exposito. Quaeritur: An hic usus continuari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam et secundam partem.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Erit retinenda conclusio hymni illius festi, de quo Vesperae integrae recitantur, immo, si agatur de diversis mysteriis Domini, etiam de quo fit a Capitulo.

Ad IV. Detur Decretum Generale n. 2647, d. d. 27 Maii 1826: nihil tamen obstare quominus simulacrum processionaliter deferatur, absque velo humerali et sine umbella.

Ad V. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 3 Augusti 1901.

4080. ROMANA.

In ordine divini Officii recitandi Sacrique peragendi pro anno 1901, ad usum Rmi Capituli et Cleri Patriarchalis Basilicae Vaticanae, ad diem 11 Iunii, Festum S. Barnabae Apostoli dupl. mai. habet integras Vesperas, in concurrentia cum Festo S. Leonis III Pont. Conf. eiusdem ritus et aeque primario. Quum vero circa has Vesperas, ita dispositas aliqua exorta fuerit dubitatio, quidam Calendaristae a Sacrorum Rituum Congregatione opportunam declarationem super dignitate S. Barnabae Ap. in Sacra Liturgia humillime expostularunt.

Et Sacra eadem Congregatio, porrectis precibus annuens, circa huiusmodi quaestionem, praehabito voto Commissionis Liturgicae, exquisivit etiam specialiter suffragia duorum ex suis Consultoribus, quae omnia scripto exarata praeloque impressa, una cum informatione, subiecta fuerunt iudicio Emorum Patrum. Itaque Cardinalis ipsimet Sacrae Congregationi Praefectus, et Relator, in Ordinariis Comitiis die 30 mensis Iulii nuper elapsi ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum: An Festum et Officium S. Barnabae Ap. in occurrentia et concurrentia cum Festis et Officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, ceteris paribus, sit praeferendum?

Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus hinc inde accurate perpensis, ac praesertim iis, quae in Sacra Scriptura atque in Libris Liturgicis Ecclesiae Orientalis et Occidentalis de S. Barnaba perlegerunt, rescribendum censuit:

Affirmative, ratione dignitatis Apostolicae.

Quae resolutionem, Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per supra dictum Cardinalem relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit, die 11 Augusti 1901.

4081. VICENTINA.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Dioecesis Vicentinae, de consensu Rmi sui Episcopi, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit; nimirum:

I. Potestne servari consuetudo, qua Sacerdos superpelliceo et stola indutus, post Litanias et preces ad Altare recitatas, ascendit super gradus Altaris et benedicit populum, signum Crucis super illum formans, his verbis: « Benedictio Dei omnipotentis, etc. » uti fit post Communionem datam fidelibus extra Missam?

II. Absolutiones ad tumulum suntne faciendae immediate post Matutinum, si Missa de *Requie*, ritu permittente, sit potius lecta quam cum cantu?

III. Psalmus *De profundis*, cum versiculis et Oratione post absolutionem ad tumulum recitandus, debetne persolvi in Sacristia an in Choro ante Altare maius?

IV. Plerumque in civitate efferuntur cadavera sub vesperas. In Ecclesia preces exequiales persolvuntur super iisdem, antequam terrae tradantur. Estne adhibendum thus circa feretrum, uti fieri solet quando exsequiae post Missam peraguntur?

V. Feria sexta in Parasceve, post Orationes, debetne per Celebrantem discooperiri Lignum seu Reliquia S. Crucis, vel imago Crucifixi?

VI. Utrum post Missam Praesanctificatorum removenda sint ornamenta Altaris in quo SS. Sacramentum Feria quinta praecedente fuit reconditum?

VII. Consuetudo hic viget dicendi. ℣. *Dominus vobiscum*, ante Orationes, quibus Litaniae B. M. V. vel hymni in Sanctorum honorem concluduntur coram SS. Sacramento publice exposito; cum non immediate, sed post cantum *Tantum ergo* et Orationem *Deus, qui nobis*, detur benedictio cum eodem, potestne talis consuetudo servari?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, ita respondendum censuit :

Ad I. Affirmative.

Ad II. In casu fiant post Missam de Requie, sive lectam sive cantatam.

Ad III. Psalmus cum Antiphona « Si iniquitates » dicatur in reditu ad Sacristiam, in qua deinde persolventur preces « Kyrie, eleison » etc. cum Oratione « Fidelium », etc.

Ad VI. Affirmative, si solemnius, scilicet adhibito pluviali, exsequiae persolvantur. At si exsequiae persolvi debeant post Officium vel Missam, quae serius, vel etiam die sequenti habebuntur; post ℟. « Subvenite » dicatur « Kyrie, eleison etc., Pater noster etc. », ℣℣. et Oratio « Absolve », ut in Missali « Ritus celebrandi Missam », Tit. XIII, n. 4, in fine.

Ad V. Alterutrum fieri posse et debere.

Ad VI. Negative, iuxta alias decreta.

Atque ita rescripsit, die 20 Augusti 1901.

4082. VICEN.

Rm̃us Dominus Iosephus Torres et Bages, Episcopus Vicensis in Hispania, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum :

I. In Dioecesi Vicensi plurima inveniuntur Altaria, quorum Reliquiae non lapide, sed caemento obtectae sunt. Quum vero iuxta Decretum S. R. C. n. 3585, 28 Iulii 1883, nova indigeant consecratione, et haec valde difficilis sit, idem orator humillime expostulavit sanationem huiusce defectus, ut licite in praefatis Altaribus Missa celebrari valeat, vel saltem indultum, quo ipse per se vel per Sacerdotes delegandos possit aperire sepulcra, eaque claudere lapide, et huiusmodi Altaria consecrare breviori ritu et formula. Petiit item declarari, an eaedem Reliquiae, quae in praedictis Altaribus inveniantur, possint apponi in nova eorundem consecratione?

II. In aliquibus dictae Dioecesis Ecclesiis inveniuntur Altaria, quae non longe distant a sepulturis. Inter ea sunt praecipue duo : primum habet prope tria sepulcra, nempe unum se extendens unico passu sub predella, quae ampla est 83 centimetris, alterum in cornu Evangelii, distans ab Altari 80 cent., et tertium in cornu Epistolae distans 81 cent. Omnia haec sepulcra sunt in terra, et duro lapide obtecta, et nemo in eis iam a multis annis sepelitur. Aliud Altare habet sepulcrum distans 90 cent., attamen Celebrans in plano haud descendere valet, ob propinquitatem sepulcri, quod ipsius predellae fere adhaeret, et elevatur eius lapis aliquantulum a terra. In hoc sepulcro tantum humatus est Episcopus Strank cum socio, qui cum illo occisus est. Quum vero a S. R. Congr. declaratum sit, tres cubitos esse unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam ab Altari sufficere; quaeritur : 1.° An in duobus praefatis Altaribus possit Missa celebrari quin removeantur omnia vel aliquod ex his sepulcris? 2.° An distantia 80 vel 90 cent. sufficiat ab altari, vel haec distantia debeat esse unius metri integri?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit :

Ad I. Interim, ex speciali gratia, permitti celebrationem Missae in enunciatis Altaribus, simulque indulgeri ritum formulamque breviorem, pro nova consecratione ab Episcopo, per se, vel per simplices Sacerdotes delegandos, peragenda, cum substitutione operculi lapidei, ubi opus

est, altari ex caemento. Reliquias autem, quae in praedictis Altaribus inveniuntur, licite apponi posse in nova eorum consecratione, si nullum dubium de earum authenticitate exoriatur.

Ad II. Quoad primam partem, ex gratia, permitti, ut in Altaribus, de quibus in casu, celebrari valeat. Quoad alteram partem standum Decreto n. 3944, Romana, 12 Ianuarii 1897, ad II.

Atque ita rescripsit, die 30 Augusti 1901.

4083. DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: An in Missa de Vigilia Immaculatae Mariae Virginis Conceptionis adhibendum sit color albus vel violaceus?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, proposito dubio ita respondendum censuit:

Adhibendum esse colorem violaceum.

Atque ita rescripsit, die 12 Septembris 1901.

4084. VALLIS VIDONIS.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Vallis Vidonis, de consensu Rm̃i sui Episcopi, humillime petiit, ut a Sacra Rituum Congregatione insequentia dubia benigne solverentur, et nimirum:

I. Utrum Missa votiva de Sacro Corde Iesu, per Decretum Urbis et Orbis, diei 28 Iunii 1889, indulta, dici possit Feria VI, quae prima in Ianuario mense occurrit, quando in illam diem incidit Vigilia Epiphaniae?

II. Utrum in Vesperis, coram SS. Sacramento exposito cantatis, debeat Hebdomadarius a principio induere stolam, ratione incensationis SS. Sacramenti ad *Magnificat* faciendae; et quatenus negative, utrum debeat saltem ad *Magnificat?*

III. Utrum Dominica III Adventus, et Dominica IV Quadragesimae paramenta coloris rosacei adhiberi possint, non tantum in Missa solemni, sed etiam in Missis privatis et in Officio de Dominica?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Stetur Rubricis et Decretis.

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 29 Novembris 1901.

4085. ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Adm. Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Navarrensis in Hispania, ad quietem et tranquillitatem suorum Religiosorum procurandam, et ad omnem dubietatem de medio tollendam, de consensu sui Rm̃i Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum:

An liceat in Ecclesiis Regularium, permittente ritu, Officia et Missas de Requie celebrari diebus 3, 7, 30 et anniversario a depositione, iuxta Rubricas Missalis Romani?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum esse censuit: Detur Decretum n. 3494, Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci, diei 13 Maii 1879, ad I.

Atque ita rescripsit, die 29 Novembris 1901.

4086. NOVARCEN.

Usus invaluit in Dioecesi Novarcensi, ut super Altaribus, una cum candelis ex cera confectis, lumina ex *gaz* accendantur, ad maiorem splendorem obtinendum. Dubitans porro hodiernus Episcopus Novarcen. utrum id liceat, a Sacra Rituum Congregatione exquivisit:

An super Altari, praeter candelas ex cera, tolerari possit ut habeatur etiam illuminatio ex *gaz*, vel an usus praedictus prohiberi debeat?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, eiusmodi dubio rescribendum censuit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Atque ita declaravit et rescripsit, die 29 Novembris 1901.

4087. DUBIUM.

A Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii resolutio expostulata fuit, nimirum:

An Regulares, qui Festa quaedam Patronorum secundariorum loci, quadraginta

abhinc annis, in proprio Calendario absque Indulto Apostolico inseruerint, et detecto antiquo errore duobus abhinc annis, eadem Festa e Calendario expunxerint, possint vel debeant ipsa Festa in proprio Calendario seu directorio restituere?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, ad propositum dubium respondendum censuit: Negative ad utramque partem.

Atque ita rescripsit, die 10 Ianuarii 1902.

4088. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Redactor Calendarii Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, Provinciae S. Fidelis, Pagi Ticinensis, de consensu sui Adm. R. P. Ministri Provincialis, ac Rmi P. Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humillime expostulavit, nimirum:

I. Sacerdotes ritus Romani, celebrantes in Ecclesiis Ritus Ambrosiani, quodnam Calendarium sequi debent?

II. Ipsi Sacerdotes, celebrantes aliqua vice Missam Parochialem in iisdem Ecclesiis, sequi debent Calendarium et Ritum Ambrosianum, aut Calendarium et Ritum Romanum? Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur:

III. An hoc valeat etiam pro Regularibus, qui ex praecepto gravi Constitutionum tenentur ad Ritum Romanum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Servent Calendarium Ritus Romani Dioeceseos, dummodo diebus solemnioribus localibus, ex gr. Titulus vel Dedicatio Ecclesiae, Patronus praecipuus loci, etc., se conforment quoad colorem et Missam Calendario Ecclesiae, in qua Sacrum faciunt.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Affirmative, in casu.

Atque ita rescripsit, die 10 Ianuarii 1902.

4089. ROMANA.

A Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum resolutio expetita fuit, nimirum:

I. Quum iuxta Rubricas statutum sit, in Missis Feriarum Adventus etc. genuflectere debere omnes in Choro, dicto per Celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini* inclusive: quaeritur utrum hoc idem tenendum sit quoties praefatae Missae celebrentur sine cantu?

II. An quotiescumque recitantur in Choro preces feriales tempore Quadragesimae, debeant omnes, Hebdomadario excepto, genuflexi manere etiam in Commemorationibus Sanctorum simplicium et in Orationibus Suffragiorum?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, referente Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum esse censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, iuxta Rubricam Generalem Breviarii, Tit. XXXIV «De Precibus» n. 4.

Atque ita rescripsit, die 4 Martii 1902.

4090. DECRETUM.

Sacra Rituum Congregatio, Decreto n. 3999, diei 5 Augusti 1898, et subsequenti declarationi n. 4063, diei 14 Augusti 1900, de usu linguae Slavicae in Sacra Liturgia firmiter adhaerens, ad quaedam dubia ex diversis Dioecesibus sibi proposita, iterum declarare censuit:

I. In Catalogo iuxta articulum I praefati Decreti n. 3999, praescripto, inscribendas tantum esse illas Ecclesias, pro quibus privilegium linguae palaeoslavicae invaluisse et reapse vigere, triginta saltem abhinc annis, documentis et testibus certo probari potest; neque sufficere solam huius iuris suppositionem, et quatenus probatio dubia habeatur, linguam latinam manere in possessione.

Item Ecclesiis privilegiatis non esse adnumerandas illas, in quibus permixtio linguae latinae cum lingua croatica seu moderna in Missae Sacrificio hucusque adhibita est; quia Decretum expresse loquitur de sola lingua palaeoslavica. Neque ad ius praefati privilegii probandum satis esse, ut aliquae partes Missae, v. gr. *Gloria, Credo*, etc. a Celebrante intonentur seu cantentur in lingua croatica, dum alia omnia in lingua latina ab eodem recitantur; et ut populus tantum cantet vel recitet in lingua vulgari.

iuxta hanc normam Catalogum rite confectum ad Sacram Rituum Congregationem transmittendum esse.

II. Nomen Missae privatae, de qua in articulo IX eiusdem Decreti sermo est, non sensu stricte liturgico, sed sensu communiori et latiori accipiendum esse. Ad evitandas enim demonstrationes, et ad removendum scandalum, haec Missa characterem quasi solemnem assumere non debet.

III. Tandem praescripta in articulo XI supradicti Decreti, circa administrationem Baptismi et Matrimonii, extendenda esse etiam ad ultima Sacramenta, ita ut in parochiis lingua palaeoslavica privilegiatis ista neutiquam negari possint moribundis, qui eadem recipere velint iuxta Rituale Romanum latinum.

Item in eodem articulo XI, quoad collationem Baptismi, vocem *privatim* non esse intelligendam eo sensu, ut iste administretur infantibus, omissis omnibus Ritibus et Caeremoniis. Illa enim vox spectat tantum ad modum collationis non publicae, servata semper solemnitate quoad Ritus et Caeremonias, quos in Baptismo nemini omittere licet, nisi necessitatis causa.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 14 Martii 1902.

4091. ABULEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Cathedralis Abulensis Dioeceseos, in Hispania, et redactor Calendarii, ut omnia recte fiant, de consensu sui Rmi Episcopi, S. Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; videlicet, « Ante annum 1893, diebus 5 Maii, 27 Augusti et 22 Septembris, in praefata Dioecesi actum fuisse de Festis secundariis Conversionis S. Augustini, Transverberationis Cordis S. Theresiae et Impressionis Stigmatum S. Francisci; tribus aliis Festis primariis eiusdem ritus, atque iisdem diebus respective occurrentibus, in primas sequentes dies liberas perpetuo amandatis, videlicet 14 Maii, 1 et 26 Septembris ». Quaeritur: Utrum, vi clausulae derogatoriae Decretorum 27 Iunii 1893 et 22 Augusti 1893, tria praedicta Festa secundaria respectivis primariis eiusdem ritus posthac postponi debeant, et in proximiores praedictos dies, 14 Maii, 1 et 26 Septembris amandari?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1902.

4092. URGELLEN.

Magister Caeremoniarum Cathedralis Urgellen., de consensu proprii Ordinarii, sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit, nimirum:

Anno proxime sequenti, 1903, die 15 mensis Maii, celebrari debet Festum S. Ioannis B. de la Salle, Conf. Attamen in tota Hispania, praefata die, Festum colitur S. Isidori Agricolae, Conf., duplex, civitatis Matriten. Patroni, quin tum ex Bulla Canonizationis huius Sancti cum ex aliis documentis liquido appareat, qua die obierit idem S. Isidorus. Notatu dignum est, hunc Sanctum, tamquam Patronum coli ab omnibus Hispaniae agricolis, qui aegerrime ferrent, perpetuam tanti Patroni translationem. Insuper, memorata die 15, Parochi Missam pro populo applicare tenentur, eo quia olim S. Isidorus sub duplici praecepto celebraretur. Hisce praemissis, quaeritur:

Num S. Isidori Agricolae Festum praedicta die 15 Maii celebrandum sit, translato in diem primam liberam S. Ioannis B. de La Salle Festo, an vero e contra?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 24 Martii 1902.

4093. ROMANA.

Hodiernus Moderator Piae Unionis Primariae Sacratissimi Cordis Iesu, ad Sanctae Mariae de Pace in Alma Urbe constitutae, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia sibi proposita pro opportuna resolutione humiliter exposuit; videlicet:

I. Utrum indultum de Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu in prima Feria VI cuiusque mensis, iuxta Decretum Urbis et Orbis, n. 3712, diei 28 Iunii 1889, valeat etiam pro Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos adest, qui Missam conventualem Officio convenientem celebrare debet?

II. Utrum praefata Missa votiva celebrari possit diebus Festis de praecepto, in

Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos, adest, qui applicare tenetur pro populo?

III. Utrum eadem Missa dici possit in Festo Purificationis B. M. V., cum hoc Festum incidit in supradictam Feriam VI?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque maturo examine perpensis, respondendum censuit:

Ad I et II. Negative.

Ad III item Negative, attento mysterio, ob quod Festum Purificationis B. M. V. aequiparatur Festo Domini.

Atque ita rescripsit, die 27 Martii 1902.

4094. SANCTI SALVATORIS IN AMERICA.

Rmus Dnus Antonius Adulphus Perez et Aguilar, Episcopus S. Salvatoris in America Centrali, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter postulavit, nimirum:

Quum Ecclesia Cathedralis Dioecesis Sancti Salvatoris constructa sit ex ligno, etiamsi perpulchre interius exteriusque ornata, quaeritur: Num huiusmodi Ecclesia Cathedralis consecrari possit secundum ritum Pontificalis Romani; et quatenus affirmative: num facienda sit aliqua variatio in ritibus et formulis praescriptis pro dicta consecratione perficienda?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit: Negative quoad consecrationem, et Ecclesia benedicatur solemniter iuxta Rituale Romanum, si nondum fuerit hoc ritu benedicta.

Atque ita rescripsit, die 11 Aprilis 1902.

4095. AUGUSTANA.

De consensu Rmi Episcopi Augustani, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna declaratione, humillime proposita sunt; videlicet:

I. In exsequiis, antequam cadaver efferatur, debetne cani, vel tantum recitari Psalmus *De profundis?*

II. In Officiis mortuorum, extra diem obitus, seu depositionis defuncti, sumine debet semper Nocturnum, quod feriae occurrenti respondet, sint onera adimplenda fixa vel adventitia?

III. Potestne cani vel saltem recitari submissa voce, Responsorium *Libera* in die dominica, quando haec occurrit cum Festo duplici I^{ae} vel II^{ae} classis?

IV. Quando Festum Annuntiationis incidit in hebdomadam maiorem, potestne transferri, etiam quoad solemnitatem, ad alium diem.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque rite expensis, rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative, iuxta Decreta n. **3691**, de Guatimala, 22 Iulii 1888, ad III; et n. **3764**, Lincien., 6 Februarii 1892, ad V.

Ad III. Negative in Festo dupl. I cl. et detur Decretum in Romana - Resolutionis dubiorum, n. **3780**, 12 Iulii 1892, ad VIII.

Ad IV. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 11 Aprilis 1902.

4096. LABACEN.

De consensu Rmi Episcopi Labacen., a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio humillime exquisita fuit; nimirum:

I. Privilegium circa Missas de Requie, concessum Sacellis sepulcreti ex Decreto n. **3903**, diei 8 Iunii 1896, et Ecclesiae, vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, ex Decreto n. **3944**, diei 12 Ianuarii 1897, ad I, favetne etiam Sacellis, Ecclesiis et Oratoriis publicis sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, quod sepulcretum tamen hodie quacumque ex causa derelictum est, ita ut defuncti in eo non amplius sepeliri soleant?

II. Praefatum privilegium favetne etiam Ecclesiae parochiali, quae circumiacens habet coemeterium, quum in casu Ecclesia parochialis revera evaserit Ecclesia sepulcreti?

III. In Anniversariis stricte sumptis, quae fundata sunt extra diem vere anniversariam ab obitu vel depositione, potestne sumi Oratio *Deus indulgentiarum, Domine?*

IV. Ex Decreto n. **3944**, diei 12 Ianuarii 1877, ad III, Missae privatae, die vel pro die obitus, seu depositionis, in Ecclesiis et Oratoriis publicis fieri permittuntur, si in iisdem tantum fiat funus cum Missa exsequiali cum cantu, servatis servandis. Quaeritur: An funus cum Missa

exsequiali in cantu fieri debeat etiam in Oratoriis semipublicis, ut fieri inibi possint praefatae Missae lectae de Requie?

V. Quaeritur: Utrum Missa de Requie cum cantu, quae Decreto generali n. 3755, diei 2 Decembris 1891, ad III, celebrari potest pro prima tantum vice post obitum, die quae prima occurrat non impedita a Festo dupl. I vel II classis vel Festo de praecepto, cantari possit Feria IV Cinerum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV, V, VI et Sabbato infra octavas Paschatis et Pentecostes, quum, licet hae dies neque Festa sint de praecepto, neque ritum dupl. I vel II classis habeant, excludant tamen eadem duplicia I classis?

VI. In Decreto n. 3822, diei 3 Aprilis 1894, disponitur, ut dum corpus Episcopi dioecesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae aedis aula maiori publice et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant, iis omnibus servatis etc. Quaeritur: An haec dispositio necessario intelligi debeat de Missa de Requie pro defuncto Episcopo dioecesano inibi celebrandis, idque nullo habito respectu ritus aut solemnitatis diei, qua celebrantur, sive sit duplex maius et minus, sive classicum, vel Festum solemne?

VII. Expositio Sanctissimi Sacramenti publica seu solemnis, quae fit de licentia Ordinarii, potestne fieri etiam cum pyxide collocanda in throno tabernaculi?

VIII. Expositio Sanctissimi Sacramenti quae fit cum pyxide intra tabernaculum, ostiolo patefacto, si sit permanens et ex causa publica, impeditne Missas de Requie?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative, in casu.

Ad V. Negative in omnibus, iuxta Decretum Generale n. 3922, diei 30 Iunii 1896, § III, n. 2.

Ad VI. Missae lectae, in casu, permittuntur ad normam Decreti n. 3903, diei 8 Iunii 1896.

Ad VII. Negative, iuxta Decreta.

Ad VIII. Affirmative, in casu, iuxta Decretum n. 2390, Varsavien., 7 Maii 1746, ad IV.

Atque ita rescripsit, die 28 Aprilis 1902.

4097. NATCHETEN.

Rmus Dnus Thomas Heslin, Episcopus Natcheten., a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii declarationem humiliter expetivit; nimirum:

Quum Sacra Rituum Congregatio in una Novarcen., n. 4086, 29 Novembris 1901, prohibuerit illuminationem ex *gaz*, una cum candelis ex cera super Altari, ob paritatem rationis et sub iisdem circumstantiis, censerine debet vetita etiam illuminatio electrica?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, rescribere rata est: Affirmative.

Atque ita declaravit et rescripsit, die 16 Maii 1902.

4098. LIVERPOLITANA.

Rmus Dnus Episcopus Liverpolitanus Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit, Rmis Patribus Abbatibus e Congregatione Anglo-Benedictina haud dudum benigne concessum fuisse privilegium, ut in Ecclesiis propriis usu pontificalium in Missarum solemniis gaudere valeant. Quum autem non plane constet, quaenam Ecclesiae tamquam ipsis propriae intelligendae sint, Rmis Episcopis Angliae opportunum visum est, ut Episcopus supradictus, in cuius Dioecesi multae existunt Ecclesiae patribus Anglo-Benedictinis addictae, nomine omnium Episcoporum Angliae, dubiorum sequentium solutionem postularet, nimirum:

I. Utrum tamquam Ecclesia propria cuiusvis Patris Abbatis intelligenda sit sola Ecclesia monasterii, cui ipse praesit?

II. Utrum cuivis Patri Abbati competat ius pontificalium in omnibus Ecclesiis quibus praesint terni, bini vel singuli patres sub eius iurisdictione constituti, curam vero animarum exercentes? Et quatenus affirmative:

III. Utrum, ad usum pontificalium talibus in Ecclesiis sub cura Patrum Anglo-Benedictinorum constitutis licite exercendum, requiratur consensus Episcopi Ordinarii?

IV. Utrum Patres Abbates, in Ecclesiis aliorum Regularium cuiusvis Ordinis vel Congregationis, vel in Ecclesiis saecularium usu pontificalium sine consensu Episcopi Ordinarii gaudere valeant? Et quatenus negative:

V. Utrum in talibus Ecclesiis sive regularium sive saecularium usum pontificalium de consensu Episcopi Ordinarii gaudere valeant?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative, nisi et aliae sint filiales Ecclesiae, quibus et ipse praesit, seu illius iurisdictioni subiectae.

Ad II. Affirmative, dummodo agatur de Ecclesiis propriis, et detur Decretum n. 2086, Fesulana, 1 Octobris 1701.

Ad III. Negative, quum agatur de Ecclesiis propriis, uti supra.

Ad IV. Detur Decretum n. 2923, Ordinis Monachorum Sancti Basilii, 18 Decembris 1846.

Ad V. Iam provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit, die 13 Iunii 1902.

4099. MEDIOLANEN.

Eñus et Revñus Dñus Andreas Carolus Card. Ferrari, Archiepiscopus Mediolanensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit:

In Missali Ambrosiano in Missa Feriae V in Coena Domini habetur sequens Rubrica. « Haec Missa celebratur ab uno tantum Sacerdote in Cathedrali, et in unaquaque Collegiata, Parochiali, vel alia eiusdem generis Ecclesia, non autem in Oratoriis privatis. Et in Ecclesia quidem Cathedrali, Collegiatave, praemissis Lectionibus, Orationibus cum Psalmellis, contentis in fine Missalis pro eadem quinta Feria, dum cantatur novissimus Psalmellus, Archiepiscopus, seu dignior Sacerdos cum Ministris accedit ad Altare et facit Confessionem, etc. ». - Similia habentur in Rubrica Missae Sabbati Sancti, in qua tamen non invenitur: « Et in Ecclesia quidem Cathedrali, Collegiatave ». - Mos autem invaluit in nonnullis Ecclesiis paroecialibus vel subsidiariis, has Missas legendi loco canendi. Ratio quam afferunt est quod Rubrica neque explicite praecipit canendam, cum dicat tantum « celebratur », neque implicite pro Ecclesiis quae non sint Collegiatae. Hinc idem Eñus Orator ab ipsa Sacra Congregatione expostulavit: Utrum mos legendi dictam Missam tum in Feria V in Coena Domini, tum in Sabbato Sancto in eiusmodi Ecclesiis permitti valeat?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit: Attentis Rubricis Missalis Ambrosiani, et Memoriali Rituum edito a Benedicto Papa XIII, pro Cleri defectu, in Ecclesiis parochialibus minoribus, Missam lectam in casu permitti posse.

Atque ita rescripsit, die 18 Iulii 1902.

4100. DE QUERETARO.

Hodierni Caeremoniarum Magistri in Ecclesia Cathedrali de Queretaro, Mexicanae Ditionis, summopere cupientes, ut ea quae ad cultum divinum pertinent rite peragantur, de consensu et approbatione Rm̃i sui Episcopi, quae subsequuntur dubia Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuerunt; nimirum:

I. In hac sancta Ecclesia Cathedrali a tempore suae erectionis, diebus solemnibus, immediate ante Missam conventualem, fit Processio intra muros ipsius Ecclesiae cum Reliquia Sanctissimi Ligni Crucis D. N. I. C., quae defertur per Canonicum celebrantem cum velo humerali; cum vero pervenitur ad Altare S. Bernardi, quod est prope Ecclesiae ianuas, Celebrans, renibus ad Altare versis, populo ostendit sacram Reliquiam, quo tempore fit pausatio Processionis, dum per Chorum canitur prima stropha hymni Vesperarum occurrentis Festivitatis: deinde continuatur Processsio usque ad Altare maius, depositaque ibidem Sacra Reliquia, canitur Versiculus: « Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix », et per Celebrantem Oratio: « Omnipotens, sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis... ». Iamvero quaeritur: An Processio ista modo supra dicto licite continuari possit: et quatenus negative, quomodo peragenda sit?

II. In hac etiam S. Cathedrali Ecclesia, iuxta concessionem Romani Pontificis Gregorii XIII, die 30 Decembris 1573 factam, diebus dominicis, non Canonicus celebrans Missam, sed Sacrista vel Caeremoniarius

facit aspersionem Aquae benedictae. Usus autem invaluit offerendi singulis Canonicis et Clericis aspergillum, ad sumendam manu eorum Aquam, deinde, facta populi aspersione, praedictus Sacrista vel Caeremoniarius, quin Orationem dicat (haec enim cantatur ab Hebdomadario), redit ad Sacristiam, ibique porrigit Aquam benedictam, similiter per contactum aspergilli, tam Celebranti quam Ministris. Cum vero hic modus videatur adversari Rubricis, quaeritur: 1° Quid sentiendum de aspersione Chori per contactum? 2° Quid de cantu Orationis ab Hebdomadario? 3° Quomodo fieri debet aspersio Celebrantis et Ministrorum?

III. Ex praecepto Concilii III Mexicani, omnibus Sabbatis per annum canitur in hac Sancta Cathedrali Ecclesia, post Completorium, Antiphona *Salve, Regina,* per Canonicum Hebdomadarium, Pluviali indutum, ante Altare maius, et deinde recitatur in Choro Matutinum cum Laudibus. Aliquando autem contingere solet, infra Octavam Corporis Christi, vel aliis diebus, quod praedicta Antiphona cantetur ante Sanctissimum Sacramentum publice expositum, quod non reservatur nisi expletis Laudibus: sed cum dubitetur de legitimitate huius praxis, quaeritur: Num servandus sit usus canendi Antiphonam *Salve, Regina,* in Altari maiori, quando ibi expositum patet Sanctissimum Sacramentum?

IV. Praeter ampullas vini et aquae, ponitur etiam super credentiam, in aliquibus Ecclesiis huius Dioecesis, pelvis et urceus cum aqua pro manuum lotione in Missis cantatis, vel digitorum extremitatum in privatis, quando Sacerdos dicit psalmum: «Lavabo inter innocentes manus...»; hoc autem fit quia aqua, quae est in ampulla vitrea, frequenter non sufficit ad manus abluendas et Calicis purificationem faciendam, sumpto S. Sanguine, praesertim in Missis cum cantu. Porro cum praedicta pelvis et urceus non sint praescripta in Rubricis Missalis, quaeritur: Num continuari licite possit, vel saltem tolerari praefatus usus?

V. Altare maius in aliquibus Ecclesiis huius Dioecesis exstat super cryptam, in qua sunt plura cadavera humata, ita ut Altare separatum sit a loculis mortuorum tantum per cameram lapideam ipsius cryptae. Quaeritur ergo: An licitum sit in praedictis Altaribus Sacrosanctum Missae Sacrificium peragere, quamvis in linea recta sub Altari sint cadavera in pavimento cryptae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, respondendum esse censuit:

Ad I. Processio in casu continuari potest, sed Celebrans pluviali indutus deferat Reliquiam S. Crucis D. N. I. C., et cum eadem, in reditu, tantum ad Altare maius, populum benedicat, iuxta Decretum n. 2324, Brixien., 15 Septembris 1736, ad I, absque dicto hymno, Versiculo et Oratione B. M. V.

Ad II. Quoad primam partem, aspersio Chori per contactum sustinenda non est, utpote Decretis contraria, praesertim Decreto n. 2013, Leodien., 27 Septembris 1698, ad II, III, et IV; quoad secundam partem, Oratio dici debet ante Altare ab eo qui fecit aspersionem, iuxta Decretum n. 1122, Cusentina, 19 Iulii 1659; et quoad tertiam partem, Celebrans et Ministri, qui adspersionis tempore in Sacristia sistunt, aspergendi non sunt, sed ad Ecclesiae ingressum, iuxta morem, accipiant Aquam lustralem.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative ad utramque partem.

Ad V. Affirmative, iuxta Decretum n. 3460, Senonen., 27 Iulii 1878, ad II.

Atque ita rescripsit, die 18 Iulii 1902.

4101. MEDIOLANEN.

Expetenti Emo et Rmo Domino Cardinali Andrea Ferrari, Archiepiscopo Mediolanensi: «An Decretum n. 4099, Mediolanen., 18 Iulii 1902, non solum ad Ecclesias parochiales et subsidiarias, sed etiam ad alias eiusdem generis Ecclesias seu Oratoria publica vel semipublica extendatur?». Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit: Affirmative, dummodo ex iure vel ex privilegio aliae Ecclesiae seu Oratoria publica vel semipublica peragere valeant functiones in Triduo Maioris Hebdomadae, adhibita etiam forma minus solemni, descripta in tractatu: *Piccolo Ceremoniale delle Chiese parrocchiali della Diocesi di rito ambrosiano;* secus Negative: et dentur Decreta n. 2616, Resolutionis du-

biorum, 31 Iulii 1821, ad I et II, et n. 4049, Comen., 9 Decembris 1899, ad I.

Atque ita rescripsit, die 22 Augusti 1902.

4102. CREMEN.

Instante Rmo Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis Cremen., et unica Dignitate illius Capituli, Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis circa functiones solemniorum Festivitatum, quae Pontificales nuncupantur, quaeque ad primam Dignitatem Capituli spectant, absente vel impedito Episcopo, rescribendum censuit: Servandum esse in omnibus Decretum Generale n. 3865, datum die 9 Iulii 1895; neque competere eidem Dignitati, quando celebrat loco et vice Episcopi absentis vel impediti, ius habendi Presbyterum assistentem cum pluviali.

Atque ita rescripsit, die 21 Novembris 1902.

4103. LUGANEN.

Hodiernus Rmus Episcopus Administrator Apostolicus Pagi Ticinensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur dubia pro solutione humiliter exposuit; nimirum:

In aliquibus paroeciis huius Dioeceseos, ritu Ambrosiano utentibus, occurrentibus Solemnitatibus patronalibus ceterisque Festis cum exteriori pompa concursuque populi concelebratis, simulacrum Sancti, cuius Solemnia perficiuntur, prius in medio templi exponi, deinde, pomeridianis horis, a sodalibus Confraternitatis, in respectiva paroecia erectae, processionaliter deferri solet.

Hisce in adiunctis, ab immemorabili viget consuetudo, ut, sive mane ad offertorium Missae solemnis, sive post meridiem dum canitur *Magnificat* inter Vesperas, ab eo qui Diaconi munere fungitur, nonnullis Confraternitatis, sodalibus cum intortitiis comitantibus, post Cleri incensationem, haec sacra Icon thure adoleatur. Hinc quaeritur:

I. An tolerari possit praefata consuetudo, nempe ut huiusmodi thurificatio fiat, uti supra describitur, a Diacono? Et quatenus negative:

II. An Statuae in medio Ecclesiae eminentis incensatio, tum intra Missam, tum intra Vesperas prorsus omittenda sit?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Attenta consuetudine, thurificari potest praedicta Statua in Vesperis dumtaxat, ab ipsomet Celebrante, post incensationem Altaris Sanctissimi Sacramenti, ad normam Decreti n. 3547, Sanctorien., 4 Maii 1882.

Atque ita rescripsit, die 28 Novembris 1902.

4104. DE QUERETARO.

Hodierni Caeremoniarum Magistri in Ecclesia Cathedrali de Queretaro, in Mexicana Ditione, de consensu et approbatione Rmi sui Episcopi, quae subsequuntur dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime exposuerunt; nimirum:

I. In Ecclesia Cathedrali de Queretaro, a tempore suae erectionis qualibet tertia Dominica mensis, Missa conventualis canitur coram Sanctissimo Sacramento palam exposito, quod processionaliter per Ecclesiam gestatur, dictis in Choro, post Missam, Sexta et Nona. Nunc vero quaeritur: An licite continuari possit mos cantandi Missam praefatam coram Sanctissimo Sacramento?

II. Ex praescripto Caeremonialis Episcoporum, lib. I, cap. 9, num. 6, et lib. II, cap. 29, num. 3, in Missis Pontificalibus, *Confiteor* canendum est a Diacono, si facienda sit Communio generalis aut particularis aliquorum. Nonnulli vero Rubricistae putant, cantum *Confiteor* debere pariter habere locum in qualibet Missa solemni, licet non Pontificali, et quamvis sit de Requie, si Sacra Communio fidelibus in ipsa distribuatur. Quum autem hoc manifeste non constet ex ipso Caeremoniali, sed potius locus sit dubitandi, quaeritur: Utrum *Confiteor* cani debeat in omnibus Missis solemnibus, non Pontificalibus, et etiam de Requie, ante distributionem Sanctissimae Eucharistiae?

III. Quum in Officio proprio S. Iacobi Apostoli, quod in Codice Hispano invenitur die 25 Iulii, ad II Vesperas diversae editiones non sint inter se conformes, nonnullae enim ponant versiculum « Annun-

tiaverunt » et aliae « Nimis honorati », quaeritur: Qualis versiculus ex duobus praedictis dicendus est?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, de licentia tamen Ordinarii.

Ad II. Quoad primam partem: Dicendum *Confiteor* alta voce vel cantando, iuxta consuetudinem; et quoad alteram: In Missis solemnibus sive cantatis de Requie, iuxta praxim Urbis, Communio distribui non solet, sed ubi ex rationabili causa distribuenda foret, Diaconus dicet *Confiteor* tantum alta voce.

Ad III. Dicatur versiculus: *Annuntiaverunt.*

Atque ita rescripsit, die 28 Novembris 1902.

4105. CONGR. MISSIONARIORUM FILIORUM IMMAC. CORDIS B. M. V.

Ordinator Calendarii Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V., de consensu sui Rmi P. Superioris Generalis, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

I. An alumni dictae Congregationis, post recentissimam Calendarii proprii concessionem, teneantur, exceptis Festis Titularium, Patronorum et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, ad Officia et Missas alicui Regno vel Dioecesi concessa cum clausula praeceptiva pro universo Clero saeculari et regulari?

II. Quum ex documentis scriptis non constet, quinam sit Titularis Ecclesiae coenobio adnexae et in loco Sancti Dominici nuncupato erectae, quam nomine S. Francisci Assisiensis fideles solent appellare; quumque in Altari tum Beata Maria Virgo de Angelis vocata, tum S. Franciscus in actu impressionis Sacrorum Stigmatum repraesentetur; quaeritur quinam sit habendus ut Titularis illius Ecclesiae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, et ad mentem. Mens autem est, Regulares non teneri ad Officia loci quo degunt, nisi quatenus eiusdem loci Calendario utantur.

Ad II. In casu habeantur uti Contitulares aeque principales B. Maria Virgo de Angelis et S. Franciscus Assisiensis.

Atque ita rescripsit, die 6 Decembris 1902.

4106. CONGREGATIONIS FF. SCHOLARUM CHRISTIANARUM.

Procurator Generalis Fratrum Scholarum Christianarum a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expetivit; nimirum:

Ex concessione Apostolica, Congregationi Fratrum Scholarum Christianarum indultum est, ut Festum Sancti Ioannis Baptistae de la Salle, eiusdem Congregationis Institutoris, sub ritu duplici primae classis cum Octava recolatur, cum Officio ac Missa propriis. Quum autem Fratres memorati Instituti ad recitandas Horas canonicas minime teneantur, et apud se habeant vel fixos Capellanos, qui, a Rmo Ordinario designati, sunt addicti ipsorum domibus ad obeunda munera ministerii ecclesiastici, vel etiam Sacerdotes, qui alicui paroeciae, veluti coadiutores, operam navantes, aut ecclesiastico aliquo beneficio fruentes, locum tenent Capellani in domibus Fratrum, et sacras functiones ibidem explent, et Sacramenta administrant, hinc quaeritur:

An supradicti Capellani fixi, vel Sacerdotes vices Capellani gerentes, teneantur ad recitationem Officii proprii eidem Congregationi concessi in Festo et per Octavam S. Ioannis Baptistae de la Salle?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Capellani fixi tenentur praedictum Officium recitare; dummodo ratione beneficii ad aliud Officium non adligantur; alii vero Sacerdotes nec tenentur nec possunt.

Atque ita rescripsit, die 23 Ianuarii 1903.

4107. ROMANA.

Hodiernus Ordinator Calendarii ad usum Cleri Romani sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter proposuit; nimirum:

Quando occurrit Commemoratio Feriae II post Dominicam III Quadragesimiae cum Festo Ss. Mm. Perpetuae et Felicitatis; eo quod *Postcommunio* Feriae et Sanctarum Martyrum sit eadem, et iuxta Rubricas *Postcommunio* eiusdem Feriae sit mutanda, quaeritur: Unde haec sumi debet?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Sumatur in casu *Postcommunio* Feriae proxime sequentis.

Atque ita rescripsit, die 10 Februarii 1903.

4108. DUBIORUM.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia postulata subiecta sunt, nempe:

I. An ob extensionem paroeciae benedictio domorum in Sabbato Sancto fieri valeat horis vespertinis Feriae VI in Parasceve? Et quatenus negative:

II. An in casu obtineri possit relativum indultum?

III. An benedictio domorum in Sabbato Sancto sit de iuribus parochialibus?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Negative ad I et ad II, iuxta Decretum n. **3645**, Isclana, 20 Novembris 1885, ad II, et in casu, benedictio domorum poterit fieri durante hebdomada Octavae Paschatis.

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 7 Martii 1903.

4109. STABIAN. SEU CASTRI MARIS.

Hodiernus Praepositus Clero Iesu et Mariae Civitatis et Dioecesis Stabian. seu Castri Maris, de consensu sui Rmi Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum: An in associationibus cadaverum societates catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis possint praecedere Clerum cum Cruce, an debeant sequi feretrum?

Et Sacra eadem Congergatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 14 Martii 1903.

4110. DUBIUM.

Proposito dubio: Utrum Titularis Capellae principalis Seminariorum solemniter benedictae gaudeat privilegiis, quae competunt Sanctis vel Mysteriis titularibus cuiusvis Ecclesiae, sive Oratorii publici solemniter benedicti, nempe, ut in Oratione *A cunctis,* et in Suffragiis Sanctorum ad Laudes et ad Vesperas Titularis nominetur?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: Affirmative, iuxta Decreta n. **4025**, diei 5 Iunii 1899, ad V, et n. **4043**, diei 27 Iunii 1899, ad I et ad VIII.

Atque ita rescripsit, die 14 Martii 1903.

4111. PISANA.

Quum ex Caeremoniali Episcoporum et ex pluribus Sacrorum Rituum Congregationis Decretis, non obstante consuetudine, permitti nequeat, ut Feriis IV, V et VI Maioris Hebdomadae cantentur simul cum sono Organi et aliorum instrumentorum Lamentationes, Responsoria et Psalmus *Miserere* ac reliquiae liturgicae partes, Rmus Vicarius de Choro Ecclesiae Primatialis Pisanae, haec probe noscens, ab eadem Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit; nimirum:

I. An etiam in Ecclesia Primatiali Pisana, Feriis supradictis, attenta antiqua consuetudine, tolerari possit, ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum instrumento *Harmonium* et aliis sine strepitu, *a corda,* instrumentis, *violini, viole, controbassi* nuncupatis? Et quatenus negative ad I:

II. An saltem tolerari possit in casu sonus tantum instrumenti *Harmonium?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Rmo Dno Archiepiscopo Pisano, et exquisita sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Negative ad utrumque, iuxta Caeremoniale Episcoporum, in libro I, cap. XXVIII, et Decreta **2959**, Taurinen., 11 Septembris 1847, ad I, **3804**, Goana, 16 Iunii 1893, ad II, et **4044**, Bonaeren., 7 Iulii 1899, ad I.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 20 Martii 1903.

4112. SANCTI MINIATI.

Ab hodierno Archipresbytero parocho Ecclesiae S. Ioannis Baptistae, in oppido *Fucecchio* nuncupato, Dioeceseos Sancti Miniati, postulatum est: An, non obstante Decreto Rmi Episcopi, tolerari possit ut imago SS. Redemptoris demortui, vel Deiparae Virginis Perdolentis, in Altari separato ab illo, in quo SSmum Eucharistiae Sacramentum Feria V in Coena Domini publice expositum manet, venerationi fidelium eadem Feria exhibeatur?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Negative, et servetur Decretum episcopale.

Atque ita rescripsit, die 27 Martii 1903.

4113. SOCIETATIS MISSIONARIORUM A S. IOSEPH.

Hodiernus Redactor Calendarii Societatis Missionariorum a S. Ioseph, sequentis dubii solutionem a Sacrorum Rituum Congregatione humillime expostulavit, nimirum: Ex Decreto Sacrae Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, die 1 Ianuarii 1900, extensa fuere ad totam Americam Latinam Officium et Missa propria S. Thuribii Archiepiscopi Limani, sub ritu duplici II classis; hic dubium oritur, utrum alumni dictae Societatis, qui ex maxima parte distributi sunt in America Latina, utpote ad regiones latino-americanas praecipue destinati, tali Decreto obligentur; an potius stare debeant proprio Calendario a S. Sede approbato in quo S. Thuribius ritu duplici minori recensetur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis, respondendum censuit: In casu, affirmative pro gratia, ad primam partem et negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 8 Maii 1903.

4114. ROMANA PATRIARCH. BASILICAE LIBERIAN.

Capitulum Patriarchalis Basilicae Liberianae Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione humiliter exposuit; nimirum:

Capitulum Liberianum constat sexdecim Canonicis, iuxta ordinem hierarchicum distinctis, nempe: octo Presbyteris, quatuor Diaconis et quatuor Subdiaconis. Canonici autem episcopali dignitate insigniti, si in ingressu inter Diaconos vel Subdiaconos relati sint, postea ad primum canonicatum presbyteralem vacantem ascendunt. Exinde nonnulla dubia circa officia in choro vel in Capitulo gerenda a Canonico digniori vel seniori orta sunt; videlicet:

I. Canonicus dignior est idem ac Canonicus senior?

II. Ad quem spectat preces ante et post Capitulum recitare, quum in Constitutionibus Capitularibus, cap. XVII, § 4, legatur: «Incipiant ab oratione quam Vicarius, vel, ipso absente, dignior Canonicus recitabit»?

III. Item ad quem Canonicum spectat praebere Celebranti Candelam benedictam die Festo Purificationis B. M. V., et Palmam benedictam Dominica Palmarum, eidemque imponere sacros Cineres Feria IV Cinerum?

IV. Ad Canonicos digniores aut ad Canonicos seniores pertinet associare Cardinalem Archipresbyterum?

V. Canonici iuniores obviam ire solent Cardinali Poenitentiario Maiori ad Patriarchalem Basilicam Liberianam, Feria IV Maioris Hebdomadae, accedenti cum suo tribunali ad audiendas sacramentales confessiones. Servarine potest haec consuetudo?

VI. Item continuarine potest similis usus cum Legatus Maior Regni Hispanici ipsam Basilicam adit pro audienda Missa de S. Ferdinando III, Rege Conf.?

VII. In Constitutionibus Capitularibus, cap. IV, § 3, legitur: «Quotiescumque Missa solemnis in Pontificalibus celebratur, munus Assistentis Decanus Capituli, vel, eo impedito, antiquior in presbyteratus ordine Canonicus gerere debet». Quaeritur: Si Decanus Capituli non sit ex ordine presbyterali, poteritne hoc munere fungi?

VIII. Ad quem Canonicum spectat obsequentem sermonem habere ad novum Cardinalem Archipresbyterum; et officium exsequiale peragere cum corpus Cardinalis Archipresbyteri defuncti ad Basilicam deducitur?

IX. Constitutiones Capitulares, cap. III, § 5, statuunt: «Non prius Beneficiatus

hebdomadarius intonare incipiat: *Domine, labia mea*, vel *Deus, in adiutorium*, quam Vicarius, vel, ipso absente, dignior et antiquior Canonicus det ei signum id faciendi». Quaeritur: Hic Canonicus debet esse dignior aut antiquior?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque maturo examine perpensis atque discussis, rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Absente Emo Archipresbytero, eiusque Vicario, spectare ad digniorem, ut ex Decreto n. 1299, Asculana, 30 Augusti 1664.

Ad III. Absente Vicario, ad digniorem.

Ad IV. Si Emus Archipresbyter pergit in Chorum ut pontificaliter celebret, consocietur a Diacono et Subdiacono Canonicis, qui illi in Missa assistent: secus a duobus Canonicis, ex praesentibus, dignioribus, non Episcopis.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Quoad primam partem, ad Canonicum digniorem, vel Secretarium, iuxta consuetudinem; quoad secundam, ad seniorem ex ordine presbyterali.

Ad IX. Debet esse dignior, iuxta Decretum n. 1976, Montis Politani, 13 Iunii 1697.

Atque ita rescripsit, die 8 Maii 1903.

4115. ORDINIS FRATRUM MINOR. CAPUCCINORUM PROVINCIAE BELGICAE.

De consensu R. P. Moderatoris Provinciae Belgicae Fratrum Minorum Capuccinorum, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutio expetita fuit:

I. Constitutiones Ordinis Capuccinorum praescribunt: «Candelabra ex simplici ligno torno elaborata». Caeremoniale autem Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 11, ea de re, haec habet: «Supra vero, in planitie Altaris, adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt: sin minus ex aurichalco, aut cupro aurato, nobilius fabricata, et aliquanto altiora spectabilioraque his, quae ceteris diebus non festivis apponi solent, et super illis cerei albi, quorum medio locabitur Crux ex eodem metallo et opere, praealta, ita ut pes Crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat, cum imagine sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem»; quaeritur: Religiosi Capuccini tenentur ad observantiam Caeremonialis Episcoporum in casu, quoad materiam saltem ex aurichalco aut cupra aurato, tum candelabrorum, tum Crucis Altaris?

II. 1.° Quando Sacerdos celebrat in propria Ecclesia, die non impedita, Missam votivam de die infra Octavam B. Mariae V. aut alicuius Sancti, de qua tantum Commemorationem in Officio recitavit, quaeritur: An in eiusdem Missa *Credo* dicendum sit, si nempe illa Octava *Credo* habeat? 2.° An idem applicandum sit eiusmodi Missae celebratae in aliena Ecclesia? 3.° An idem extendendum sit ad quamlibet Missam de die infra Octavam, sive sit privata, sive solemnis, sive privilegiata?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Rmo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, et observentur Constitutiones Ordinis, a S. Sede approbatae.

Ad II. Affirmative in omnibus, iuxta Decreta.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 15 Maii 1903.

4116. ORDINIS FRATRUM MINORUM.

De consensu Rmi P. Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, humillime exposita sunt; nimirum:

I. An infra Octavam alicuius Sancti Octavam habentis, cuius nec Officium recitatur nec fieri Commemoratio per accidens potest caput inclinari debeat, quando dicti Sancti nomen occurrit in Missa?

II. Quaenam Praefatio dicenda sit in Missa votiva conventuali, quando alia celebretur Missa de die infra Octavam. vel eius fiat Commemoratio in Missa de Officio occurrente, an scilicet Praefatio communis, vel Praefatio de Octava?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissio-

nis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ad primum, negative ad secundum.

Atque ita rescripsit, die 19 Iunii 1903.

4117. DUBIUM.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium expositum est: Verba Pontificalis Romani *Nocturnum talis diei*, intelligenda sunt de unico Nocturno feriali, vel de primo Dominicae, ut in Psalterio, id est duodecim Psalmorum, cum suis Antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum est Nocturnum Feriae, quae respondeat illi diei, quo facta est ordinatio. Insuper, ex Decreto eiusdem Sacrae Congregationis, n. **4042**, Urbis, 27 Iunii 1899, ad I, «Pro Nocturno talis diei intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi aut Dominicae in Psalterio, prouti Ordinatio in Feria, Festo aut Dominica habita sit». Nunc autem alia quaestio exorta et pro opportuna solutione proposita fuit, nempe: Utrum ad hunc Nocturnum etiam Psalmus *Venite, exsultemus*, Hymnus et Lectiones addendae sint, vel potius sufficiant Psalmi, cum respectivis Antiphonis, ad talem Nocturnum spectantes?

Sacra porro Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, propositae quaestioni respondandum esse censuit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 10 Iulii 1903.

4118. IACEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Iacensis, in Hispania, de sui Rmi Domini Episcopi consensu atque mandato, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

In nonnullis Iacensis Dioeceseos Paroeciis invaluit consuetudo, quae est immemorialis, qua in exsequiis Defunctorum, Officio persoluto, tres Missae celebrantur, quarum duae primae de Sancto, et sine Ministris, in ritu duplici, vel de Requie, ritu permittente, tertia vero, et vere exsequialis de die obitus, et cum Ministris, successive cani solet a Sacerdotibus funeri assistentibus. Hinc quaeritur: Utrum, virtute privilegii eidem Dioecesi Iacensi concessi, in qualibet hebdomada duas Missas de Requie canendi, praedictae duae Missae primae eodem die exsequiarum in eadem Ecclesia et in eodem altari absque Ministris celebratae cum cantu post Officium Defunctorum, permitti possit ut sint de Requie in Duplicibus minoribus et maioribus tantum, iuxta Decretum n. **3472**, Tarantasien., 18 Decembris 1878?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit: Negative, et detur Decretum n. **2915**, Tuden., 23 Maii 1846, ad XI.

Atque ita rescripsit, die 2 Septembris 1903.

4119. PHAREN.

Hodiernus Rmus Ordinarius Pharen. a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

I. An Absolutiones quae fiunt in exsequiis Summi Pontificis, Episcopi Ordinarii vel Imperatoris etc., iuxta Caeremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum, peragendae sint a Dignitatibus seu Canonicis in Ecclesia cathedrali; vel etiam haberi possint a simplicibus Sacerdotibus ex Clero sive saeculari sive regulari, et in aliis Ecclesiis?

II. An Rubricae et Decreta, circa Missas de Requie privilegiatas, respiciant etiam Missas de Requie, quae celebrantur pro Summo Pontifice, Episcopo Ordinario vel Imperatore etc., ita ut haec postremae Missae nullo gaudeant speciali privilegio, diebus per Rubricas vel Decreta impeditis?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Dictae Absolutiones fieri debent a Dignitatibus, et in Ecclesia cathedrali, vel in alia, arbitrio Ordinarii eligenda, si ipsa Ecclesia cathedralis impedita fuerit. In ceteris autem Ecclesiis, et a simplicibus Sacerdotibus non sunt faciendae, nisi interveniente Apostolico Indulto.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 20 Novembris 1903.

4120. ORDINIS MINORUM PROVINCIAE ANGLIAE.

Calendarista Provinciae Angliae Ordinis Minorum, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime postulavit; nimirum:

I. An Commemoratio Festi simplicis primarii debeat praecedere Commemorationem Festi simplicis secundarii, ita ut in Festo duplici S. Romualdi Ab., quod die 15 Februarii repositum colitur, prius commemorari oporteat Festum natale Ss. Faustini et Iovitae Mm., quam Translationem S. Antonii Patavini?

II. An Festa Dedicationis Basilicarum Assisiensium, de Portiuncula nempe atque de S. Francisco, quae a Benedicto XIII uti Matrices et Capita Ecclesiarum Ordinis Seraphici declarantur, uti Festa primaria debeant in universo Fratrum Minorum Ordine haberi, quemadmodum sunt in universo Orbe Dedicationes Basilicarum Urbis?

III. An sub 5 die Iulii Commemoratio Octavae SS. App. Petri et Pauli, etiam in Ecclesiis consecratis, anteponenda sit Commemorationi diei infra Octavam Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis Seraphici, quamvis in Breviario Romano-Seraphico contrarium hucusque ordinetur?

IV. An Festum gaudens Octava, si dies libera infra Octavam occurrit, in repositione praeferatur Festo altioris ritus vel dignitatis, quod Octavam non habet?

V. An in Festo Translationis S. Francisci atque Inventionis S. Clarae, silente Breviario Romano-Seraphico, Hymni proprii, qui sunt ordine historico exarati, debeant in casu impedimenti transponi, vel pro casuum diversitate coniungi?

VI. An die octava S. Thomae Cantuariensis legi possint in III Nocturno Lectiones Homiliae *Audistis*, ut in Dominica II post Pascha, quae multis locis iam concessae sunt, licet nondum in Octavario insertae?

VII. An ex Decreto n. 2390, Varsavien., 7 Maii 1746, ad V, Collecta de SS. Sacramento prohibeatur in Missis privatis durante expositione, quae non fit pro publica causa, vel addi possit, pro libitu Sacerdotis?

VIII. Missa conventualis incipiendane est dicto ℣. *Benedicamus Domino* et ℟. *Deo gratias*, praecedentis Horae canonicae, in nocte Nativitatis Domini, vel adhuc addendum est *Fidelium animae* etc. et *Pater noster*, ut quidam volunt?

IX. Sunt quaedam in Anglia Ecclesiae Missionum, quae conventum Monialium S. Clarae adnexum habent, quarum chorus, modo consueto, vel per crates, cum Ecclesia communicat. Num istae Ecclesiae, quoad Missae celebrationem, habendae sint tamquam Ecclesiae Monialium, ita ut inibi Missae legi debeant Officio earum conformes?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo expensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta Decreta.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative ad utramque partem.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Commemoratio SS. Sacramenti omnino omittitur durante expositione ex causa privata.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem, iuxta Rubricam specialem in Nativitate Domini; negative ad secundam.

Ad IX. Negative, in casu.

Atque ita rescripsit et indulsit, die 20 Novembris 1903.

4121. MOTU PROPRIO

SS. D. N. PII PAPAE X

De Musica Sacra.

PIO PP. X.

Tra le sollecitudini dell'officio pastorale, non solamente di questa Suprema Cattedra, che per inscrutabile disposizione della Provvidenza, sebbene indegni, occupiamo, ma di ogni Chiesa particolare, senza dubbio è precipua quella di mantenere e promuovere il decoro della Casa di Dio, dove gli augusti misteri della Religione si celebrano, e dove il popolo cristiano si raduna, onde ricevere la grazia dei Sacramenti, assistere al santo Sacrificio dell'Altare, adorare l'augustissimo Sacramento del Corpo del Signore, ed unirsi alla preghiera comune della Chiesa, nella pubblica e solenne officiatura liturgica. Nulla adunque deve occorrere nel tempio, che turbi od anche solo diminuisca la pietà e la devozione dei fedeli, nulla che dia ragionevole motivo di disgusto o di scandalo, nulla sopratutto che direttamente offenda il decoro e la santità delle sacre funzioni, e però sia indegno della Casa di orazione e della maestà di Dio.

Non tocchiamo partitamente degli abusi, che in questa parte possono occorrere. Oggi l'attenzione Nostra si rivolge ad uno dei più comuni, dei più difficili a sradicare, e che talvolta si deve deplorare anche là, dove ogni altra cosa è degna del massimo encomio per la bellezza e sontuosità del Tempio, per lo splendore e per l'ordine accurato delle Cerimonie, per la frequenza del Clero, per la gravità e per la pietà dei Ministri che celebrano. Tale è l'abuso nelle cose del canto e della musica sacra. Ed invero, sia per la natura di quest'arte per se medesima fluttuante e variabile, sia per la successiva alterazione del gusto e delle abitudini lungo il correr dei tempi, sia pel funesto influsso che sull'arte sacra esercita l'arte profana e teatrale, sia pel piacere che la musica direttamente produce, e che non sempre torna facile contenere nei giusti termini, sia infine per i molti pregiudizi, che in tale materia di leggeri

PIUS PP. X.

Inter pastoralis officii sollicitudines, non modo de Suprema hac Cathedra, quam inscrutabili Providentissimi Dei voluntate, licet indigni, tenemus, sed etiam de Ecclesiis singulis, ea proculdubio est praecipua, ut decorem Domus Dei servemus atque promoveamus, ubi augusta Religionis mysteria celebrantur, populusque Christianus cogitur ad Sacramentorum gratiam excipiendam, sancto Altaris Sacrificio adstandum, augustissimam Eucharistiam adorandam, ut denique in publicis iisque solemnibus Sacris liturgicis communium Ecclesiae precum particeps fiat. Ne quid igitur occurrat in Templo necesse est, unde fidelium pietas ac devotio avocetur, vel tantum imminuatur, nihil in primis quod sacrarum Caeremoniarum gravitatem sanctitatemque offendat, atque ideo Domo orationis Deique maiestate indignum evadat.

Abusus, qui ex hac parte incidere possunt, omnes non attingimus; hodie enim animus ad unum ex frequentioribus convertitur, eumque inter difficillimos qui evellatur, talem immo, ut vel illis sic interdum deplorandus, ubi cetera omnia, tum ob Templi pulchritudinem atque magnificentiam, tum ob Caeremoniarum splendorem ordinemque accuratum, et Cleri frequentia, et administrorum Sacra agentium dignitate ac pietate, maximam laudem mereantur. Abusum dicimus de rebus quae ad cantum sacramque musicam spectant. Re quidem vera, sive huius artis ipsa natura nutanti atque varia, sive iudicii ac morum per saeculorum cursum secuta immutatione, sive funesta illa vi, quam in artem sacram ars profana atque theatralis exercet, sive voluptate quam musica directo producit, neque facile debitis finibus potest contineri, sive denique praeiudicatis opinionibus levi opera in rem sese in-

s'insinuano, e si mantengono poi tenacemente anche presso persone autorevoli e pie, v'ha una continua tendenza a deviare dalla retta norma, stabilita dal fine. per cui l'arte è ammessa a servigio del culto, ed espressa assai chiaramente nei Canoni ecclesiastici, nelle Ordinazioni dei Concilî generali e provinciali, nelle prescrizioni a più riprese emanate dalle Sacre Congregazioni romane e dai Sommi Pontefici Nostri Predecessori.

Con vera soddisfazione dell'animo Nostro, Ci è grato riconoscere il molto bene che in tal parte si è fatto negli ultimi decenni anche in questa Nostra alma Città di Roma ed in molte Chiese della patria Nostra, ma in modo più particolare presso alcune nazioni, dove uomini egregi e zelanti del culto di Dio, con l'approvazione di questa Santa Sede, e sotto la direzione dei Vescovi, si unirono in fiorenti Società, e rimisero in pienissimo onore la musica sacra pressochè in ogni loro Chiesa o Cappella. Codesto bene tuttavia è ancora assai lontano dall'essere comune a tutti, e se consultiamo l'esperienza nostra personale, e teniamo conto delle moltissime lagnanze che da ogni parte Ci giunsero in questo poco tempo, dacchè piacque al Signore di elevare l'umile Nostra Persona al supremo apice del Pontificato Romano, senza differire più a lungo, crediamo Nostro primo dovere di alzare subito la voce a riprovazione e condanna di tutto ciò che nelle funzioni del culto e nell'officiatura ecclesiastica si riconosce difforme dalla retta norma indicata. Essendo infatti Nostro vivissimo desiderio, che il vero spirito cristiano rifiorisca per ogni modo e si mantenga nei fedeli tutti, è necessario provvedere prima di ogni altra cosa alla santità e dignità del Tempio, dove appunto i fedeli si radunano per attingere tale spirito dalla sua prima ed indispensabile fonte, che è la partecipazione attiva ai sacrosanti Misteri e alla preghiera pubblica e solenne della Chiesa. Ed è vano sperare che a tal fine su noi discenda copiosa la benedizione del Cielo, quando il nostro ossequio all'Altissimo, anzichè ascendere in odore di soavità, rimette invece nella mano del Signore i flagelli, onde altra volta il divin Redentore cacciò dal tempio gli indegni profanatori.

Per la qual cosa, affinchè niuno possa d'ora innanzi recare a scusa di non cono-

gerentibus, ac deinde vel in cordatis atque piis hominibus tenacius adhaerentibus, voluntas in id usque contendit, ut a recta via commode aberret, quam sibi statuit consilium, unde ars ad cultus famulatum adhiberetur, et Ecclesiastici canones, Conciliorum generalium provincialiumque iussa, praecepta pluries edita a Sacris Congregationibus et a Summis Pontificibus, qui Nobis praecessere, satis aperte declararunt.

Bono, nec eodem parvo, quod ultimis hisce decenniis et in ipsa nostra alma Urbe pluribusque patriae nostrae Ecclesiis curatum est, valde quidem delectamur, eoque praesertim cui nonnullae nationes prospexere, ubi clarissimi viri divini cultus studiosi, ac Sancta Sede approbante, et Episcopis moderantibus, in florentes coetus quum convenissent, musicam sacram apud singulas fere Ecclesias sive Oratoria amplissimo honore retinuerunt. Hoc tamen bonum longe abest ut commune sit omnibus; itaque Nostra ipsi experientia edocti, et morem gerentes plurimis querelis brevi hoc temporis spatio ex quo Domino placuit humilitatem Nostram ad supremum Romani Pontificatus apicem evehere, undique Nobis oblatis, diuturnioris morae impatientes, muneri Nostri inter curas praecipuas hanc ducimus, in ea obloqui, eaque damnare, quae in cultus Caeremoniis et ecclesiasticis officiis a recta norma divertant. Cum enim vehementer Nobis cordi sit ut spiritus vere christianus in fidelibus omnibus undequaque reflorescat inviolatusque servetur, ante omnia sacrarum Aedium sanctitati dignitatique provideamus oportet, ubi scilicet fideles congregantur ad eundem spiritum ex primo eoque necessario fonte hauriendum, hoc est ex actuosa cum sacrosanctis Mysteriis, publicis solemnibusque Ecclesiae precibus communicatione. Atqui frustra sperabimus fore ut ad huiusmodi finem assequendum Dei benedictio abunde in nos demittatur, si Dei obsequium, potius quam cum odore suavitatis ascendant, contra in manus Domini flagella committat, unde alias divinus Redemptor indignos e templo violatores eiecit.

Ne quis igitur in posterum officii sui ignorantiam excuset, utque, circa praescri-

scere chiaramente il dover suo, e sia tolta ogni indeterminatezza nell'interpretazione di alcune cose già comandate, abbiamo stimato espediente additare con brevità quei principî che regolano la musica sacra nelle funzioni del culto, e raccogliere insieme in un quadro generale le principali prescrizioni della Chiesa contro gli abusi più comuni in tale materia. E però di moto proprio e certa scienza pubblichiamo la presente Nostra *Istruzione,* alla quale, quasi a *Codice giuridico della musica sacra,* vogliamo dalla pienezza della Nostra Autorità Apostolica sia data forza di legge, imponendone a tutti col presente Nostro Chirografo la più scrupolosa osservanza.

ISTRUZIONI SULLA MUSICA SACRA.

I. — Principî generali.

1. La musica sacra, come parte integrante della solenne Liturgia, ne partecipa il fine generale, che è la gloria di Dio e la santificazione ed edificazione dei fedeli. Essa concorre ad accrescere il decoro e lo splendore delle Cerimonie ecclesiastiche, e siccome suo officio principale è di rivestire con acconcia melodia il testo liturgico, che viene proposto all'intelligenza dei fedeli, così il suo proprio fine è di aggiungere maggiore efficacia al testo medesimo, affinchè i fedeli con tale mezzo siano più facilmente eccitati alla devozione, e meglio si dispongano ad accogliere in sè i frutti della grazia, che sono propri della celebrazione dei sacrosanti Misteri.

2. La musica sacra deve per conseguenza possedere nel grado migliore le qualità che sono proprie della Liturgia, e precisamente la *santità* e la *bontà delle forme,* onde sorge spontaneo l'altro suo carattere, che è l'*universalità.*

Deve essere *santa,* e quindi escludere ogni profanità, non solo in se medesima, ma anche nel modo onde viene proposta, per parte degli esecutori.

Deve essere *arte vera,* non essendo possibile che altrimenti abbia sull'animo di chi l'ascolta quell'efficacia, che la Chiesa intende ottenere, accogliendo nella sua Liturgia l'arte dei suoni.

Ma dovrà insieme essere *universale* in questo senso, che pur concedendosi ad ogni nazione di ammettere nelle composizioni chiesastiche quelle forme particolari, che

pta de re nonnulla, ambiguitas quaevis tollatur, opportunum existimavimus, brevi ea principia indicare, quae in cultus Caeremoniis musicam sacram moderantur, atque simul, veluti in unica tabula, praecipua Ecclesiae praecepta in abusus magis frequentes describere. Itaque, motu proprio et certa scientia, Nostram hanc *Instructionem* edi curavimus, cui tanquam *Codici musicae sacrae iuridico* ex plenitudine Auctoritatis Nostrae Apostolicae vim legis tribui volumus, Nostro hoc Chirographo diligentissimam eius observantiam omnibus praecipientes.

INSTRUCTIO DE MUSICA SACRA.

I. — Principia generalia.

1. Musica sacra, utpote solemnis Liturgiae pars necessaria, huius finem generalem participat, qui gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium. Ad sacrarum Caeremoniarum decus ac splendorem augendum ipsa concurrit, quumque peculiare eius officium in hoc versetur, ut aptis concentibus liturgicum textum exornet fidelium menti propositum, proprium ei munus addicitur maiorem vim eidem textui adiungendi, quo facilius inde fideles ad pietatem excitentur, meliusque animum disponant ad gratiae fructus consequendos, qui a celebratis divinis Mysteriis proveniunt.

2. Itaque musica sacra proprias Liturgiae qualitates possideat necesse est, in primisque *sanctitatem* ac *bonitatem formae;* unde alia nota suapte exoriatur, *universitas.*

Cum *sancta* esse debeat, quidvis profanum occurrat, non modo ex re ipsa amovendum est, sed etiam ex ratione, quae per exsequutores proponitur.

Verae insuper *artis* specimen exhibeat; neque enim aliter in audientium animos influere tantum potest, quantum Ecclesia, concentuum artem in Liturgiam admittens, sibi pollicetur.

At simul *universalis* esto, ita quidem ut, concessa singulis nationibus facultate in sacris modis certas formas adhibendi, quae peculiarem quodammodo notam suae

costituiscono in certo modo il carattere specifico della musica loro propria, queste però devono essere in tal maniera subordinate ai caratteri generali della musica sacra, che nessuno di altra nazione all'udirle debba provarne impressione non buona.

cuiusque musices constituant, hae tamen eo ritu musicae sacrae naturae generali subiiciantur, ut nemo ex exteris gentibus, eas accipiens, ingrate ferat.

II. — Generi di musica sacra.

3. Queste qualità si riscontrano in grado sommo nel canto gregoriano, che è per conseguenza il canto proprio della Chiesa Romana, il solo canto ch'essa ha ereditato dagli antichi padri, che ha custodito gelosamente lungo i secoli nei suoi Codici liturgici, che come suo direttamente propone ai fedeli, che in alcune parti della Liturgia esclusivamente prescrive, e che gli studi più recenti hanno sì felicemente restituito alla sua integrità e purezza.

Per tali motivi, il canto gregoriano fu sempre considerato come il supremo modello della musica sacra, potendosi stabilire con ogni ragione la seguente legge generale: *Tanto una composizione per Chiesa è più sacra e liturgica, quanto più nell'andamento, nella ispirazione e nel sapore si accosta alla melodia gregoriana, e tanto è meno degna del Tempio, quanto più da quel supremo modello si riconosce difforme.*

L'antico canto gregoriano tradizionale dovrà dunque restituirsi largamente nelle funzioni del culto, tenendosi da tutti per fermo, che una funzione ecclesiastica nulla perde della sua solennità, quando pure non venga accompagnata da altra musica che da questo soltanto.

In particolare, si procuri di restituire il canto gregoriano nell'uso del popolo, affinchè i fedeli prendano di nuovo parte più attiva all'officiatura ecclesiastica, come anticamente solevasi.

4. Le anzidette qualità sono pure possedute in ottimo grado dalla classica polifonia, specialmente della Scuola Romana, la quale nel secolo XVI ottenne il massimo della sua perfezione per opera di Pierluigi da Palestrina, e continuò poi a produrre anche in seguito composizioni di eccellente bontà liturgica e musicale. La classica polifonia assai bene si accosta al supremo modello di ogni musica sacra che è il canto gregoriano, e per questa ragione meritò di essere accolta insieme col canto grego-

II. — Musicae sacrae genera.

3. Qualitates hae in gregorianis concentibus maxime inveniuntur; igitur huiusmodi cantus Ecclesiae Romanae proprius est: unum hunc ab antiquis patribus haereditate accepit, hunc summa cura longo saeculorum cursu in Codicibus liturgicis custodivit, hunc tamquam suum directo fidelibus proponit, hunc in nonnullis Liturgiae partibus unice constituit, quem recentissima studia ad pristinam integritatem puritatemque tam feliciter reddiderunt.

His de causis gregorianus cantus tamquam musicae sacrae supremum exemplar ita habitus est, ut iure lex haec generalis enuntiari queat: *Eo magis musicum opus Ecclesiae inserviens sacrum esse atque liturgicum, quo magis ratione sua, afflatu, sapore ad melos gregorianum accedat; contra eo minus Templo dignum esse, quo magis ab exemplo illo recedat.*

Itaque vetus gregorianus cantus traditione perceptus late in Sacris restituendus est, quum omnes pro certo habeant, divinam rem nihil magnificentiae suae amittere, licet unice cum hoc musico genere consocietur.

Nominatim autem gregorianus cantus in populi usum restituendus curetur, quo ad divinas laudes Mysteriaque celebranda magis agentium partem antiquorum more, fideles conferant.

4. Memoratas hactenus notas praeter modum possidet quoque *classica*, pronti vulgo dicitur, polyphonia, Romanae Scholae praesertim, cuius saeculo XVI Petrus-Aloisius Praenestinus exstitit perfector; nec desiit postea exquisitae excellentiae, tum liturgicae tum musicae, opera proferre. Classica enim polyphonia ad gregorianos concentus, exemplum unicum musicae sacrae omnis, plane accedit, atque inde una cum gregoriano cantu ad sollemnia Ecclesiae maxima, quae in Caeremoniis

riano, nelle funzioni più solenni della Chiesa, quali sono quelle della Cappella Pontificia. Dovrà dunque anche essa restituirsi largamente nelle funzioni ecclesiastiche, specialmente nelle più insigni Basiliche, nelle Chiese cattedrali, in quelle dei seminari e degli altri istituti ecclesiastici, dove i mezzi necessari non sogliono fare difetto.

5. La Chiesa ha sempre riconosciuto e favorito il progresso delle arti, ammettendo a servizio del culto tutto ciò che il genio ha saputo trovare di buono e di bello nel corso dei secoli, salve però sempre le leggi liturgiche. Per conseguenza, la musica più moderna è pure ammessa in Chiesa, offrendo anch'essa composizioni di tale bontà, serietà e gravità, che non sono per nulla indegne delle funzioni liturgiche.

Nondimeno, siccome la musica moderna è sorta precipuamente a servigio profano, si dovrà attendere con maggior cura, perchè le composizioni musicali di stile moderno, che si ammettono in Chiesa, nulla contengano di profano, non abbiano reminiscenze di motivi adoperati in teatro, e non siano foggiate neppure nelle loro forme esterne sull'andamento dei pezzi profani.

6. Fra i vari generi della musica moderna, quello che apparve meno acconcio ad accompagnare le funzioni del culto è lo stile teatrale, che durante il secolo scorso fu in massima voga, specie in Italia. Esso per sua natura presenta la massima opposizione al canto gregoriano ed alla classica polifonia, e però alla legge più importante di ogni buona musica sacra. Inoltre l'intima struttura, il ritmo e il cosidetto *convenzionalismo* di tale stile non si piegano, se non malamente, alle esigenze della vera musica liturgica.

III. — Testo liturgico.

7. La lingua propria della Chiesa Romana è la latina. È quindi proibito nelle solenni funzioni liturgiche di cantare in volgare qualsivoglia cosa; molto più poi di cantare in volgare le parti variabili o comuni della Messa e dell'Officio.

8. Essendo per ogni funzione liturgica determinati i testi che possono proporsi in musica, e l'ordine con cui devono proporsi, non è lecito nè di confondere quest'ordine, nè di cambiare i testi prescritti

Pontificis habentur, excipi meruit. Quare et ipsa late in Sacris restituenda erit, apud insigniores Basilicas praesertim, apud cathedrales Ecclesias, apud seminaria aliaque ecclesiastica collegia, ubi ad rem necessaria minime desiderentur.

5. Ecclesia artium progressum indesinenter coluit, eique favet, ad religionis usum omnia admittens, quae hominis mens bona pulcraque per saeculorum cursum invenit, salvis tamen liturgicis legibus. Recentissimum itaque musicae genus et ipsum probatur, quippe quod opera excellentiae, sapientiae, gravitatis plena exhibeat, sacris Caeremoniis indigna.

Quia vero recentioris musicae genus ad profanum usum praecipue ortum sit, in hoc maior erit collocanda cura, ne eiusmodi opera hodierno stylo accommodata quidquam profani afferant, neve theatralia argumenta redoleant, neu denique in ipsis formis externis ad exemplum profani cantus effingantur.

6. Inter varia recentioris musicae genera, theatralis stylus, superiore saeculo cum maxime in Italia vulgatus, ad divinas res prosequendas minus idoneus visus est; natura enim sua gregorianae rationi classicaeque polyphoniae, atque ideo supremae legi sacrae musices cuiusvis opponitur. Praeterea intima structura, rythmus, *conventionalismus,* ut aiunt, recentioris huius artis, nonnisi male respondet iis, quae cantus vere liturgicus postulat.

III. — De textu liturgico.

7. Proprius Romanae Ecclesiae sermo latinus est; itaque in sollemnibus Sacris liturgicis prohibentur omnino cantus, vulgari eloquio editi; eoque magis circa partes variabiles, vel communes tum Missae, tum Officii.

8. Quum in Sacris liturgicis singulis textus musices proponendi ac propositionis ordo apprime fuerint constituti, neque licet ordinem hunc subvertere, neque praescriptos textus ad nutum mutare, neque

in altri di propria scelta, nè di ometterli per intero od anche solo in parte, se pure le Rubriche liturgiche non consentano di supplire con l'organo alcuni versetti del testo, mentre questi vengono semplicemente recitati in Coro. Soltanto è permesso, giusta la consuetudine della Chiesa Romana, di cantare un mottetto al SS. Sacramento dopo il *Benedictus* della Messa solenne. Si permette pure che, dopo cantato il prescritto offertorio della Messa, si possa eseguire, nel tempo che rimane, un breve mottetto sopra parole approvate dalla Chiesa.

9 Il testo liturgico deve essere cantato come sta nei libri, senza posposizione o alterazione di parole, senza indebite ripetizioni, senza spezzarne le sillabe, e sempre in modo intelligibile ai fedeli che ascoltano.

IV. — Forma esterna delle sacre composizioni.

10. Le singole parti della Messa e dell'Officiatura devono conservare anche musicalmente quel concetto e quella forma che la tradizione ecclesiastica ha loro dato, e che trovasi assai bene espressa nel canto gregoriano. Diverso dunque è il modo di comporre un *Introito*, un *Graduale*, un'*Antifona*, *un Salmo*, un *Inno*, un *Gloria in excelsis*, ecc.

11. In particolare si osservino le norme seguenti :

a) Il *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, ecc. della Messa devono mantenere l'unità di composizione, propria del loro testo. Non è dunque lecito di comporli a pezzi separati, così che ciascuno di tali pezzi formi una composizione musicale compiuta, e tale che possa staccarsi dal rimanente e sostituirsi con altra.

b) Nell'officiatura dei Vespri si deve ordinariamente seguire la norma del *Caeremoniale Episcoporum*, che prescrive il canto gregoriano per la salmodia, e permette la musica figurata pe' versetti del *Gloria Patri* e per l'Inno.

Sarà nondimeno lecito, nelle maggiori solennità, di alternare il canto gregoriano del Coro coi cosidetti *falsibordoni*, o con versi in simile modo convenientemente composti.

Si potrà eziandio concedere qualche volta che i singoli Salmi si propongano per

ex integro, vel tantum in parte omittere, nisi forte Rubricae concedant textus aliquot versus, dum simpliciter in Choro recitantur, suppleri organo. Unum, iuxta Ecclesiae Romanae consuetudinem, conceditur, post sollemnis Missae ℣. *Benedictus*, canticulum SS. Eucharistiae. Permittitur etiam, post rite cantatum Missae *Offertorium*, reliquum tempus dare brevi canticulo super verba ab Ecclesia approbata.

9. Textus liturgicus canendus est, prout exstat in libris, nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptionibus prorsus amotis, atque ita semper, ut ab audientibus percipi possit.

IV. — De forma externa sacrae musicae operum.

10. Singulae tum Missae tum divini Officii partes, musice quoque sensus formamque servare debent, qualem traditio ecclesiastica invexit, atque optime cantu gregoriano exprimitur. Alia est igitur ratio qua *Introitus*, alia qua *Graduale*, *Antiphona*, *Psalmus*, *Hymnus*, *Gloria in excelsis*, etc. componantur.

11. Peculiares autem hae normae serventur :

a) *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, etc. in Missa unitatem praeseferant sui cuiusque textus propriam. Non itaque licet ea partibus separatis componere, quasi unaquaeque pars musicum opus absolutum efficiat, quod a reliquis secerni possit in eorumve locum substitui.

b) In Vesperarum sacris peragendis, standum communiter normis *Caeremonialis Episcoporum*, cantum gregorianum in psalmodia iubentis, et musicam figuratam permittentis in ℣. *Gloria Patri* et Hymno.

Licebit tamen in sollemnioribus alternis psallere, et gregorianum cantum, et concentus eos, qui *falsibordoni* italice nuncupantur, sive versus simili modo apte dispositos.

Interdum etiam concedi poterit ut singuli psalmi ex integro musice proponan-

intero in musica, purchè in tali composizioni sia conservata la forma propria della salmodia; cioè, purchè i cantori sembrino salmeggiare tra loro, o con nuovi motivi, o con quelli presi dal canto gregoriano, o secondo questo imitati.

Restano dunque per sempre esclusi e proibiti i Salmi cosidetti *di concerto*.

c) Negli Inni della Chiesa si conservi la forma tradizionale dell'Inno. Non è quindi lecito di comporre, p. es. il *Tantum ergo,* per modo che la prima strofa presenti una romanza, una cavatina, un adagio, e il *Genitori* un allegro.

d) Le Antifone dei Vespri devono essere proposte d'ordinario con la melodia gregoriana loro propria. Se però in qualche caso particolare si cantassero in musica, non dovranno mai avere nè la forma di una melodia di concerto, nè l'ampiezza di un mottetto e di una cantata.

tur, dummodo hisce in operibus psalmodiae forma propria servetur, id est talis ut cantores psallere inter sese videantur sive novis concentibus, sive modis e cantu gregoriano depromptis, vel eius similitudinem praeseferentibus.

Psalmi igitur symphoniaci (italice *di concerto*) excluduntur prorsus ac vetantur.

c) In Ecclesiae Hymnis forma antiquitus tradita servetur. Quamobrem non licet cantico, ex gr. *Tantum ergo,* eos modos aptare, qui in stropha priore flebiles illas formas exhibeant, vulgo *romanza, cavatina, adagio* appellatas, in altera vero, *Genitori,* etc. festivum genus.

d) Vesperarum Antiphonae gregorianis modis sibi propriis generatim proponantur. Quod si interdum, singulari aliquo in casu, musice canantur, numquam iis erit symphoniacus modus, neque canticuli vel cantionis amplitudo.

V. — **Cantori.**

12. Tranne le melodie proprie del Celebrante all'Altare e dei Ministri, le quali devono essere sempre in solo canto gregoriano, senza alcun accompagnamento d'organo, tutto il resto del canto liturgico è proprio del Coro dei Leviti, e però i cantori di Chiesa, anche se sono secolari, fanno propriamente le veci del Coro ecclesiastico. Per conseguenza, le musiche che propongono, devono, almeno nella loro massima parte, conservare il carattere di musica da Coro.

Con ciò non s'intende del tutto esclusa la voce sola. Ma questa non deve mai predominare nella funzione, così che la più gran parte del testo liturgico sia in tale modo eseguita; piuttosto deve avere il carattere di semplice accenno o spunto melodico ed essere strettamente legata al resto della composizione a forma di coro.

13. Dal medesimo principio segue che i cantori hanno in Chiesa vero officio liturgico, e che però le donne, essendo incapaci di tale officio, non possono essere ammesse a far parte del Coro o della cappella musicale. Se dunque si vogliono adoperare le voci acute dei soprani e contralti, queste dovranno essere sostenute dai fanciulli, secondo l'uso antichissimo della Chiesa.

14. Per ultimo non si ammettano a far parte della cappella di Chiesa se non uo-

V. — **De cantoribus.**

12. Exceptis modis, qui Sacerdotis ad Altare Sacra peragentis Administrorumque proprii sunt, ac semper ex uno gregoriano cantu nullaque organi modulatione constabunt, reliquus cantus liturgicus Chori Levitarum est, quorum vice ecclesiastici cantores proprie funguntur. Quae igitur musica opera ipsi ferunt, maxima saltem ex parte, ad choralis musicae normam procedere debent.

Non tamen unius vocis melos prorsus arcetur; ea vero ne in Sacris ita umquam praevaleat, ut maxima textus pars hoc ritu perficiatur; sit imo ei nota significationis aut harmonici indicii, arcteque cum reliqua chorali compositione colligetur.

13. Quum cantoribus in Ecclesia munus vere liturgicum sit, consequitur, mulieres, talis officii expertes, ad Chori partem agendam, aut ullo modo in musicum Chorum admitti non posse. Quod si acutae, vel acutis proximae voces adhiberi velint, antiquissimo Ecclesiae more, id pueri praestabunt.

14. Ne quis denique cantor in Ecclesiae Chorum inducatur, nisi constiterit de eius

mini di conosciuta pietà e probità di vita, i quali, col loro modesto e devoto contegno, durante le funzioni liturgiche, si mostrino degni del santo officio che esercitano. Sarà pure conveniente che i cantori, mentre cantano in Chiesa, vestano l'abito ecclesiastico e la cotta, e se trovansi in cantorie troppo esposte agli occhi del pubblico, siano difesi da grate.

pietate atque integritate vitae, eumque modestiam religionemque praeferre, quae sanctum decent officium, cui ipse addicitur. Rei insuper conveniet, cantores, dum in templis canunt, vestibus ecclesiasticis ac superpelliceo indui; quod si in suggestu locum habeant, fidelium oculis ultra modum patente, eos clathris abscondi.

VI. — Organo ed istrumenti.

15. Sebbene la musica propria della Chiesa sia la musica puramente vocale, nondimeno è permessa eziandio la musica con accompagnamento d'organo. In qualche caso particolare, nei debiti termini e coi convenienti riguardi, potranno anche ammettersi altri strumenti, ma non mai senza licenza speciale dell'Ordinario, giusta la prescrizione del *Caeremoniale Episcoporum*.

16. Siccome il canto deve sempre primeggiare, così l'organo e gli strumenti devono semplicemente sostenerlo, e non mai opprimerlo.

17. Non è permesso di premettere al canto lunghi preludi o d'interromperlo con pezzi di intermezzo.

18. Il suono dell'organo negli accompagnamenti del canto, nei preludi, interludi e simili, non solo deve essere condotto secondo la propria natura di tale strumento, ma deve partecipare di tutte le qualità che ha la vera musica sacra, e che si sono precedentemente annoverate.

19. È proibito in Chiesa l'uso del pianoforte, come pure quello degli strumenti fragorosi o leggeri, quali sono il tamburo, la grancassa, i piatti, i campanelli e simili.

20. È rigorosamente proibito alle cosidette bande musicali di suonare in Chiesa; e solo in qualche caso speciale, posto il consenso dell'Ordinario, sarà permesso di ammettere una scelta limitata, giudiziosa e porporzionata all'ambiente, di strumenti a fiato, purchè la composizione e l'accompagnamento da eseguirsi sia scritto in stile grave, conveniente, e simile in tutto a quello dell'organo.

21. Nelle processioni fuori di Chiesa può essere permessa dall'Ordinario la banda

VI. — De organo et musicis instrumentis.

15. Quamvis musica Ecclesiae propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam organo moderari. Speciali ratione, debitis terminis, servatisque tutelis servandis, alia musica instrumenta adhiberi poterunt; numquam vero sine speciali venia Ordinarii iuxta *Caeremonialis Episcoporum* praescripta.

16. Quum cantus primum semper locum obtinere debeat, organum aliaque musica instrumenta cantum adiuvent, numquam opprimant.

17. Non licet cantui instrumentis late praeludere, neque iisdem exordiorum moram facere.

18. Organi sonus cantum socians, vel eidem praeludens, interludens, etc., non modo iuxta naturam huius instrumenti propriam perducatur, sed omnium qualitatum, quibus musica vere sacra pollet, quamque superius memoravimus, particeps esto.

19. In Templis, tum musici instrumenti, cui vulgo *pianoforte* nomen inditum est, tum instrumentorum omnium maiorem vel minorem strepitum edentium, utpote tympanorum cuiusvis formae et molis, crotalium, tintinnabulorum et similium, usus vetatur.

20. Severe prohibetur symphoniacorum catervis (vulgo *bande musicali*) in Templis psallere; tantum speciali aliqua ratione, ex venia Ordinarii, licebit admitti eorum manipulum delectum, numero circumscriptum, cantum, loco congruentem, qui spiritalibus instrumentis ludant, dummodo et musicum opus et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant, eundemque comparem et omnino similem vocis organi propriae.

21. In pompis extra Templum ab Ordinario permitti potest symphoniacorum ca-

musicale, purchè non si eseguiscano in nessun modo pezzi profani. Sarebbe desiderabile in tali occasioni che il concerto musicale si restringesse ad accompagnare qualche cantico spirituale in latino o volgare, proposto dai cantori o dalle pie Congregazioni, che prendono parte alla Processione.

VII. — Ampiezza della musica liturgica.

22. Non è lecito, per ragione del canto o del suono, fare attendere il Sacerdote all'Altare più di quello che comporti la Cerimonia liturgica. Giusta le prescrizioni ecclesiastiche, il *Sanctus* della Messa deve essere compiuto prima della elevazione, e però anche il Celebrante deve in questo punto avere riguardo ai cantori. Il *Gloria* ed il *Credo*, giusta la tradizione gregoriana, devono essere relativamente brevi.

23. In generale è da condannare come abuso gravissimo, che nelle funzioni ecclesiastiche la Liturgia apparisca secondaria, e quasi a servizio della musica, mentre la musica è semplicemente parte della Liturgia, e sua umile ancella.

VIII. — Mezzi precipui.

24. Per l'esatta esecuzione di quanto viene qui stabilito, i Vescovi, se non l'hanno già fatto, istituiscano nelle loro Diocesi una Commissione speciale di persone competenti in cose di musica sacra, alla quale, nel modo che giudicheranno più opportuno, sia affidato l'incarico d'invigilare sulle musiche che si vanno eseguendo nelle loro Chiese. Nè badino soltanto che le musiche siano per sè buone, ma che rispondano altresì alle forze dei cantori, e vengano sempre bene eseguite.

25. Nei seminari dei Chierici e negli istituti ecclesiastici, giusta le prescrizioni tridentine, si coltivi da tutti con diligenza ed amore il prelodato canto gregoriano tradizionale, ed i superiori siano in questa parte larghi di incoraggiamento e di encomio coi loro giovani sudditi. Allo stesso modo, dove torni possibile, si promuova tra i Chierici la fondazione di una *Schola Cantorum* per l'esecuzione della sacra polifonia e della buona musica liturgica.

26. Nelle ordinarie lezioni di Liturgia, di morale, di gius canonico che si dànno agli

tervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat concentus. Optandum est, in huiusmodi vicibus, symphoniacis munus hoc unum tribui, ut spirituale aliquod canticum moderentur, sive latino sive vulgari eloquio a cantoribus propositum, aut a piis Congregationibus, quae pompae adsunt.

VII. — Liturgicae musicae amplitudo.

22. Minime licet, cantus sive sonus causa, Sacerdotem ad Altare ultra tempus Caeremoniae liturgicae conveniens immorari. Iuxta ecclesiastica monita, ℣. *Sanctus* in Missa ante « elevationem » absolvendus est; quamquam et ipse Sacerdos, Sacra peragens, cantorum rationem habere debet. *Gloria* et *Credo*, ad gregorianae traditionis normam, breviora sunto.

23. Damnandum denique habendumque loco abusus gravissimi, quod in sacris Caeremoniis secundae partes deferri Liturgiae videantur, quasi haec famulatum musicae praestet: quum contra nonnisi pars Liturgiae musica sit, humilisque eiusdem ancilla.

VIII. — Modi ad rem exsequendam praecipui.

24. Ut constituta heic ad amussim perficiantur, Episcopi, ni iam id praestiterint, in suis Dioecesibus coetum virorum constituant, apprime musicam sacram callentium, quibus, opportuniore quo poterunt modo, munus committant inquirendi in musica opera, quae suis in Templis canantur. Neque id solum curent, ut sint ipsa probabilia, sed etiam ut cantorum virtuti respondeant, atque optime exhibeantur.

25. In Clericorum seminariis atque in ecclesiasticis collegiis, ex tridentinis decretis, magna cum diligentia et amore ab omnibus colatur, quem supra laudavimus, gregorianus cantus traditione acceptus; quique praesunt rem adiuvent, late subiectorum animos confirmando, laudibusque cumulantes. Item, ubi fieri poterit, inter Clericos *Scholae Cantorum* institutio provehatur ad sacram polyphoniam bonamque musicam liturgicam optime exsequendam.

26. In ordinariis praeceptionibus Liturgiae, moralis disciplinae, iuris canonici,

studenti di teologia, non si tralasci di toccare quei punti che più particolarmente riguardano i principî e le leggi della musica sacra, e si cerchi di compierne la dottrina con qualche particolare istruzione circa l'estetica dell'arte sacra, affinchè i Chierici non escano dal seminario digiuni di tutte queste nozioni, pur necessarie alla piena cultura ecclesiastica.

27. Si abbia cura di restituire, almeno presso le Chiese principali, le antiche *Scholae Cantorum*, come si è già praticato con ottimo frutto in buon numero di luoghi. Non è difficile al Clero zelante d'istituire tali *Scholae* perfino nelle Chiese minori e di campagna, anzi trova in esse un mezzo assai facile d'adunare intorno a sè i fanciulli e gli adulti, con profitto loro proprio ed edificazione del popolo.

28. Si procuri di sostenere e promuovere in ogni miglior modo le scuole superiori di musica sacra, dove già sussistono, e di concorrere a fondarle, dove non si possiedono ancora. Troppo è importante che la Chiesa stessa provveda all'istruzione dei suoi maestri, organisti e cantori, secondo i veri principî dell'arte sacra.

IX. — Conclusione.

29. Per ultimo, si raccomanda ai maestri di cappella, ai cantori, alle persone del Clero, ai superiori dei seminari, degli istituti ecclesiastici e delle comunità religiose, ai Parroci e Rettori di Chiese, ai Canonici delle Collegiate e delle Cattedrali, e sopratutto agli Ordinari diocesani di favorire con tutto lo zelo queste sagge riforme, da molto tempo desiderate, e da tutti concordemente invocate, affinchè non cada in dispregio la stessa autorità della Chiesa, che ripetutamente le propose, ed ora di nuovo le inculca.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno della Vergine e Martire S. Cecilia, 22 novembre 1903, del Nostro Pontificato l'anno primo.

PIO PP. X.

quae theologiae tironibus impertiuntur, ea ne omittantur, quae ad principia legesque musicae sacrae proprius accedant; imo curetur, ut eiusmodi institutio peculiari eruditione de pulchri specie, seu de aesthetica artis sacrae perficiatur, ne clerici e seminariis dimittantur harum cognitionum ignari, quae necessariae sunt ad cultum ecclesiasticum integre absolvendum.

27. Curae quoque sit ut, apud Templa saltem praecipua, antiquae *Scholae Cantorum* restituantur, quemadmodum optimo fructu pluribus in locis factum est. Haud tamen divinae rei studioso Clero difficile erit *Scholas* has vel in Templis minoribus et rusticis concedere; quin etiam modum facillimum inde inveniet apud se congregandi pueros atque grandiores natu, ad ipsorum utilitatem populique optimum exemplum.

28. Superiores musicae sacrae Scholae pro viribus sustineantur atque evehantur; ubi autem non sint, ad ea constituenda opus conferatur. Maximi enim momenti est Ecclesiam ipsam ad suorum magistrorum, organicorum et cantorum institutionem incumbere, iuxta vera artis sacrae praecepta.

IX. — Conclusio.

29. Denique Chori magistris, cantoribus, ecclesiasticis viris, seminariorum, collegiorum, sodaliumque religiosorum moderatoribus, Curionibus, Templorum Rectoribus, collegialium cathedraliumque Ecclesiarum Canonicis, atque praecipue Dioecesium Ordinariis commendatur, ut omni diligentia sapientibus hisce reformationibus faveant, iamdiu desideratis, atque ab omnibus constanter invocatis, ne ipsa Ecclesiae auctoritas, quae non semel eas proposuit, nunc autem rursus suadet, in contemptionem adducatur.

Datum ex Aedibus Nostris Apostolicis ad Vaticanum, die Virgini ac Martyri Caeciliae dicato, XXII mensis novembris a. D. MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

4122. METEN.

Hodiernus Redactor Calendarii Dioeceseos Metensis, de consensu sui Rñi Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum humillime imploravit; nimirum:

I. Plures Ecclesiae Dioeceseos Meten. habent Titulares SS. Iacobum Apostolum et Christophorum Martyrem, die 25 Iulii in Calendario descriptos. Quaeritur, quomodo ordinandum sit Officium cum Missa in casu?

II. Ex Decreto S. R. C., diei 7 Septembris 1903, concessum est Ecclesiis et Oratoriis Congregationis Missionis et Puellarum Caritatis Festum Patrocinii S. Vincentii a Paulo, die 20 Decembris, sub ritu duplici maiori recolendum. Quum autem in Oratoriis Puellarum Caritatis, pro Missis omnibus (exceptis Missis Festorum, quae in Oratoriis ex privilegio concessae sunt) Sacerdotes celebrantes sequantur Calendarium dioecesanum, non autem Calendarium Congregationis Missionis, hinc quaeritur, quoties praedictum Festum occurrit in Dominicam IV Adventus, debetne, in Oratoriis Puellarum Caritatis, transferri in primam diem liberam, iuxta Calendarium Congregationis Missionis, an potius in primam diem liberam iuxta Calendarium dioecesanum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Duo Festa agenda sunt separatim, et S. Christophorus transferatur iuxta Rubricas et Decretum n. **3714**, Ruremunden., 12 Iulii 1889.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 27 Novembris 1903

4123. TLASCALEN.

Ad nonnullas quaestiones exortas dirimendas Rñus Dñus Iosephus Raymundus Ybarra, Episcopus Tlascalen., a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit, nimirum:

I. Servarine debet consuetudo, ut Dignitates et Canonici, etiam Praebendati, in Matutinis et Vesperis solemnibus, pluviale induant?

II. Dignitates, Canonici et qui Canonici Praebendati dicuntur debentne Officianti assistere pluvialibus induti, in Matutinis et Vesperis solemnibus, dum Altare thurificatur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque diligenter expensis, rescribendum censuit:

Ad I. Standum, in casu, Decreto n. 256, Lucerina, 14 Iunii 1608.

Ad II. Affirmative, iuxta Decretum n. **4039**, Caurien., 20 Iunii 1899, ad III.

Atque ita rescripsit, die 27 Novembris 1903.

4124. DUBIUM.

A Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: An Episcopus extraneus, vel titularis, possit, inconsulto Ordinario dioecesano, atque in Titulo Cardinali Titulari, Missam et Vesperas Pontificales celebrare sedens in faldistorio, non utens baculo pastorali, sed cum ornamentis pontificalibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit, die 4 Decemb. 1903.

4125.

EPISTOLA
SS. D. N. PII PAPAE X
AD VIRUM EMINENTISSIMUM PETRUM CARDINALEM RESPIGHI
IN URBE VICARIUM IN SPIRITUALIBUS GENERALEM

De Musices sacrae instauratione.

Signor Cardinale,

Il desiderio di veder rifiorire in ogni luogo il decoro e la dignità e santità delle funzioni liturgiche Ci ha determinato di far conoscere con un Nostro particolare Chirografo, quale sia la volontà Nostra rispetto alla musica sacra, che sì largamente si adopera a servigio del culto. Nutriamo fiducia, che tutti Ci asseconderanno in questa desiderata restaurazione, nè già solamente con quella cieca sommessione, pur sempre lodevole anch'essa, onde si accettano per puro spirito di obbedienza i comandi onerosi e contrari al proprio modo di pensare e di sentire, sì bene con quella prontezza di volontà, che nasce dall'intima persuasione di dover così fare per ragioni debitamente apprese, chiare, evidenti, irrepugnabili.

Per poco infatti che si rifletta al fine santissimo, per cui l'arte è ammessa a servigio del culto, e alla somma convenienza di non offrire al Signore, se non cose per sè buone, e, dove torni possibile, eccellenti, si riconoscerà subito che le prescrizioni della Chiesa a riguardo della musica sacra non sono che l'immediata applicazione di quei due principî fondamentali. Quando il clero ed i maestri di cappella ne siano penetrati, la buona musica sacra rifiorisce spontaneamente, come si è osservato e di continuo si osserva in gran numero di luoghi; quando invece quei principî si trascurano, non bastano nè preghiere, nè ammonizioni, nè ordini severi e ripetuti, nè minacce di pene canoniche a far sì che nulla si cangi: tanto la passione, e, se non questo, una vergognosa ed inescusabile ignoranza, trova modo di eludere la

Vir Eminentissime,

Quod Nobis est in votis, ut detur ubique terrarum decorem et dignitatem nec non sanctitatem liturgicarum functionum reflorescentes videre; id Nos permovit, ut Nostro peculiari Chirographo, quaenam sit Nostra voluntas de musica sacra, quae passim ad cultus famulatum adhibetur, notum faceremus. In hac optata instauratione omnes Nobis obsecundaturos confidimus, nec modo caeca illa subiectione, laude quidem et ipsa semper digna, qua, ex solo obedientiae studio, iussa onerosa et propriae cogitandi et sentiendi rationi contraria accipiuntur, verum et illa voluntatis alacritate, quae ab intima persuasione oritur, ita esse agendum ex rationibus, debito modo conceptis, claris, evidentibus atque inexpugnabilibus.

Si vel parum sane ad finem sanctissimum intendatur, ob quem ars ad cultus famulatum admittitur, ac summae convenientiae, non offerendi Domino, nisi res per se bonas, et qua fieri possit, optimas, illico suasum habebitur, Ecclesiae praescriptiones de musica sacra nonnisi immediatam applicationem esse duorum, de quibus loquimur, principiorum fundamentalium. Siquando Clerus et Chori magistri hisce fuerint plane imbuti, bonum musicae sacrae genus sponte florescit, prout plurimis in locis, tum praeterita, tum in dies repetita facta testantur; sin autem ab iis principiis declinetur, non preces, non hortamenta, non iussa severiora vel repetita, non poenarum canonicarum comminatio efficient, ut quidquam immutetur: sic passio, aut saltem vituperabilis atque inexcusabilis ignorantia eludere Ecclesiae volita

volontà della Chiesa, e di continuare per anni ed anni nel medesimo biasimevole stato di cose.

Tale prontezza di volontà Ci promettiamo in modo particolare dal clero e dai fedeli di questa Nostra diletta Città di Roma, centro del Cristianesimo e sede della suprema Autorità della Chiesa. Sembra invero, che niuno dovrebbe sentir meglio l'influsso della Nostra parola, quanto coloro che direttamente l'ascoltano dalla bocca Nostra, e che l'esempio di amorosa e filiale sommessione ai Nostri inviti paterni da niun altro dovrebbe esser dato con maggiore sollecitudine, quanto dalla prima e più nobile porzione del gregge di Cristo, che è la Chiesa di Roma, specialmente commessa alla Nostra cura pastorale di Vescovo. S'aggiunga, che tale esempio dev'essere dato al cospetto del mondo tutto. Da ogni parte qua vengono continuamente e Vescovi e fedeli, per riverire il Vicario di Cristo e per ritemprare lo spirito, visitando le nostre venerande Basiliche e le tombe dei Martiri ed assistendo con raddoppiato fervore alle solennità, che con ogni pompa e splendore qui si celebrano in ogni tempo dell'anno. *Optamus, ne moribus nostris offensi recedant,* diceva fin dai suoi tempi Benedetto XIV, Nostro Predecessore, nella sua Lettera enciclica *Annus qui,* parlando appunto della musica sacra: *bramiamo che non ritornino alle patrie loro scandolezzati dalle nostre consuetudini.* E tocando più innanzi dell'abuso degli strumenti, allora invalso, il medesimo Pontefice diceva: *Qual concetto si formerà di noi, chi venendo da paesi dove gli strumenti non si adoperano in Chiesa, gli udirà nelle Chiese nostre, nè più nè meno di quel che si soglia fare nei teatri e negli altri luoghi profani? Verranno pure da luoghi e paesi, dove nelle Chiese si canta e suona come si fa ora nelle Chiese nostre. Ma se sono uomini di buon senso si dorranno di non trovare nella nostra musica quel rimedio al male delle Chiese loro, che erano qua venuti cercando.*

In altri tempi, nelle musiche, solite eseguirsi in Chiesa, si avvertiva forse assai meno la loro difformità dalle leggi e dalle prescrizioni ecclesiastiche, e lo scandalo per avventura era più ristretto, appunto

contendit, et per annos plurimos in eodem vituperabili rerum statu permanere.

Talem voluntatis alacritatem a Clero et a fidelibus huius Nostrae dilectae Urbis, Christianae Reipublicae centri et supremae Ecclesiae Auctoritatis sedis, omni prorsus ratione opperimur. Minime sane inficiandum videtur, neminem magis Nostrae vocis vim persentire debere, quam qui recta ex ipso Nostro accipit ore; neminem insuper exemplum officiosae ac filialis subiectionis Nostris paternis invitationibus maiori sollicitudine exhibere, quam primum nobiliusque Christi gregis agmen, Romanam scilicet Ecclesiam, Nostris pastoralibus Episcopi curis specialiter commissam. Hisce addatur, istiusmodi exemplum universum per orbem, clarescere oportere. Huc undique conveniunt iugiter Pastores et fideles, ut Christi Vicarium revereantur, atque spiritum reficiant, nostras venerandas Basilicas et Martyrum sepulcra visitantes, atque ardentissimo studio sacris Solemniis, quae magnifica pompa ac splendore hic per anni cursum celebrantur, adstantes. *Optamus, ne moribus nostris offensi recedant,* iam sua aetate aiebat Benedictus XIV praedecessor Noster, in Litteris encyclicis *Annus qui,* cum nimirum de musica sacra loqueretur: *optamus, ne moribus nostris offensi recedant.* Et ulterius, attingens abusum, qui tunc invaluerat, musicalium instrumentorum, idem Pontifex aiebat: *Quam igitur opinionem de nobis accepturi sunt, qui ex illis regionibus, ubi nullus musicorum instrumentorum usus est, ad nos, nostrasque urbes proficiscuntur, in quarum Ecclesiis concentus musicos audient, non secus ac in theatris aliisque profanis locis, facili quisque per se coniectura assequi potest. Venient etiam, haud dubium est, exteri ex illis regionibus, in quarum Ecclesiis cantus et musica instrumenta adhibentur, perinde ac in aliquibus nostris fieri solet. Sed si isti homines prudentes et pii sint, dolebunt quidem, in cantu et sono nostrarum Ecclesiarum remedium illud, quod malo suarum Ecclesiarum curando afferri optabant, non invenisse.*

Anteacta aetate, in musicis compositionibus, quae in Ecclesiis solebant proponi, valde minus forsan quam hac nostra, earum difformitas a legibus et praescriptionibus ecclesiasticis persentiebatur, et scan-

perchè l'inconveniente era più diffuso e più generale.

Ma ora, poichè tanto studio si è messo da uomini egregi nell'illustrare le ragioni della liturgia e quelle dell'arte a servizio del culto, poichè in tante Chiese del mondo si sono ottenuti nella restaurazione della musica sacra così consolanti e non di rado così splendidi risultati, nonostante le difficoltà gravissime che si opponevano e che furono felicemente superate, poichè infine la necessità di un pieno mutamento di cose è entrata universalmente negli animi, ogni abuso in questa parte diviene intollerabile, e dev'essere rimosso.

Ella pertanto sig. Cardinale, nell'alto suo officio di Nostro Vicario in Roma per le cose spirituali, con la soavità che le è propria, ma non con minore fermezza, si adoprerà, ne siamo certi, perchè le musiche, che si eseguiscono nelle Chiese e Cappelle, sì del Clero secolare che regolare di questa Città, rispondano pienamente alle Nostre Istruzioni.

Molte cose si dovranno o rimuovere o correggere nei canti delle Messe, delle Litanie lauretane, dell'Inno eucaristico; ma ciò che abbisogna di un compiuto rinnovamento è il canto dei Vespri nelle Feste che si celebrano nelle varie Chiese e Basiliche. Le prescrizioni liturgiche del *Caeremoniale Episcoporum* e le belle tradizioni musicali della classica scuola romana non vi si riscontrano più. Alla devota salmodia del clero, alla quale partecipava anche il popolo, si sono sostituite interminabili composizioni musicali sulle parole dei Salmi, tutte foggiate alla maniera delle vecchie opere teatrali, e per lo più di sì meschino valore d'arte, che non si tollererebbero affatto neppure nei concerti profani di minor conto. La devozione e la pietà cristiana non ne vanno certo promosse; si pasce la curiosità di alcuni meno intelligenti, ma i più ne ricevono disgusto e scandalo, e si meravigliano che un tanto abuso perduri ancora. Noi dunque vogliamo ch'esso sia interamente tolto di mezzo, e che la solennità dei Vespri sia per tutto celebrata secondo le norme liturgiche da Noi indicate.

Precederanno nell'esempio le Basiliche patriarcali per la cura sollecita e lo zelo illuminato dei signori Cardinali alle medesime preposti, e con quelle gareggeranno

dalum forte minus patebat, quod esset nimirum inordinatio diffusa magis et frequentior.

Nunc tamen, cum tantum studium egregii viri, in rationibus Liturgiae atque artis in cultus servitium illustrandis, impenderint; cum tot in orbis Ecclesiis, in sacrae musicae restauratione, plane consolatorii et haud raro exquisiti fructus sint parti, gravissimis, quae interciperent opus quaeque feliciter sunt devictae, difficultatibus minime obstantibus; cum denique necessitas omnimodae rerum immutationis animos universim pervaserit, abusus omnis, hac ex parte, intolerabilis factus est, idemque removendus.

Tu igitur, pro eo, quod tibi demandatum est, Nostri in Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis, praenobili officio, ea ipsa suavitate, quae tua est, sed non minori fortitudine, efficies, nullum Nobis dubium, ut musicae, quae in Ecclesiis et Cappellis tam cleri saecularis, quam regularis huius Urbis proponuntur, Nostris plene respondeant Instructionibus.

Multa, in cantibus Missarum, Litaniarum, quae lauretanae nuncupantur, Hymni eucharistici, removenda erunt aut corrigenda; ast qui omnimoda instauratione indiget, est cantus Vesperarum in Festis, quae in variis Ecclesiis et in Basilicis celebrantur. Liturgicae praescriptiones *Caeremonialis Episcoporum,* nec non scholae classicae romanae pulchrae traditiones frustra in iis requirerentur. Devotae Cleri psalmodiae locum, cuius et populus particeps erat, interminabiles musicales compositiones super verba Psalmorum pervaserunt, omnes ad normam actae veterum operum theatralium, et, ut plurimum, quoad operis pretium, adeo infeliciter, ut ne inter peioris notae symphonicos profanos concentus quidem tolerari possent. Devotio et christiana pietas exinde certe non proficiunt; pascitur quidem nonnullorum minori ingenio pollentium curiositas, maior tamen pars offensionem et scandalum patitur, ac quomodo tam malus usus usque perseveret, miratur. Nos igitur volumus, illum radicitus exstirpari, et solemnitatem Vesperarum, iuxta liturgicas leges a Nobis indicatas, ubique celebrari.

Basilicae patriarchales, ob Eminentissimorum Cardinalium ipsis praepositorum sollicitam curam providumque zelum, praecedent exemplo; easque aemulabuntur, prae

anzitutto le Basiliche minori, le Chiese collegiate e parrocchiali, come pure le Chiese e Cappelle degli Ordini religiosi.

Ed Ella, sig. Cardinale, non adoperi indulgenza, non conceda dilazioni. Col differire, la difficoltà non isminuisce, anzi aumenta, e poichè il taglio è da fare, si faccia immediatamente, risolutamente. Abbiano tutti fiducia in Noi e nella Nostra parola, con la quale va congiunta la grazia e la benedizione celeste.

Sulle prime, la novità produrrà in alcuni qualche meraviglia; si troverà forse alquanto impreparato qualcuno tra i maestri di Cappella e tra' direttori del Coro; ma a poco a poco la cosa riprenderà da se medesima, e nella perfetta rispondenza della musica alle norme liturgiche ed alla natura della salmodia tutti ravviseranno una bellezza e bontà forse non mai dapprima avvertite.

Invero, la solennità dei Vespri sarà così notabilmente raccorciata. Ma se i rettori delle Chiese vorranno in qualche circostanza prolungare alquanto le funzioni, affine di trattenere il popolo, che così lodevolmente suol rendersi nelle ore vespertine alla Chiesa dove celebrasi la Festa, nulla vieta, anzi sarà tanto di guadagnato per la pietà ed edificazione dei fedeli, se al Vespro succeda un acconcio sermone, e si chiuda poi con una solenne benedizione del SS. Sacramento.

Desideriamo infine, che la musica sacra sia coltivata con cura speciale e nei debiti termini in tutti i seminari e collegi ecclesiastici di Roma, dove una sì numerosa e tanto eletta schiera di giovani Chierici di ogni parte del mondo si vengono educando alle scienze sacre ed al vero spirito ecclesiastico. Sappiamo, e questo grandemente Ci conforta, che in parecchi istituti la musica sacra è in fiore così che essi possono servire altrui di modello. Ma alcuni seminari ed alcuni collegi, sia per la noncuranza dei superiori, sia per la poca capacità e pel gusto non buono delle persone alle quali l'istruzione del canto e la direzione della musica sacra sono affidate, lasciano molto da desiderare.

Ella, sig. Cardinale, vorrà provvedere con sollecitudine anche a questo, insistendo sopratutto perchè il canto gregoriano, secondo le prescrizioni del Concilio Tridentino, e di innumerevoli altri Concilî provinciali e diocesani di ogni parte del

ceteris, Basilicae minores, Ecclesiae collegiatae ac parochiales, itidemque Ecclesiae et Cappellae regularium Ordinum.

Et tu, vide, ne indulgentia utaris, ne moras concesseris. Difficultas, cunctando, non minuitur, quinimo augetur; et, quoniam manus securi apponenda, immediate firmiterque ictus feratur. Esto cunctis in Nobis Nostrisque verbis fides, quacum gratia ac caelestis benedictio coniungitur.

Inter initia, ob novitatem, quidam forte mirabuntur; inter musices magistros et chori directores, quidam forte impraeparatus exsistet; sed paulatim se res in bonam viam recipiet, et in perfecta musicae cum liturgicis legibus et cum psalmodiae natura convenientia, omnes pulchritudinem bonitatemque conspicient, numquam antea fortasse perpensas.

Equidem Vesperarum solemnitas, hac de ratione, notabiliter contrahetur. At, si Ecclesiarum rectores velint aliquando functiones aliquatenus protrahere, ut populum detineant, qui tam laudabiliter, horis vespertinis, ad Ecclesiam solet accedere, ubi Festum celebratur; nil vetat, imo maximo id fiet cum pietatis emolumento ac cum fidelium aedificatione, quominus aptus sermo Vesperas excipiat, et Festum coronet solemnis SSm̃i Sacramenti benedictio.

Percupimus tandem, ut sacra musica singulari tractetur cura ac iustis modis in omnibus et singulis Urbis Seminariis et Collegiis ecclesiasticis, ubi ingens illudque electissimum iuvenum Clericorum agmen ex omni mundi regione, scientiis sacris et vero spiritu ecclesiastico foecundatur. Novimus, et id Nobis magno est solatio, in pluribus Institutis sacram musicen adeo florere, ut eadem aliis esse possint exemplo. Sed nonnulla Seminaria, nonnulla Collegia, aut superiorum neglectu, aut minima idoneitate gustuque haud sano eorum, quibus cautus instructio et musices sacrae directio commissa sunt, plurimum desiderare sinunt.

Tuum erit, sollicite et huic rei omnem curam impendere, instando maxime, ut cantus gregorianus, iuxta Concilii Tridentini, et innumerabilium aliorum, ex omni regione, Provincialium et Dioecesanorum, praescriptiones, peculiari apprehendatur

mondo, sia studiato con diligenza speciale, e per solito preferito nelle funzioni pubbliche e private dell'istituto.

In altri tempi, a dir vero, il canto gregoriano dai più non si conosceva, se non sui libri scorretti, alterati, raccorciati. Ma lo studio accurato e diuturno, postovi intorno da uomini insigni e grandemente benemeriti dell'arte sacra, ha cambiato faccia alle cose.

Il canto gregoriano, restituito in modo tanto soddisfacente alla sua primiera purezza, quale ci fu tramandato dai padri e si trova nei codici delle varie Chiese, appare dolce, soave, facilissimo ad apprendere, e di una bellezza sì nuova ed inaspettata, che dov'esso fu introdotto, non tardò ad eccitare vero entusiasmo nei giovani cantori. Or quando nell'adempimento del dovere entra il diletto, tutto si opera con maggiore alacrità e con frutto più duraturo.

Vogliamo adunque, che in tutti i collegi e seminari di quest'alma Città s'introduca di nuovo l'antichissimo canto romano, che già risonava nelle nostre Chiese e Basiliche, e formò le delizie delle passate generazioni nei più bei tempi della pietà cristiana. E come altra volta dalla Chiesa di Roma quel canto si era sparso nelle altre Chiese d'Occidente, così bramiamo che i giovani Chierici, istruiti sotto i Nostri occhi, lo rechino e lo diffondano di nuovo nelle Diocesi loro, quando vi ritorneranno Sacerdoti ad operare per la gloria di Dio.

Ci gode l'animo di dare queste disposizioni, mentre stiamo per celebrare il XIII centenario dalla morte del glorioso ed incomparabile Pontefice S. Gregorio Magno, al quale una tradizione ecclesiastica di molti secoli ha attribuito la composizione di queste sante melodie, e donde alle medesime è derivato il nome.

Si esercitino diligentemente in quelle i Nostri carissimi giovani, che Ci sarà caro udirli, se, come Ci viene riferito, essi si raccoglieranno insieme nelle prossime Feste centenarie presso la tomba del Santo Pontefice nella Basilica Vaticana, a fine di eseguire le melodie gregoriane durante la sacra Liturgia, che, a Dio piacendo, sarà da Noi in tale fausta occasione celebrata.

diligentia, et, ut plurimum, in publicis privatisque Instituti functionibus praeferatur.

Alias, ut verum fateamur, cantum gregorianum pars maior non noverat, nisi in libris erratis, corruptis, contractis. Verumtamen sedulum diuturnumque studium, quod circa illud insignes viri, iidemque de arte sacra maxime meriti, posuerunt, res penitus immutavit.

Cantus gregorianus suae primaevae puritati tam concinne, iuxta vota, restitutus, qualis a maioribus transmissus est, et in codicibus plurium Ecclesiarum invenitur, dulcis, suavis, facillimus intellectu apparet, et pulchritudine adeo nova ac inopinata praeditus, ut, ubi introductus fuit, veram in iuvenibus cantoribus animi voluptatem excitare minime retardaverit. Nunc autem, cum in iussis exsequendis voluptas immiscetur, cuncta maiori fiunt alacritate, fructuque durabiliori.

Volumus igitur, in omnibus Collegiis et Seminariis huius almae Urbis, perantiquum cantum romanum rursus introduci, qui iamdudum in nostris Ecclesiis et Basilicis resonabat, et deliciae fuerunt praeteritarum generationum, pulchriori christianae pietatis aetate. Et quemadmodum olim e romana Ecclesia ille cantus in alias occidentis Ecclesias diffusus erat, ita est in votis, iuvenes Clericos, sub Nostris ipsismet oculis instructos, rursus illum in suis Dioecesibus invehere ac diffundere, eo cum reversi fuerint Sacerdotes, pro Dei gloria operaturi.

Nostrum oblectat animum hisce ordinationibus instare, quum proxime simus celebraturi centenarias tertia et decima vice redeuntes solemnitates ab obitu gloriosi et incomparabilis Pontificis S. Gregorii Magni, cui ecclesiastica plurium saeculorum traditio harum sanctarum compositionem tribuit melodiarum, et a quo ipsis inditum nomen.

Diligenter in illis Nostri carissimi iuvenes exerceantur, quos audientes laetabimur, si, prout Nobis relatum est, una simul convenient, in proximis centenariis solemniis ad sancti Pontificis sepulcrum in Vaticana Basilica, ut gregorianas melodias exsequantur, Liturgiae tempore, quam, Deo iuvante, Nos hac fausta opportunitate celebrabimus.

Intanto, a pegno della Nostra particolare benevolenza, riceva, sig. Cardinale, l'Apostolica Benedizione, che dall'intimo del cuore impartiamo a Lei, al Clero ed a tutto il Nostro dilettissimo popolo.

Dal Vaticano, nella Festa della Immacolata del 1903.

PIO PP. X.

Interea, Nostrae peculiaris benevolentiae pignus, sit Apostolica Benedictio, quam Tibi, Clero, omnique Nostro dilectissimo populo peramanter impertimus.

Ex aedibus Vaticanis, die sacro Virgini Immaculatae, anno 1903.

PIUS PP. X.

4126. CONGREGATIONIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE.

Calendarista Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, de consensu sui Superioris, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit; nimirum:

I. An in illis Ordinibus Regularibus, in quibus sub aliquo titulo colitur Deipara Virgo tamquam Patrona, debeat fieri in Suffragiis Sanctorum Commemoratio de eadem, veluti de Patrona, cum consueta Antiphona *Sancta Maria, succurre miseris,* etc., etiamsi eiusdem Officium parvum in Choro recitatum fuerit?

II. An in Festo S. Mariae Magdalenae Poenitentis, utriusque Vesperis perpetuo carente, dicendus sit ad Matutinum hymnus: *Pater superni luminis,* ex Vesperis, omisso hymno: *Nardo Maria pistico,* utpote minoris momenti?

III. An in ritu monastico, occurrente Festo S. Thomae Cantuariensis Ep. Mart., die 29 Decembris, in Dominica, in primo Nocturno legendae sint Lectiones *A Mileto* de Communi, vel potius *Initium Epistolae ad Romanos?*

IV. An in Ecclesiis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, in Processione Feriae VI in Parasceve, cantandus sit hymnus *Vexilla* iuxta ritum monasticum, vel romanum?

V. An in Festis S. Ildephonsi, Ep. Conf. et S. Helladii, Ep. Conf., in quibus notatur Missa *In medio,* praeter primam Orationem propriam, in Postcommunio omittenda sint verba *et Doctor egregius?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, iuxta Decretum n. **4043**, circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum, 27 Iunii 1899, ad II.

Ad II. Affirmative ad utrumque.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV. Iuxta ritum monasticum.

Ad V. Si non sint concessi uti Doctores, affirmative, secus negative.

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1903.

4127. COTRONEN.

R̃m̃us Dominus Emmanuel Merra, Episcopus Cotronen., in relatione status suae Ecclesiae sive Dioeceseos, exhibita S. Congregationi Concilii, die 23 Novembris 1903, sequens postulatum, ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmissum, reverenter proposuit, nimirum:

In tota Dioecesi Cotronensi invenitur consuetudo deferendi a Parocho Sacrum Viaticum infirmis, comitante magno numero non Confratrum, sed mulierum, quae umbellam et intorticia ferunt, tintinnabula pulsant, et Rosarium recitant. Quaeritur: Utrum hic mos tolerari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit: Negative, et ad mentem. Mens est, ut aliquos saltem adolescentes adhibeat Parochus pro umbella, campanula et luminibus. Mulieres autem, si velint deferre lumina, sequantur Sacerdotem.

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1903.

4128. GNESNEN. ET POSNANIEN.

R. Parochus Skarbowiensis, Archidioeceseos Gnesnen., iura sua tuendi causa, ut

ait, permotus, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem reverenter expostulavit, nimirum:

Inter acta XV Congregationis Decanorum utriusque Archidioeceseos, Gnesnen. et Posnanien., habitae Posnaniae, die 2 Decembris 1902, legitur instructio a RR. DD. Decanis utriusque Archidioeceseos praescripta, in qua, ad n. 15, haec inveniuntur: « Decano haec competunt privilegia: *a*) primus inter Clerum decanalem locus ». Quum vero haec praecedentia videretur Oratori dissona pluribus Decretis Sacrae Rituum Congregationis, idcirco ipse quaesivit: An talis instructio, a Rmo Archiepiscopo Gnesnen. et Posnanien, signata, licite vel valide praescribi possit?

Ad propositum dubium, a Secretario relatum una cum informatione Rmi Dni Archiepiscopi Gnesnen. et Posnanien., declarantis, mentem et sensum praefatae dispositionis minime opponi Decretis Sacrae Congregationis, quia agitur de praecedentia non in Choro, Capitulo et sacris Functionibus, sed in Congregationibus Cleri et in officiis ad Ordinarium spectantibus, a quo Decani sunt specialiter delegati, iuxta vigentem et communiter receptam consuetudinem: Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit: Affirmative ad utramque partem.

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1903.

4129. FIRMANA.

A quibusdam Parochis Civitatis Firmanae Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime propositum fuit, nimirum:

An, stante antiqua consuetudine, etiam actis synodalibus an. 1773 et 1845 confirmata, et nemine contradicente, Parochi eiusdem Civitatis deferentes cadavera defunctorum propriae Paroeciae in alienam Ecclesiam, possint non solum ingredi cum propria Cruce et Clero, sed etiam praesidere cum stola Officio Defunctorum, quod fit cum cantu, et post Canticum *Benedictus,* absolutionem peragere, iuxta Rituale, cum aspersione Aquae benedictae, thurificatione et Oratione *Absolve,* haud obstante quod Acta postremae Synodi dioecesanae, an. 1900 edita, Cap. *De funeribus et sepulturis*, part. III, tit. III, de supradicta consuetudine omnino sileant, et tantummodo referant Decretum super exsequiis n. 3854, d. d. 23 Aprilis 1895, « servandum pro quibuscumque Ecclesiis etiam Collegialibus, sive ad saecularem sive ad regularem Clerum pertinentibus, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante »?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit: Serventur, in casu, Acta ultimae Synodi dioecesanae et Decretum.

Atque ita rescripsit, die 18 Decembris 1903.

4130. PARENTIN. ET POLEN.

Rmus Dnus Ioannes Baptista Flapp, Episcopus Parentin. et Polen., a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expetivit, nimirum:

Decreto S. R. C. n. **3570** Corduben., 27 Ianuarii 1883, ad I, statutum est, « exsequias pro defuncto, cum effertur corpus, non posse expleri in Ecclesiis, diebus solemnioribus I classis, et huiusmodi funera transferenda esse ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei Festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu ». Et subsequenti Decreto, pariter S. R. C., n. **3946,** in una Illerden., 15 Ianuarii 1897, declaratum est, non posse tolerari consuetudinem vigentem, pulsandi campanas pro funeribus defunctorum, quando locum habent in Festis solemnioribus, et servanda Decreta, praesertim illud n. **3570,** in una Corduben., diei 27 Ianuarii 1883, ad I. Hinc quaeritur:

I. Quae dies nominatim per annum, incipiendo a primis Vesperis Festi et usque ad totum insequentem diem, in supradicto Decreto Corduben., comprehendi censeantur?

II. Utrum aliqua exceptio, pro rerum adiunctis, ab hac regula dari possit, iis praesertim in casibus, ubi necessitas moralis funera ecclesiastica cum aliqua solemnitate peragendi se proderet, et ad quae ista exceptio semet extendat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Com-

missionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. Omnia Festa, in quibus Missa exsequialis praesente cadavere prohibetur.

Ad II. Negative, et Rmus Episcopus pro sua prudentia provideat, ut praescripta Ritualis Romani et Decreta S. R. C. observentur.

Atque ita rescripsit, die 8 Ianuarii 1904.

4131. URBIS ET ORBIS.

SSmus Dominus noster Pius Papa X, Motu proprio diei 22 Novembris 1903, sub forma *Instructionis de musica sacra* venerabilem cantum gregorianum iuxta codicum fidem ad pristinum Ecclesiarum usum feliciter restituit, simulque praecipuas praescriptiones, ad sacrorum concentuum sanctitatem et dignitatem in Templis vel promovendam vel restituendam, in unum corpus collegit, cui, tamquam codici iuridico musicae sacrae, ex plenitudine Apostolicae Suae potestatis, vim legis pro universa Ecclesia haberi voluit. Quare idem Sanctissimus Dominus noster per hanc Sacrorum Rituum Congregationem mandat et praecipit, ut *Instructio* praedicta ab omnibus accipiatur Ecclesiis sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis, ut sunt privilegia et exemptiones ab Apostolica Sede maioribus Urbis Basilicis, praesertim vero Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensi concessa. Revocatis pariter sive privilegiis sive commendationibus, quibus aliae quaecumque cantus liturgici recentiores formae pro rerum ac temporum circumstantiis ab Apostolica Sede et ab hac Sacra Congregatione inducebantur, eadem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est, ut praedictae cantus liturgici recentiores formae, in iis Ecclesiis ubi iam invectae sunt, licite retineri et cantari queant, donec quamprimum fieri poterit venerabilis cantus gregorianus iuxta codicum fidem in eorum locum sufficiatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De hisce omnibus Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X huic Sacrorum Rituum Congregationi praesens Decretum expediri iussit. Die 8 Ianuarii 1904.

4132. ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. Utrum facultas adhibendi Calendarium Romano-Seraphicum, a Summo Pontifice Pio VI, per Bullam *Religiosos Ordines*, sub die 6 Septembris, anno 1785, facta «Monialibus... Tertii Ordinis S. Francisci ... aliisque ... quae vel sint Instituti vel connexionem aliquam seu coniunctionem in sui origine aut progressu cum Ordine Minorum habentis ... necnon personis Tertii Status», competat iam, non solum Tertiariis utriusque sexus, divinum quotidie recitantibus Officium, sed etiam Tertiariis Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolventibus; atque in horum Ecclesiis et Oratoriis?

II. Utrum licentia adhibendi Calendarium Romano-Seraphicum, concessa per memoratam superius Bullam ab eodem Pio VI «personis Tertii Status Tertii Ordinis Sancti Francisci, Choro non obligatis», intelligenda sit dumtaxat de Sacerdotibus nullius Ecclesiae servitio canonice addictis: an etiam de Sacerdotibus Tertiariis alicui Ecclesiae canonice mancipatis? Et quatenus affirmative ad secundam partem:

III. Num iidem Sacerdotes Tertiarii alicui Ecclesiae canonice adiuncti, in Festis Patroni principalis, Tituli ac Dedicationis Ecclesiae, tam propriae quam cathedralis, necnon quibus diebus debent Missam applicare pro populo, teneantur in Officio ac Missa sequi Calendarium Dioecesis, prouti Fratres Primi Ordinis: ac deinde, recurrente iuxta Calendarium Minoriticum aliquo Officio, secundum Ordinem dioecesanum iam recitato, utrum se conformare possint Calendario Romano-Seraphico: an vero habita ratione huiusmodi Officiorum de praecepto, debeant, prouti fit in primo Ordine, impeditorum Festorum repositionem seu translationem disponere?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque diligenter perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, dummodo Choro non teneantur.

Ad III. Ad primam partem affirmative; ad secundam partem negative quoad primam quaestionem, et affirmative quoad secundam.

Atque ita rescripsit, die 15 Aprilis 1904.

4133. IAREN.

Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione proposita fuerunt; nimirum:

Rmus D. Dionysius Dougherty, Episcopus Novae-Sagobiae in Insulis Philippinis, consecratus fuit Romae, in Ecclesia Sanctorum Ioannis et Pauli, die 14 Iunii 1903; et caeremonia seu ritus incoepit hora septima antemeridiana. Rmus D. Fridericus Rooker, Episcopus Iarensis, in eisdem Insulis, consecratus fuit eadem die 14 Iunii 1903, Romae, in sacello Pontificii Collegii Americae Septentrionalis, ritus vero consecrationis incoepit hora octava antemeridiana. Ambo publicati fuerunt in eodem Consistorio, die 22 Iunii 1903; sed nomen Rmi Rooker fuit proclamatum prius. Quaeritur: Quisnam ex hisce duobus Praelatis alter praecedere debet?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Praecedat ille qui prius in Consistorio propositus et confirmatus fuit, iuxta Decreta n. 270, Segobricen., 21 Martii 1609. et n. **1606**, Terulen., 20 Novembris 1677.

Atque ita rescripsit, die 15 Aprilis 1904.

4134.

MOTU PROPRIO

De editione Vaticana librorum liturgicorum gregorianum cantum continentium

---

PIUS PP. X.

Col Nostro *Motu proprio* del 22 Novembre 1903, e col susseguente Decreto, pubblicato per Nostro ordine dalla Congregazione dei Sacri Riti, l'8 Gennaio 1904, abbiamo restituito alla Chiesa Romana l'antico suo canto gregoriano, quel canto che essa ha ereditato dai padri, che ha custodito gelosamente ne' suoi codici liturgici e che gli studi più recenti hanno assai felicemente ricondotto alla sua primitiva purezza. A fine però di compiere, come è conveniente, l'opera incominciata, e di fornire alla Nostra Chiesa Romana ed alle Chiese tutte del medesimo rito il testo comune delle melodie liturgiche gregoriane, abbiamo decretato d'imprendere, coi tipi della Nostra Tipografia Vaticana, la pubblicazione dei libri liturgici contenenti il canto della Sacrosanta Chiesa Romana da Noi restituito.

E perchè ogni cosa proceda con piena intelligenza di tutti coloro che sono o saranno chiamati da Noi ad offerire il tributo dei loro studi ad un'opera di tanta importanza, e il lavoro proceda con la debita diligenza ed alacrità, stabiliamo le norme seguenti:

PIUS PP. X.

Nostro *Motu proprio* diei XXII Novembris a. MCMIII, ac subsequenti Decreto, iussu Nostro, edito a Sacrorum Rituum Congregatione, die VIII Ianuarii a. MCMIV Romanae Ecclesiae vetustum cantum gregorianum restituimus, illum ipsum, quem a patribus accepit, quem in suis liturgicis codicibus fideliter servavit, quemque novissima studia ad pristinam puritatem felicissime revocarunt. Ut autem opus inceptum, sicuti decet, perficiatur, Nostraeque Romanae Ecclesiae omnibusque eiusdem ritus Ecclesiis communis textus liturgici cantus gregoriani suppeditetur, typis Nostri Typographei Vaticani, libros liturgicos, in quibus cantus Sacrosanctae Romanae Ecclesiae a Nobis restitutus continetur, edendos decrevimus.

Quo vero omnia eveniant pleno omnium consensu, qui a Nobis vocantur vel vocabuntur, ut rei tanti momenti operam suis studiis navent, et opus debita cum diligentia atque alacritate procedat, normas, quae sequuntur, statuimus:

a) Le melodie della Chiesa, così dette gregoriane, saranno ristabilite nella loro integrità e purezza secondo la fede dei codici più antichi, così però che si tenga particolare conto eziandio della legittima tradizione, contenuta nei codici lungo i secoli, e dell'uso pratico della odierna liturgia.

b) Per la speciale Nostra predilezione verso l'Ordine di S. Benedetto, riconoscendo l'opera prestata dai monaci benedettini nella restaurazione delle genuine melodie della Chiesa Romana, particolarmente poi da quelli della Congregazione di Francia e del Monastero di Solesmes, vogliamo che per questa edizione, la redazione delle parti che contengono il canto, sia affidata in modo particolare ai monaci della Congregazione di Francia ed al Monastero di Solesmes.

c) I lavori così preparati saranno sottomessi all'esame ed alla revisione della speciale Commissione romana, da Noi recentemente a questo fine istituita. Essa ha l'obbligo del segreto giurato per tutto ciò che riguarda la compilazione dei testi ed il corso della stampa; il quale obbligo dovrà estendersi anche alle altre persone fuori della Commissione, che fossero chiamate a prestare al medesimo fine l'opera loro. Dovrà inoltre procedere nel suo esame con la massima diligenza, non permettendo che nulla sia pubblicato, di cui non si possa dare ragione conveniente e sufficiente; e nei casi dubbi, chiedendo il parere di altre persone, fuori della Commissione e dalla Redazione, che siano riconosciute valenti in questo genere di studi, e capaci di pronunziare un giudizio autorevole. Che se nella revisione delle melodie occorressero difficoltà per ragione del testo liturgico, la Commissione dovrà consultare l'altra Commissione storico-liturgica, già precedentemente istituita presso la Nostra Congregazione dei Sacri Riti, in guisa che ambedue procedano concordi in quelle parti dei libri che formano oggetto ad ambedue comune.

d) L'approvazione da darsi da Noi e dalla Nostra Congregazione dei Sacri Riti ai libri di canto così composti e pubblicati, sarà di tal natura, che a niuno sarà più lecito di approvare libri liturgici, se questi, eziandio nelle parti che contengono il canto, o non siano del tutto conformi all'edizione pubblicata dalla Tipografia Va-

a) Ecclesiae concentus, qui gregoriani dicuntur, in sua integritate ac puritate iuxta vetustiorum codicum fidem restituentur, ita tamen ut peculiaris etiam ratio habeatur legitimae traditionis, quae in variis codicibus continetur, atque praxeos hodiernae liturgiae.

b) Ob specialem Nostram erga Ordinem S. Benedicti praedilectionem, perspectam habentes operam a Monachis benedictinis adhibitam in genuinis Romanae Ecclesiae concentibus restaurandis, praesertim vero a Monachis Congregationis Gallicae et Monasterii Solesmensis, volumus, ut pro hac editione, redactio partium cantum continentium, peculiari modo Monachis Congregationis Gallicae et Monasterii Solesmensis concredatur.

c) Opera sic parata, examini ac revisioni subiicientur particularis Commissionis Romanae, a Nobis nuper in hunc finem institutae. Ipsa, quoad omnia, quae textuum compilationem et typographicam redactionem respiciunt, secreto iurato adstringitur; quae obligatio ad illos quoque extraneos extendenda erit, qui ad suam operam eidem fini dandam requirentur. Maxima insuper cum diligentia in suo examine procedet, cavens ne quid evulgetur, de quo sufficiens atque conveniens ratio reddi nequeat, et, in rebus dubiis, consilium exquirens aliorum virorum, extra Commissionem et Redactionem, qui quoad hoc studiorum genus praestantes habeantur, atque in suis iudiciis auctoritate polleant. Quod si in melodiae revisione difficultates ratione liturgici textus occurrerint, Commissioni consulenda erit altera Commissio historico-liturgica, iam antea apud Nostram Congregationem SS. Rituum instituta, ita ut ambae concordes procedant quoad eas librorum partes, quae obiectum utrique commune constituunt.

d) Approbatio per Nos Nostramque SS. Rituum Congregationem danda libris cantus, ita exaratis atque editis, eiusmodi erit, ut deinceps nemini liceat libros liturgicos approbare, nisi hi, etiam in partibus cantum continentibus, vel sint omnino conformes editioni a Typographeo Vaticano editae sub Nostris auspiciis, vel saltem,

ticana sotto i Nostri auspicî, o, per lo meno, a giudizio della Commissione, non siano per tal modo conformi, che le varianti introdotte si dimostrino provenire dall'autorità di altri buoni codici gregoriani.

iuxta Commissionis iudicium, sint ita conformes, ut allatae variantes ex auctoritate bonorum aliorum codicum gregorianorum provenire ostendantur.

e) La proprietà letteraria dell'edizione Vaticana è riservata alla Santa Sede. Agli editori e tipografi di ogni nazione, che ne faranno dimanda, e che sotto determinate condizioni offriranno sicura guarentigia di saper ben condurre il lavoro, accorderemo la grazia di poterla riprodurre liberamente come loro meglio aggrada, di farne estratti, e di spargerne ovunque le copie.

e) Litteraria Vaticanae editionis proprietas Sanctae Sedi reservatur. Editoribus atque typographis cuiusvis regionis, qui id petierint et sub statutis conditionibus sponsionem dederint, se opus rite absoluturos esse, permittemus, ut eam libere rursus imprimant, meliori quo libeat modo, ex ea partes extrahant, eiusque exemplaria ubique divulgent.

Così, con l'aiuto di Dio, confidiamo di poter restituire alla Chiesa l'unità del suo canto tradizionale in modo rispondente alla scienza, alla storia, all'arte e alla dignità del culto liturgico, per quanto almeno consentono gli studi odierni, e riservando a Noi ed ai Nostri Successori la facoltà di altrimenti disporre.

Sic, Deo adiuvante, Ecclesiae Nos restituturos esse confidimus unitatem traditionalis cantus iuxta scientiam, historiam, artem dignitatemque liturgici cultus, prouti saltem hodierna studia sinunt, Nobis Nostrisque Successoribus facultatem aliter disponendi reservantes.

Dato in Roma, presso S. Pietro, il 25 di Aprile 1904, festa di S. Marco Evangelista, del Nostro Pontificato l'anno primo.

PIUS PP. X.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV Aprilis a. MCMIV, Festo S. Marci Evangelistae, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

4135. RHEMEN.

Hodiernus Canonicus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Metropolitanae Rhemensis, de consensu sui Rm̃i Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione, humillime proposuit, videlicet:

I. Utrum Canonici, ante Altare in quo Missa celebratur transeuntes, a consecratione usque ad communionem, genuflexionem duplicem nempe utroque genu efficere debeant, an genu dexterum tantum usque in terram flectere?

II. Utrum idem modus genuflectendi servari etiam debeat a quolibet Sacerdote, qui sive ad Altare procedit Missam celebraturus, sive redit celebrata Missa, transit ante aliud Altare in quo tunc Missa celebratur, et est inter consecrationem et communionem?

III. Utrum eodem modo genuflectere debeant ceroferarii, qui ab Altari discedunt post consecrationem, cum intorticia in sacristiam referunt, et cum statim ad loca sua prope Altare redeunt?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Negative, nisi ultro, scilicet nulla facta inquisitione, momentum advertatur, et serventur Rubricae *De ritu celebrandi Missam*, tit. II, n. 1.

Ad III. Genuflectant unico genu.

Atque ita rescripsit, die 20 Maii 1904.

4136. ORDINIS FF. MINORUM PROVINCIAE PORTUGALLIAE.

De consensu Rm̃i P. Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum, e Seraphica Provincia Portugalliae, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda proposita sunt; nimirum:

I. An tantummodo a tempore ad tempus quo Missa celebrari permittitur, Communio Christifidelibus ministranda sit, iuxta Decretum n. 2572, Tuden. 7 Septembris 1816, ad XXIII; aut etiam ultra praedictum tem-

pus, nempe usque ad occasum solis ministrari liceat?

II. An Crux cum imagine Crucifixi, in medio Altaris inter candelabra collocanda, etiam in Altari, ubi Sanctissimum asservatur, collocari possit immediate ante eius tabernaculum; aut super ipsum, vel in postica eius parte collocari debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Crux collocetur inter candelabra, nunquam ante ostiolum tabernaculi. Potest etiam collocari super ipsum tabernaculum, non tamen in throno ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

Atque ita rescripsit, die 11 Iunii 1904.

4137. DUBIUM.

Ab hodierno Caeremoniarum Magistro cuiusdam Ecclesiae Cathedralis expostulatum fuit: An servari possit consuetudo non adhibendi conopaeum quo tegi debet tabernaculum, ubi asservatur SSm̃um Eucharistiae Sacramentum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Negative, et serventur Rituale Romanum et Decreta.

Atque ita rescripsit, die 1 Iulii 1904.

4138. NOLANA.

Rituale Romanum docet, Ecclesiam violatam, si sit consecrata, ab Episcopo; si vero benedicta tantum, a Sacerdote delegato ab Episcopo esse reconciliandam. Quum vero circa delegationem ab Episcopo obtinendam pro Ecclesia benedicta non sit unanimis Doctorum sententia, ad inordinationes praecavendas, hodiernus Rm̃us Episcopus Nolanus a S. Rituum Congregatione humiliter petiit: Utrum simplex Sacerdos possit iure suo Ecclesiam benedictam, ubi violata fuerit, reconciliare sine ulla Ordinarii sui delegatione.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondendum censuit: Negative, et servetur Rituale Romanum, tit. VIII, cap. 28.

Atque ita rescripsit, die 8 Iulii 1904.

4139. HIERACEN.

Hodiernus Redactor Calendarii Dioeceseos Hieracensis, de consensu sui Revm̃i Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime efflagitavit, videlicet:

I. An Festum duplex maius, affixum certae mensis diei, occurrens cum Festo Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, vel cum alio Festo duplici I classis, diei Dominicae affixo, nec habens deinde usque ad 30 Decembris diem liberam, in quam reponatur, sit penitus eo anno omittendum; an vero de eo, uti de simplici per accidens, facienda sit commemoratio in utrisque Vesperis Laudibus et Missa Festi duplicis primae classis?

II. An infra Octavam S. Anastasiae Martyris, Titularis Ecclesiae, assignatae, iuxta S. R. C. Decretum n. 3876, Quebecen. 13 Decembris 1895, ad II, diei 30 Decembris, fieri debeat Commemoratio, diebus tantum 2, 3, 4 et 5 Ianuarii, an vero etiam in Laudibus et Missa diei 31 Decembris?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribere rata est:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Nihil fiat de Octava, iuxta Rubricas et Decretum n. 3876, Quebecen., 13 Decembris 1895, ad I.

Atque ita rescripsit, die 8 Iulii 1904.

4140. DECRETUM GENERALE.

Ad tollendam quamvis ambiguitatem circa sensum Decretorum Summorum Pontificum Benedicti XIV et Pii VII, in quibus provisum fuerat Dignitatibus omnibus et Canonicis ubique locorum, qui construendis Apostolica vel Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei ac Beatorum Causis operam dabunt, licet a Choro absentibus ea de causa, non solum quotidianas distributiones deberi, verum etiam alias omnes, quocumque iure, titulo et nomine, et quibusvis sub clausulis, personale

servitium exquirentes; Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, declarare dignatus est ac statuere, ut Dignitates seu Canonici, Beneficiati aliique Chorales omnes, qui sive conficiendis praefatis Processibus, tum Ordinariis, tum Apostolicis, operam navant, sive uti testes vocati fuerint, habeantur, intra vel extra Urbem, tamquam praesentes in Choro, mutato officio: et ideo omnia percipiant emolumenta, etiam eventualia. Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Die 13 Iulii 1904.

4141.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIAE ANGLICAE.

Calendarista Provinciae Anglicae Ordinis Fratrum Minorum, de consensu sui Procuratoris Generalis, solutionem sequentium dubiorum a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit, nimirum:

I. Num in Festis, non autem infra Octavam et in die octava, partes Officiorum propriae debeant in casu impedimenti loco illarum poni quae vel de Communi accipiuntur vel sunt iam in iisdem Officiis recitatae; ita nempe ut in Festo S. Antonii Patavini primis Vesperis carente, Antiphonae in hisce Vesperis propriae ponendae sint in secundis Vesperis, omissis Antiphonis, quae secus ex Laudibus forent repetendae?

II. Num restitui debeant ac servari nonnullae Rubricae peculiares in corpore Breviarii Romano-Seraphici per Summum Pontificem Pium VI approbati insertae, atque in postremis editionibus privato nomine expunctae; uti nempe Rubrica, quae lectiones octavam et nonam in casu impedimenti iungendas praecipiebat?

III. Utrum Regulares in Anglia et alibi commorantes, in recolendo anniversario Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, uti limites Civitatis intelligere debeant etiam suburbia Civitatis hodiernae; an potius eos restringere fines ad primitivam Civitatem seu burgum, quandoque sat exiguum, ubi Ecclesia Cathedralis aedificata fuerat?

IV. Utrum in Festo B. Marci de Montegallo, Conf. primi Ordinis, qui septuagesimo aetatis suae anno vitam explevit, aliorumque Confessorum, post aetatem quadraginta annorum vita excedentium, intra quadragesimale tempus legendae sint in primo Nocturno Lectiones *Iustus*, de Communi primo loco; an potius Lectiones *Beatus vir*, de Communi secundo loco?

V. Utrum in die Rogationum, Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, et quando, ex praecepto Rubricarum peculiarium Breviarii Romano-Seraphici, Officium Defunctorum in Choro persolvitur, Missa conventualis de Rogationibus cum Processione coniuncta aut respective de Requie debeat celebrari: an potius de Duplici vel Semiduplici occurrente in Ecclesiis Monialium Officium divinum habentibus, si una tantum Missa celebretur?

VI. Num Ordinarius praecipere possit, ut Sacerdotes, tam Saeculares quam Regulares, in Missis lectis tertium cereum accendant in Canone apud eam Dioecesim, ubi sicuti in universa regione mos illum accendendi in oblivionem ac desuetudinem iamdudum abierit?

VII. Utrum in functione vespertina officiator et assistens genuflexionem utroque genu cum profunda inclinatione capitis agere debeant, ex. gr. antequam assistens collocata Hostia in ostensorio, eam in throno collocet, vel priusquam celebrans, accepto velo humerali et conscenso suppedaneo, Ostensorio pro impertienda Benedictione apprehendat; an potius in hisce aliisque casibus simplicem genuflexionem cum unico genu debeant praestare?

VIII. Cum Anniversaria late sumpta, ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, diei 2 Decembris 1891, n. 3753, sint ea quae semel in anno a Communitatibus fieri solent: num ritus duplex sit retinendus pro Officio generalissimo Omnium Defunctorum Ordinis Seraphici et pro Anniversario Omnium Parentum nostrorum; atque in aliis tribus Anniversariis, sic vocatis, in Ordine celebrari solitis, ritus semiduplex sit assignandus, tresque Orationes in Vesperis et Laudibus ac Missa recitandae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, quia privato nomine nihil expungi potest, quod auctoritate S. Sedis ordinatum est.

Ad III. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad IV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad V. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad VI. Affirmative, ex Rubrica Generali Missalis, tit. XX, et accedente auctoritate Ordinarii, non obstat Decretum n. **4029**, Resolutionis dubiorum, 9 Iunii 1899, ad II.

Ad VII. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem; et quoad secundam, tria anniversaria fieri posse sub ritu duplici.

Atque ita rescripsit, die 29 Iulii 1904.

4142. ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Rmus Procurator Generalis Carmelitarum Discalceatorum, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, quod per Litteras Apostolicas in forma Brevis Pii Papae VI, ad Episcopum Paphensem Vicarium Apostolicum Wratislaviensem datas, die 19 Aprilis 1788, concessa fuit toti regioni Borussiae facultas « ut solemnia Assumptionis, et Nativitatis B. Mariae V. Festa (quae omnino retinenda sunt) transferantur in Dominicam diem infra Octavam, ita ut ea ipsa die Officia et Missae, tamquam illa Festa suo loco mota non fuerint, celebrentur, facta in Officio et Missae Commemoratione Dominicae, ipsoque etiam translato in antecedentem Sabbati diem ieiunio ». Quum vero a quibusdam dubitetur, num huic legi subdantur Regulares, qui proprii respective Ordinis sequuntur Calendarium, et iuxta illud Officia Sanctorum ordinata habent, ideo idem Orator, duplicis sequentis dubii solutionem enixe expostulavit, nimirum: Num Regulares, qui proprio gaudent Calendario, teneantur legi translationis Festorum Assumptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis in Regno Borussiae ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 5 Augusti 1904.

4143. GOANA.

Rmus Dominus Antonius Sebastianus Valente, Archiepiscopus Goanus, Patriarcha Indiarum Orientalium, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expetivit, nimirum:

I. An, ex eo quod Confraternitati Sanctissimi Sacramenti competit loci praecedentia in Processionibus eucharisticis, eidem etiam prae ceteris Confraternitatibus ius adsit sustinendi hastas baldachini sub quo Venerabilis Eucharistia deducitur, necnon portandi ad utrumque baldachini latus lucernas elatas ?

II. Et quatenus affirmative, an ab Ordinario mos permitti possit, cuius vi aliae Confraternitates in Titularis sui Festo processionem cum Venerabili Eucharistia peragentes consuevere hastas baldachini, et utrinque lucernas elatas portare, data de cetero loci praecedentia Confraternitati Sanctissimi Sacramenti ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 11 Novembris 1904.

4144. GIENNEN.

Rmus Episcopus Giennensis, in Hispania, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum declarationem expostulavit; nimirum:

I. Utrum tolerari possit consuetudo celebrandi unam Missam lectam in Altari maiori, quod est etiam chorale, dum in Choro canitur *Prima?*

II. Utrum Canonici Missam solemnem celebrantes in Ecclesia Cathedrali adhibere licite valeant duo Missalia, unum in cornu Epistolae et aliud in cornu Evangelii ?

III. An permittenda sit praeintonatio *Gloria in excelsis* in Missis solemnioribus a duobus cantoribus ?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I et II. Negative, et serventur Rubricae.

Ad III. Affirmative, ubi adest longaeva consuetudo, quae difficulter eliminari possit.

Atque ita rescripsit, die 11 Novembris 1904.

4145. AESINA.

Rm̃us Dominus Ioannes Baptista Ricci, Episcopus Aesinus, haec dubia Sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

In aliquibus Ecclesiis inveniuntur nonnulla Altaria fixa, in quibus quamvis mensa constet ex lapide, huic tamen in extremitatibus adnexa quaquaversus et coniuncta fuit, ante vel post consecrationem ignoratur, corona ex marmore. Quare fit ut mensa non sit reapse ex uno lapide. Alia vero Altaria sunt quidem ex uno lapide confecta, sed minime innituntur neque super basim lapideam, neque super quatuor saltem columnas lapideas, cum quibus mensa connecti possit per unctionem.

Hinc quaeritur.

I. An dicta Altaria haberi possint tamquam fixa et consecrata? Et quatenus negative.

II. An possint haberi tamquam Altaria portatilia? Et quatenus adhuc negative:

III. Quid agendum, tam in primo quam in secundo casu?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, ita respondendum censuit:

Quoad Altaria, de quibus in primo casu, sanatur defectus, quatenus opus sit. Quoad alia, Sacra Rituum Congregatio indulget, ut illis quamprimum addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae, cum prolatione verborum formae, in singulis private ab Episcopo fiant, ut mensa cuiusque Altaris cum iisdem stipitibus coniungatur.

Atque ita rescripsit et indulsit, die 25 Novembris 1904.

4146.

SOCIETATIS PARISIEN.
MISSIONUM AD EXTEROS.

Rm̃us Procurator Generalis Societatis Parisiensis Missionum ad exteros, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit; nimirum:

Die 5 Martii 1787, approbata fuit Missa votiva de Fidei propagatione, pro omnibus et singulis Missionariis, ubique gentium exsistentibus, et die 21 Augusti 1841, concessa fuit etiam Dioecesibus, in quibus adest Societas Propagationis Fidei, in Gallia instituta. Nunc autem ambigitur et quaeritur: Quinam sit color paramentorum in praedicta Missa votiva adhibendus?

Et Sacra eadem Congregatio, in ordinariis Comitiis, die 29 Novembris, hoc vertente anno, ad Vaticanum habitis, re sedulo perpensa, una cum voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: Adhibendum esse colorem violaceum.

Atque hanc Sacri Consilii resolutionem SSm̃us Dñus noster Pius Pp. X ratam habuit et probavit, die 14 Decembris 1904.

4147. PLURIUM DIOECESIUM.

Nonnulli Sacrorum Antistites a Sacrorum Rituum Congregatione semel atque iterum reverenter postularunt: « An attenta etiam magna difficultate, vel veram ceram apum habendi, vel indebitas cum alia cera commixtiones eliminandi, candelae super Altaribus ponendae, omnino et integre ex cera apum esse debeant; an vero esse possint cum alia materia vegetali seu animali commixtae? ».

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu, die 29 Novembris, hoc vertente anno, in Vaticanum coadunato, omnibus perpensis, una cum suffragio Commissionis Liturgicae, anteacta Decreta mitigando, rescribere rata est: Attenta asserta difficultate, negative ad primam partem: affirmative ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Episcopi pro viribus curent, ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus, et duae candelae in Missis accendendae, sint ex cera apum, saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaribus ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores Ecclesiarum et Oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati Sacerdotes, Missam celebraturi, de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur.

Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

4148. DUBIORUM.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

I. An Ecclesiastici, quibus a quacumque potestate, etiam regia, titulus conferatur alicuius Abbatiae vel Praepositurae iampridem destructae, aut penitus exstinctae, functiones pontificales celebrare possint?

II. An saltem iidem Abbates vel Praepositi titulares insignia, quibus utuntur Abbates mitrati, sive Pontificalium usum habentes, uti sunt Crux pectoralis, mitra et baculus, gestare umquam possint?

III. An iidem, qua tales, benedictionem ullam recipere possint, et praesertim illam, quae invenitur in Pontificali Romano?

Et sacra eadem Congregatio, in ordinariis Comitiis, die 29 Novembris, hoc labente anno, ad Vaticanum coactis, exquisita prius sententia Commissionis Liturgicae, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit: Negative in omnibus.

Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

4149. ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS AUSTRIACAE.

Rm̃us Abbas Monasterii ad S. Petrum Salisburgensis, Congregationis Austriacae de S. Ioseph, Ordinis S. Benedicti, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda humillime proposuit; nimirum:

I. An Festum Titularis Ecclesiae abbatialis, in Ecclesiis Monasterio incorporatis, praeter Titularem Ecclesiae parochialis, celebrandum sit ritu duplici I classis cum Octava, eo quod ibi Monachi qua Parochi, curam animarum exercent?

II. An in Officio, praeter Suffragium Titularis Ecclesiae parochialis, in casu dicendum sit etiam illud Titularis Ecclesiae abbatialis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit: Negative ad utrumque dubium.

4150. RATISBONEN.

Plures in Dioecesi Ratisbonensi exsistunt Ecclesiae, tum parochiales vel annexae, tum tales, quae a fidelibus, peregrinationis causa, pio animo frequentari solent, quae, licet in possessionem Regularium haudquaquam transierint, et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab Episcopo tamen Sacerdotibus Regularibus ad tempus concreditae sunt, ut hi in iisdem functiones sacras peragant, et fidelium curae per Verbi divini praeconium et administrationem Sacramentorum ex officio deserviant.

Hinc expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: Utrum in praedictis Ecclesiis etiam Episcopus et Parochus parochiae saecularis eiusque vicarius, atque beneficiatus, propter beneficium Ecclesiae canonice adscriptus, in dicenda Missa se directorio Regularium accommodare teneantur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit: Affirmative. iuxta Decreta, n. 3862, Urbis et Orbis, 9 Decembris 1895, et n. 4051, Urbis, 15 Decembris 1899, ad II.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 27 Ianuarii 1905.

4151. ORDINIS S. BENEDICTI.

Hodiernus Caeremoniarum Magister in monasterio Ordinis S. Benedicti ad S. Stephanum, Augustae Vindelicorum in Bavaria, de consensu sui Revm̃i Abbatis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum:

In Ecclesia S. Stephani, quae ante erectionem monasterii fuit Ecclesia parochialis, ex pia dispositione et fundatione ultimi parochi, Sacerdos saecularis, qui est etiam beneficiatus vicinae Ecclesiae S. Galli, Missam celebrare, fidelium confessiones excipere aliasque sacras functiones peragere debet. Quum vero Ecclesia S. Stephani aliquot abhinc annis in possessionem monasterii legitime venerit; quaeritur: An praedictus Sacerdos beneficiatus in celebrando Sacrosancto Missae Sacrificio suum Calendarium, nempe dioecesanum, sequi debeat vel Calendarium monasterii?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, attentis expositis, una cum exquisita informatione Revm̃i Domini Episcopi Augustan. Vindelicorum, et suffragio

Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum censuit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, iuxta Decreta, n. **3862**, Urbis et Orbis, 9 Decembris 1895, n. **4051**, Urbis, 15 Decembris 1899, ad II, et n. **4150**, Ratisbonen., 27 Ianuarii 1905.

Atque ita rescripsit, die 3 Februarii 1905.

4152. COMPOSTELLANA.

Emus et Revmus Dominus Cardinalis Ioseph Maria Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit; videlicet:

In permultis Paroeciis Archidioecesis S. Iacobi de Compostella, ex antiquissima consuetudine, Festum SSmi Corporis Christi non celebratur in proprio Festivitatis die, sed in alio quocumque, etiam feriato, qui solet esse postridie Festum Sancti Patroni, vel post aliam Solemnitatem loci, quibus diebus plures Sacerdotes assistunt, et parochiani, ut plurimum pauperes, minores sumptus faciunt. Hinc idem Emus Vir expostulavit: Utrum huiusmodi consuetudo continuari possit.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondere rata est: Negative, si pro Festo intelligatur Officium cum Missa sub relativo ritu cum Octava; affirmative si Festum dicatur Solemnitas tantum externa cum unica Missa solemni vel cantata et Processione cum SSmo Eucharistiae Sacramento; iuxta Indultum s. m. Pii Papae IX, Ecclesiis particularibus Archidioeceseos Compostellanae concessum per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, die 25 Iulii 1861.

Atque ita rescripsit, die 3 Februarii 1905.

4153. DECRETUM.
SUPER LITANIIS SS. NOMINIS IESU.

Litanias in honorem Sanctissimi Nominis Iesu Apostolica Sedes iuxta unicam formam probatas trecentorum dierum Indulgentia ditavit, atque Breviarii Romani editionibus inseri decrevit. Qua vero christifidelibus huiusmodi Litanias devote recitantibus ineffabilis Eucharistiae mysterii memoria salutariter excitaretur, quidam sacri Antistites, praeeunte Emo et Revmo Domino Cardinali Adulpho Perraud, Episcopo Augustodunensi, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam X adierunt supplices, ut in iisdem Litaniis, obsecrationi *Per Ascensionem tuam, libera nos, Iesu,* de Apostolica venia, immediate adiiciatur altera: *Per Sanctissimae Eucharistiae institutionem tuam, libera nos, Iesu.* Sanctitas porro Sua his votis ac precibus, ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, pro impenso quo flagrat studio et amore erga augustissimum Eucharistiae Sacramentum, libenter annuens, praedictam in Litaniis SSmi Nominis Iesu additionem atque obsecrationem, ab iis tamen, qui optarent, Dioecesium Ordinariis, fieri posse concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Februarii 1905.

4154. MOTU PROPRIO
SS. D. N. PII PAPAE X

DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS, PRAELATIS URBANI, ET ALIIS NONNULLIS PRIVILEGIIS PRAELATORUM PROPRIIS FRUUNTUR.

PIUS PP. X.

Inter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali charactere praefulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim Apostolorum sunt Successores; de iis loquitur Cyprianus (*Ep.* 69, n. 8) dicens, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo;* nec ulla adunatur Ecclesia sine Episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (*Act.*, XX, 38). Quapropter, *Presbyteris superiores esse Episcopos,* iure definivit Tridentinum Concilium (Sess. XXIII, c. 7). Et licet Nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostri sunt Episcopi, et sacra Ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim Pontificalium usus per Decessores Nostros Romanos Pontifi-

ces aliquibus Praelatis, episcopali charactere non insignitis, concessus est, id saepe accidit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus ad hanc Apostolicam Sedem Episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt Praedecessores Nostri iustis eorum postulationibus satisfacere, sive Apostolicis Litteris, sive Sacrae Rituum Congregationis Decretis, pluries ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV, per Epist. S. Rituum Congregationis, d. d. XXXI Martii MDCCXLIV, *Sanctissimus Dominus noster*, iterumque idem Benedictus, d. XVII Februarii MDCCLII, *In throno iustitiae*; Pius VII, d. XIII Decembris MDCCCXVIII, *Cum innumeri*, et rursum idem Pius, d. IV Iulii MDCCCXXIII, *Decet Romanos Pontifices*, et Pius IX, d. XXIX Augusti MDCCCLXXII, *Apostolicae Sedis officium*. E Sacra Rituum Congregatione memoranda in primis Decreta quae sequuntur: de Praelatis Episcopo inferioribus, datum die XXVII mensis Septembris MDCLIX, et ab Alexandro VII confirmatum; dein Decreta diei XXII Aprilis MDCLXXXIV de Canonicis Panormitanis; diei XXIX Ianuarii MDCCLII de Canonicis Urbinatibus; diei XXVII Aprilis MDCCCXVIII, de Protonotariis Titularibus, a Pio Papae VII approbatum; ac diei XXVII Augusti MDCCCXXII, de Canonicis Barensibus.

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis aut Rescriptis confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro Documento, Motu proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

A) - DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS.

1. Quatuor horum habeantur ordines: I. Protonotarii Apostolici de numero Participantium, septem qui Collegium privative constituunt; II. Protonotarii Apostolici Supranumerarii; III. Protonotarii Apostolici ad instar Participantium; IV. Protonotarii Apostolici Titulares, seu honorarii (extra Urbem).

I. — Protonotarii Apostolici de numero Participantium.

2. Privilegia, iura, praerogativas et exemptiones quibus, ex Summorum Pontificum indulgentia, iamdudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium, in propriis Statutis nuperrime ab ipsomet Collegio iure reformatis inserta, libenter confirmamus, prout determinata inveniuntur in Apostolicis Documentis inibi citatis, ac praesertim in Constitutione *Quamvis peculiaris* Pii Pp. IX, diei IX mensis Febr. MDCCCLIII, paucis exceptis, quae, ut infra, moderanda statuimus:

3. Protonotarii Apostolici de numero Participantium habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum*, atque insignibus prout infra, numeris 16, 17, 18, describuntur.

4. Habitu quotidiano incedentes, caligas, collare et pileum, ut ibidem, n. 17, gestare poterunt, ac insuper annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus.

5. Quod vero, circa usum Pontificalium insignium, Xystus V in sua Constitutione *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo*,

diei VI mensis Februarii MDLXXXVI, Protonotariis Participantibus concessit: « Mitra et quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus Ecclesiis, de illorum tamen Praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra Curiam uti », in obsequium praestantissimae Episcoporum dignitatis, temperandum censuimus, ut pro Pontificalibus, extra Urbem tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad Episcopos extraneos vel Titulares, diei IV mensis Decembris MCMIII, ab Ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati Ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. In Pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus throni, pastoralis baculi et cappae; item septimi candelabri super altari, et plurium Diaconorum assistentia; Faldistorio tantum utentur, apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim in citata Xysti V Constitutione « quibuscumque aliis pontificalibus insignibus », non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis Episcopis extra Dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum* numquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium,* sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos,* de more populo benedicentes: a qua Benedictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, ad quem pertinet eam impertiri.

7. Ad Ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores Ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario ac duobus clericis, non tamen Canonicis seu Dignitatibus; seipsos tantum Aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio illis porrecto, et per Ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

8. Crux pectoralis, a Protonotariis Participantibus in pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma pendens a funiculo serico *rubini* coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato.

9. Mitra in ipsorum Pontificalibus erit ex tela aurea (nunquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta *Caeremoniale Episcoporum* (I, XVII, nn. 2 et 3); nec alia Mitra nisi simplici diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt.

10. Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante Altare, in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab Altari assumere, aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvis cum Manutergio in lance adhibere. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote non differant, nisi in usu Palmatoriae. In Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone et Urceo cum Pelvi et lance ad manutergium.

11. Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem nunc caetum, qui inter cetera Praelatorum Collegia primus dicitur et est in Romana Curia, Protonotariis Participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsis Abbatibus praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus, qui Missae ipsorum intererunt, ubivis celebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

12. Protonotarius Apostolicus de numero Participantium, qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alios, iuxta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit descriptus.

II. — Protonotarii Apostolici Supranumerarii.

13. Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui Canonicatu potiuntur in tribus Capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis Ecclesiae,

Vaticanae ac Liberianae; itemque iis qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quarumdam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Portonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro Documento, nn. 80 et 81, erit sermo.

14. Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis, tum aliarum Ecclesiarum, de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et alia servaverint quae infra, num. 34, dicuntur. Protonotarius autem *ad instar,* qui Canonicis eius modi accenseatur, eo ipso Privilegia Protonotarii Supranumerarii acquiret.

15. Protonotarii Apostolici Supranumerarii subiecti remanent proprio Ordinario, ad formam Concilii Tridentini (Sess. XXIV, c. 11), ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, numquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et palliolum, seu mantelletum supra rocchetum: insuper nigrum biretum, flocculo ornatum coloris *rubini:* pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores extremitates vestis ac mantelleti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus (*paramani*) in manicis (etiam roccheti).

17. Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano,* in congregationibus, conventibus, solemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globuli, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra.

19. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu roccheti et mantelleti in Choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes. Ii vero Canonici Protonotarii, qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut numeris 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano,* de quibus nn. 16 et 17, uti umquam poterunt.

21. Habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt; duplici ductu thurificabuntur; item, si sacris vestibus induti functionibus in Choro adsistant.

22. Gaudent indulto Oratorii privati, domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnio-

ribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis, Festis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem Altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. Licet iisdem acta conficere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

24. Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices Synodales, in Commissarios et Iudices Apostolicos etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint Canonici Protonotarii, in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu Praelati Ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus, de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica Documenta.

26. Ad Ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores Ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario et duobus clericis, non tamen a Canonicis seu Dignitatibus: seipsos tantum Aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per Ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

27. Pontificalia agent ad Faldistorium, sed vestes sacras in sacrario assumet et deponent, quae in Missis erunt: *a*) Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; *b*) Tunicella et Dalmatica; *c*) Crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; *d*) Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae *e*) Annulus cum unica gemma; *f*) Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta *Caeremoniale Episcoporum* (I, XVII, nn. 2 et 3); haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur; *g*) Canon et Palmatoria, a qua abstinendum coram Ordinario seu maiori; *h*) Urceus et Pelvis cum mantili in lance; *i*) Gremiale.

28. In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertientur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Annulo utentur, ut supra. Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi.

29. In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super Altari non utentur, nec plurium Diaconorum assistentia; Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt, non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior; intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum,* numquam dicent *Pax vobis;* trinam Benedictionem impertientur nunquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium,* sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos,* de more populo benedicentes: a qua Benedictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in pontificalibus celebrantes, Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine Mitra.

30. De speciali Commissione Ordinarii, Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes; numquam tamen ean-

dem Absolutionem impertiri illis fas erit, post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinario.

31. Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante Altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab Altari assumere (non tamen Crucem pectoralem et Aunulum), aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvis cum manutergio in lance adhibere; sed ante ℣. *Communio* manus ne lavent. In aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae: in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria Ecclesia haec prohibeantur.

32. Canonico Protonotario Apostolico Supranumerario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi infra terminos propriae Dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout Protonotariis *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est.

33. Cum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in Ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata Ordinariorum venia, ac Praesulum Ecclesiarum exemptarum conseusu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis, uti poterit.

34. Recensita hactenus privilegia illa sunt quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur. Verum, cum eadem collective coetui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequibunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati, et antea suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter Praelatos aggregationis, ut n. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur.

35. Canonici Ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius Documenti Motu proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonicatu, sunt assequuti, ab expeditione Brevis, de quo supra n. 14, dispensantur; iusiurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt infra duos menses.

36. Collegialiter, tamquam Canonici, pontificalibus functionibus, iuxta *Caeremoniale Episcoporum*, sacris vestibus induti adsisteutes, non alia Mitra utantur, quam simplici, nec umquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam Ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque iu Choro cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicis aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

37. Protonotarius Supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in Ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive iufra, sive extra degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

39. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti nou paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverit.

40. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam alicuius Ecclesiae Canouici, sed tamquam Protono-

tarii conveniant, non idcirco Collegium praelatitium constituere; verum quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

41. Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotarii Apostolici Supranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

III. — Protonotarii Apostolici ad instar.

42. Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar Participantium* illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum Ecclesia vel Dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi, de quibus hoc in Nostro Documento nn. 80 et 81 erit sermo.

43. Qui Protonotarii Apostolici *ad instar*, tamquam singuli, iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae; qui vero ideo sunt Protonotarii quia alicuius Ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur, nisi per Breve Pontificium, ut n. 14 dictum est. Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, Ordinario loci.

44. Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent, tamquam Canonici alicuius Capituli, si vacent extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur, tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri.

45. Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in Pontificia Cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20.

46. Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati Oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, ceterisque; item recipiendae Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra, nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. De venia Ordinarii et Praesulis consensu Ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas, non tamen de Requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus: nec Faldistorio nec Gremiali umquam utantur, sed una cum Ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant; caligis et sandalis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; Mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra cathedrales Ecclesias tantum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum, dummodo non assistat Episcopus Ordinarius aut alius Praesul ipso Episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, numquam ad scamnum, sed ad Altare cantabunt et legent. Manus infra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo*.

48. Poterunt insuper, pariter extra Urbem, de venia Ordinarii, et cum Praesulis Ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scamnum, more Presbyterorum, celebrare Vesperas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda,

in Processionibus, et in una ex quinque Absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano.

49. Romae Missam lectam, aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis, n. 31 constituta sunt; extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici, ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. Qui Canonicorum coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simulque suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis, initaeque possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibeat. Tum coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iurisiurandum, de more, praestet; de his denique, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexis uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, uti supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur.

51. Qui ante has Litteras, Motu proprio editas, iuribus gaudebant Protonotarii *ad instar,* tamquam alicuius Ecclesiae Canonici, a postulatione Brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iureiurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio Ordinario infra duos menses dabunt.

52. Habitum et insignia in Choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Roccheti et Mantelleti in Choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, habitu praelatitio assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus accrescent.

53. Collegialiter, tamquam Canonici, pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti assistentes, non alia Mitra utentur quam simplici, nec umquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam Ecclesiam, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, ne in Choro quidem cum aliis Mitra umquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. Protonotarius *ad instar* defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in Ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive intra, sive extra Dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

56. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli privatos se noverint.

57. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam alicuius Ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non idcirco Collegium Praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificiis Cappellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

58. Si quis, quavis ex causa, Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotariorum *ad instar* adnexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

IV. — Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii.

59. Cum Apostolica Sedes, non sibi uni ius reservaverit Protonotarios Titulares seu Honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis, Collegio Protonotariorum Participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit, antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad eiusmodi dignitatem quisque Candidatus valeat evehi, iuxta Pii Pp. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem *Cum innumeri,* Idibus Decembris MDCCCXVIII datam.

60. Quoties igitur de Honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia, quibus constet indubie: 1° de honesta familiae conditione; 2° de aetate saltem annorum quinque et viginti; 3° de statu clericali ac caelibi; 4° de Laurea doctoris in utroque, aut Canonico tantum iure, vel in S. Theologia, vel in S. Scriptura; 5° de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione; 6° de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7° de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam annui census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequutus, Protonotarius nuncupabitur.

62. Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando Choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur.

63. Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis, Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur.

64. Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (numquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, roccheto, mantelleto et bireto, absque ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris.

65. Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit.

66. Habitu praelatitio induti, omnibus clericis, Presbyteris etiam Canonicis, singulatim sumptis, praeferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae; non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu thurificantur.

67. Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato.

68. Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, Choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotariis *ad instar* constitutas, n. 52, vestis colore excepto.

70. Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant; attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmatoria tantum ipsis utenda concedi-

tur, excluso Canone aliave pontificali supellectili.

71. Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac cetera, iisdem iuribus gaudent, quibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est.

72. Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotariatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam alicuius Ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non ideo Collegium constituere.

74. Tandem qui Protonotariatu Apostolico honorario donati sunt, tamquam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis Protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint, Fideique professionem, ac fidelitatis iusiurandum coram Ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constituto emiserint. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum, eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae Dioecesis limites uti poterunt.

75. Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus Protonotarii privatos se sciant: quod si Protonotariatum, tamquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. Vicarii Generales vel Capitulares, itemque Dignitates et Canonici nomine atque honoribus Protonotariatus titularis gaudentes, si, quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu cessent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius Protonotariatus excident.

B) - DE CAETERIS PRAELATIS ROMANAE CURIAE.

77. Nihil detractum volumus honoribus, privilegiis, praeeminentis, praerogativis, quibus alia Praelatorum Romanae Curiae Collegia, Apostolicae Sedis placito, exornantur.

78. Insuper concedimus, ut omnes et singuli Praelati Urbani seu Domestici, etsi nulli Collegio adscripti, ii nempe, qui tales renunciati, Breve Apostolicum obtinuerint, Palmatoria uti possint (non vero Canone aut alia pontificali supellectili) in Missa cum cantu, vel etiam lecta, cum aliqua solemnitate celebranda; item in Vesperis aliisque solemnibus functionibus.

79. Hi autem habitum, sive praelatitium sive quem vocant *pianum,* gestare poterunt, iuxta Romanae Curiae consuetudinem, prout supra describitur, nn. 16, 17; numquam tamen vestis talaris caudam explicare, neque sacras vestes ex Altari assumere valeant, nec alio uti colore, quam violaceo, in bireti flocculo et pilei vitta, opere reticulato distincta, sive chordulis et flocculis, etiam in pileo stemmatibus imponendo, ut n. 18 dictum est, nisi, pro eorum aliquo, constet de maiori particulari privilegio.

C) - DE DIGNITATIBUS, CANONICIS ET ALIIS QUI NONNULLIS PRIVILEGIIS PRAELATORUM PROPRIIS FRUUNTUR.

80. Ex Romanorum Pontificum indulgentia, insignia quaedam praelatitia aut pontificalia aliis Collegiis, praesertim Canonicorum, eorumve Dignitatibus, quocumque nomine nuncupentur, vel a priscis temporibus tribui consueverunt; cum autem eiusmodi privilegia deminutionem quamdam episcopali dignitati videantur afferre, idcirco ea sunt de iure strictissime interpretanda. Huic principio inhaerentes, expresse volumus, ut in pontificalium usu nemini ad aliquod ex supra memoratis Collegiis pertinenti in posterum ampliora suffragentur privilegia, quam quae, superius descripta, competunt Protonotariis sive Supranumerariis, sive *ad instar,* et quidem non ultra propriae Ecclesiae, aut ad summum Dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites; neque ultra dies iam designatos, aut determinatas functiones; et quae arctiora sunt, ne augeantur.

81. Quoniam vero de re agitur haud parvi momenti, quippe quae ecclesiasticam respicit disciplinam, ne quis audeat arbitraria interpretatione, maiora quam in

concedentis voluntate fuerint, sibi privilegia vindicare; quin potius paratum sese ostendat, quatenus illa excesserint, minoribus coarctari; singulis locorum Ordinariis, quorum sub iurisdictione vel quorum in territorio, si de exemptis agatur, aliquis ex praedictis coetibus inveniatur, demandamus, ut, tamquam Apostolicae Sedis Delegati, Apostolicarum Concessionum documenta ipsis faventia, circa memorata privilegia, infra bimestre tempus, ab hisce Nostris Ordinationibus promulgatis, sub poena immediate amissionis eorum quae occultaverint, ad se transmitti curent, quae intra consequentem mensem ad Nostram SS. Rituum Congregationem mittant. Haec autem, pro suo munere, omnia et singula hisce Nostris dispositionibus aptans, declarabit et decernet, quaenam in posterum illis competant.

Haec omnia rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Februarii MCMV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

4155.

MISSIONARIORUM AFRICAE.

Hodiernus Moderator Generalis Societatis Missionariorum Africae (*Pères Blancs*) Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia circa Festum Dedicationis pro opportuna solutione humiliter exposuit, nimirum:

I. Utrum obligatio celebrandi Festum Dedicationis Ecclesiarum, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, per Decretum Cardinalis Caprara imposita omnibus Ecclesiis Gallicanis, extendatur ad omnes regiones decursu temporis Galliae subiectas, verbi gratia Sahara, Sudan, sine ulla praevia concessione Sanctae Sedis, vel expressa declaratione Praelati ecclesiasticis, sive sint Ecclesiae consecratae, sive tantum benedictae.

II. Utrum obligatio persolvendi Officium Dedicationis, de qua agitur in Decreto, n. 3752, Vicariatus Apostolici Senegambiae, d. d. 28 Novembris 1891, pro Missionariis dicti Vicariatus, extendatur etiam ad eos Missionarios qui Calendario proprio gaudent, diverso scilicet a Calendario Vicariatus, vel Dioeceseos.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta Decretum Cardinalis Legati Caprara pro reductione Festorum, d. d. 9 Aprilis 1802, et alterum Generale S. R. C., n. 3863, « Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae », 9 Iulii 1895, ad III.

Ad II. Affirmative, nisi indultum obtentum fuerit a Sancta Sede, celebrandi Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis sive Societatis, die diversa ab illa in qua Clerus saecularis celebrat Dedicationem omnium Ecclesiarum, iuxta Decretum, n. 3861, Ordinis Minorum Capucciniorum Provinciae Hollandicae, 22 Iunii 1895, ad I, et n. 3925, Ordinis Minorum Capuccinorum, 10 Iulii 1896, ad V.

Atque ita rescripsit, die 1 Aprilis 1905.

4156. COMPOSTELLANA.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Iosephus M. Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus, ad S. Rituum Congregationem mittens elenchum tum Festorum quae in sua Ecclesia Cathedrali solemniter celebrantur cum musica vocali et instrumentali, vulgo *orquesta* tum instrumentorum quibus musici utuntur in iisdem solemnitatibus: atque insuper interpretationem authenticam habere desiderans super iis, quae Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, in Motu proprio super musica sacra, statuit, nempe: « Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica instrumenta, sed annuente Episcopo, ut Caeremoniale Episcoporum praecipit », eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia enodanda reverenter proposuit, videlicet:

I. An, et in quibus Festis permitti possit usus instrumentorum, qua (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, flauta, clarinetes, fagots, trompas*) in elencho recensentur?

II. Quum ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una Pisana, n. 4111, diei 20 Martii anni 1903, tolerari non possit, ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere,* in Feriis IV, V et VI Maioris Hebdomadae, fiat simul cum instrumento *harmonium* et aliis sine strepitu, *a corda,* instrumentis: *violini, viole,*

controbassi nuncupatis, neque cum solo instrumento *harmonium:* An praedictum Decretum habendum sit tamquam Decretum Generale, seu Urbis et Orbis, ita ut ubique obliget, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, etiam immemoriali?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto utriusque Commissionis, Liturgicae ac super musica et cantu sacro, rescribendum censuit:

Ad I. Ad primam partem: Affirmative; ad secundam partem: In illis functionibus et temporibus, in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Caeremoniali Episcoporum, a praedicto Motu proprio, et a Decretis S. R. C.; verum iuxta prudens Ordinarii arbitrium, in singulis casibus.

Ad II. Affirmative, quum Decretum Rubricas respiciat, universam Ecclesiam spectantes, et in casu provisum etiam Motu proprio SSñi Dñi N. Pii Pp. X, super musica sacra, 4121, 22 Novembris 1903, et subsequenti Decreto Sacrae Rituum Congregationis, n. 4131, Urbis et Orbis, die 8 Ianuarii 1904 edito.

4157.

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis, ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa, hodiernus Reverendissimus Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exsolvenda humiliter proposuit; nimirum:

I. An Missa votiva cantata celebrari possit ac debeat semper post Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam; prouti Rubricae Generales sub tit. XV, n. 3, de Missis Defunctorum, extra solemnem eorundem Commemorationem, permittunt?

II. An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex, eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat, ratione Duplicis omitti Oratio tertia de Tempore; immo et Collectae ad omnem Votivam, si Commemoratio Duplicis primae classis habeatur; et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti?

III. An in Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex, eo die integrum Officium ac Missam obtinens, possint post tertiam et Collectas aliae pro Celebrantis lubitu adiungi Orationes, intra septenarium numerum; in iisque aliqua etiam pro Defunctis Oratio valeat recitari, prouti in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur?

IV. An in Missa votiva, cantata vel solemni vel conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis eo die occurrentis, quia nempe de alterutro vel una Missa votivam praecesserit vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari; ad Missam votivam eiusmodi Orationum numerus et qualitas ita debeant ordinari, perinde ac si Duplex vel Semiduplex non occurreret?

V. An in Missa votiva tonus festivus seu solemnis reservari dumtaxat debeat pro casu, in quo eadem Votiva respondeat Officio duplici vel semiduplici (quamvis per accidens simplici) ipsius Personae?

VI. An in aliis casibus adhibendus sit tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto hymno Angelico et *Ite, missa est* in Missis Deiparae votivis?

VII. An in Missa votiva Symbolum adhiberi debeat, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis, eo die ad instar Simplicis redacti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat?

VIII. An in Missa votiva, quae respondet diei infra Octavam, quae solam eo die Commemorationem habeat; vel etiam, si occurrat Feria maior, Missam propriam obtinens, quamvis Officium fuerit de die infra Octavam peractum; ultimum Evangelium possit esse de Feria occurrenti, et Missa post Tertiam celebrari?

IX. An in Missa votiva cantata vel solemni vel instar conventualis habenda, in diebus ritus simplicis et ferialis plures usque ad septem pro Celebrantis lubito addi possint Orationes, prouti in iisdem diebus licet in Missa votiva privata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, adhaerentis voto Rm̃i Protonotarii, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, sed servari quoque

potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam, iuxta Decreta, n. 3059, ad XII, et n. 3914, ad IV; excepta tamen Missa votiva pro re gravi, vel cum populi concursu, quae post Nonam omnino cantari debet, iuxta Rubricas.

Ad II. Affirmative in omnibus, ad mentem Decretorum, n. 2542, ad II, et n. 2597, ad II, ac praesertim n. 3574, ad V (quaest. 1-4).

Ad III. Negative ad mentem Decretorum, n. 1322, ad VIII, et n. 3832, ad VIII.

Ad IV. Affirmative, iuxta Decretum n. 3553, ad II.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Affirmative, iuxta Decretum n. 3574, ad V (quaest. 5).

Ad VII. Affirmative, ad mentem Decreti n. 4115, 15 Maii 1903, ad II, in una Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Belgicae.

Ad VIII. Serventur Decreta pro Missis votivis edita, ac praesertim n. 3922, tam quoad ultimum Evangelium, quam quoad horam celebrationis Missae solemnis.

Ad IX. Negative, iuxta Rubricas Missalis, tit. V, num. 4, pro Missis Defunctorum. In Missis autem conventualibus et cantatis, quando dici possint ad libitum aliquae Orationes, non pro lubito Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae.

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

4158.
PLACENTINA IN HISPANIA.

Episcopus Placentinus in Hispania Sacrorum Rituum Congregationi reverenter sequentia dubia solvenda subiecit:

I. Utrum, in privata recitatione, Matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellae Directorii dioecesani, omni tempore?

II. Utrum etiam in publica seu chorali recitatione Officium incipi possit hora secunda pomeridiana?

III. Utrum hora recitandi Matutinum annumerari queat indiscriminatim ex meridiano circulo locali, aut ex meridiano circulo officiali dicto *Greenwik,* qui quidem anticipat horam circuli localis per tertiam horae partem, plus minusve?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Negative.

Ad III. Ad libitum.

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

4159. CONGREGATIONIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE.

Calendarista Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, de consensu sui Superioris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum:

I. Quum per Decretum Generale n. 4047, datum die 13 Novembris, 1899, Festum S. Bedae Venerabilis ad Ecclesiam universalem extensum fuerit, quaeritur: An utentes Breviario Monastico debeant recitare Lectiones pro universali Ecclesia per dictum Decretum approbatas, vel potius illas iampridem pro Ordine Sancti Benedicti concessas?

II. In Missa S. Michaelis Archangeli, Patroni Congregationis Eremitarum Camaldulensium, approbata per Decretum 22 Iulii 1809, duae habentur Orationes, quarum prima propria dicenda est ubi Sanctus Michael est Titularis Ecclesiae vel Altaris, altera communis dicenda praescribitur ubi Sanctus Michael Titulus Ecclesiae vel Altaris non est. Quaeritur, utrum praedicta Oratio propria in locis, in quibus Sanctus Michael est Titularis, dicenda quoque sit in Officio, altera autem de Communi in Suffragiis?

III. Iuxta quosdam Auctores, Commemoratio S. Mariae non fit inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum, sive coniungantur Officio diei, sive separatim recitetur, sive ex devotione tantum, sive ex obligatione dicatur. Cum vero ex Constitutionibus Congregationis Eremitarum Camaldulensium dictum Officium parvum B. M. V., diebus quibus in Choro non dicitur, quotidie privatim ab unoquoque persolvatur, a supradicta doctrina perpetua omissio Commemorationis eiusdem B. M. V. in Suffragiis sequeretur; hinc quaeritur, an Commemoratio B. M. V. inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum, omittenda sit tam in Choro quam

extra Chorum, sive dictum Officium parvum coniungatur Officio diei, sive separatim aut privatim recitetur, tam diebus quibus in Choro persolvitur, quam illis quibus in eodem omittitur?

IV. An Hymni in Officio Commemorationis et in Officio votivo Passionis D. N. I. C., deficientibus propriis Vesperis, sint transponendi, et quid sit faciendum in defectu tam primarum quam secundarum Vesperarum?

V. An in Ecclesiis Congregationis Camaldulensis in Processione Feriae VI in Parasceve, cantandus sit Hymnus *Vexilla* prouti in Breviario Romano, vel ut in Breviario Monastico; Missale enim Monasticum nil dicit.

VI. Praelati omnes praedictae Congregationis, ex consuetudine, diverso ritu adsperguntur, h. e. non a superiori parte ad inferiorem uti reliqui, sed contrario, a parte inferiori ad superiorem. Quaeritur, utrum eiusmodi ritus servari possit?

VII. Iuxta consuetudines eiusdem Congregationis, quando Prior Hebdomadarii munus gerit, Sacerdos illi proximior Homiliae Lectiones legit, non enim decet Praelatum a subdito benedici, quod tamen in Superiore non Praelato nequaquam militat. Si ergo Prior Lectiones quoque ex necessitate aliave de causa legit, an alius pro eo debeat Benedictionem petere et ipsemet Lectiones recitaturus Benedictionem dare, vel dictus Prior debeat petere Benedictionem cum *Iube, domne,* et sibi ipsi illam impertire, aut potius debeat petere Benedictionem cum *Iube, domne,* et illi debeat dignior Sacerdos de Choro more solito Benedictionem impertire?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Sumantur, in casu, lectiones pro universali Ecclesia concessae.

Ad II. Adhibeatur in omnibus Ecclesiis Congregationis Oratio prima, Patroni seu Titularis propria, tam in Officio quam in Suffragio; mutato sic Orationis fine: *ut ipsius omniumque Angelorum memoriam colentes in terris, eorum quoque precibus adiuvemur in coelis.*

Ad III. Affirmative in omnibus, iuxta Rubricas Generales Breviarii, tit. XXXV, n. 4, et Decretum Generale, n. **4043**, circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum, 27 Iunii 1899, ad III.

Ad IV. Affirmative, in Officio tam festivo quam votivo; et si Officium utrisque Vesperis careat, ad Matutinum dicatur Hymnus *Moerentes,* omisso Hymno *Aspice,* utpote minoris momenti, iuxta Decretum Congregationis Eremitarum Camaldulensium M. C., n. **4126**, 11 Decembris 1903, ad II, pro Hymnis S. Mariae Magdalenae.

Ad V. Attentis expositis, et ratione canendi Hymni *Pange, lingua,* eadem Feria VI in Parasceve, post ℣. *Crux fidelis,* sub Crucis adoratione, etiam apud Camaldulenses, affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad VI. Negative; et ipsi Praelati aspergantur iuxta ritum in universa Ecclesia receptum.

Ad VII. Seclusa Rubrica peculiari per Apostolicam Sedem confirmata. Praelati Episcopo inferiores Benedictionem a digniore persona expetant per verba *Iube, domne,* eaque accepta, lectiones per se legant, prouti ex Decreto n. **1108**, Putignani, Nullius, 15 Februarii 1659, ordinatur.

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

4160.

MOTU PROPRIO

Quo usus Crucis pectoralis conceditur Cardinalibus Ordinis presbyteralis ac diaconalis, episcopali charactere non insignitis.

PIUS PP. X.

Crux pectoralis, quamvis sit peculiare dignitatis episcopalis insigne, haud ita tamen est Episcoporum propria, ut ea nullus alius Praelatus legitime usus sit vel

PIUS PP. X.

La Croce pettorale, distintivo particolare della dignità vescovile, non è però talmente propria dei Vescovi, che non siasi usata nè si usi legittimamente da nessun

utatur; omnibus quippe compertum est, eam compluribus dignitatibus Cleri saecularis ac regularis, variis temporibus, a S. Sede indultam esse, opportunis cum cautelis et restrictionibus, atque cum amplitudine plus minusve notabili. Quod admittitur et confirmatur Nostro Motu proprio diei 21 Februarii currentis anni, quo permisimus, ut Protonotarii Apostolici de numero Participantium, nec non Supranumerarii atque illi qui ad instar Participantium appellari solent, ad Ecclesiam accedentes, pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, Crucem gestare possint pectoralem, ea forma, quae ibi expresse memoratur. Itaque Nos animadvertentes, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, iuxta sententias a Summis Pontificibus Nostris Praedecessoribus adhibitas, « esse praecipua Papae membra; repraesentare Apostolos, cum Christi erant ministri; tamquam consiliarios atque coadiutores Vicarium Dei assistere in catholico orbe regendo; ad Apostolicum Collegium vocatos, totius mundi coniudices fieri; regibus similes esse, et iure veros cardines vocari, quibus Ecclesiae ianua verti, atque firma stabilisque manere debet »; censemus maxime et omnino convenire, ut ipsi, in sacris insignibus utendis, nulli Praelato inferiori sint aut videantur quoquo modo secundi. Cum igitur ius publice privateque Crucis pectoralis deferendae competat omnibus Episcopis, atque, praesertim pro sacris functionibus solemnibus, non paucis aliis Praelatis, saecularibus et regularibus: quo magis honorata appareat tum publice tum private sublimis cardinalitia dignitas, in iis quoque S. Collegii membris, quae consecrationem episcopalem non habeant; Nos omnibus Cardinalibus praesentibus et futuris ex Ordine presbyterali ac diaconali, episcopali charactere non insignitis, concedimus, in perpetuum ac sine ulla limitatione, ut publice ac privatim se Cruce pectorali ornare valeant; atque volumus et iubemus, ut, quoad hoc, nullum adsit discrimen inter Cardinales, charactere episcopali insignitos et Cardinales, eodem charactere non insignitos; ita ut omnibus concedatur, omnibusque gestanda sit praefata Crux pectoralis, etiam coram Romano Pontifice; et, ab hac die, ius illam ferendi competat non minus Cardinalibus, episcopali charactere non insignitis, quam ceteris, atque totius orbis

altro Prelato; essendo a tutti ben noto, che essa a parecchi dignitari del Clero secolare e regolare venne dalla S. Sede, nelle varie epoche, accordata, con opportune cautele e restrizioni, e con ampiezza più o meno notevole. Il che vedesi ammesso e confermato dal Nostro Motu proprio del 21 Febbraio del corrente anno, col quale abbiamo concesso, che i Protonotari Apostolici *de numero Participantium,* nonchè i Soprannumerarî e quelli che *ad instar Participantium* sogliono addomandarsi, *ad Ecclesiam accedentes pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes,* possano portare la Croce pettorale nella forma, di cui ivi si fa espressa menzione. Ora, considerando che i Cardinali della Santa Romana Chiesa, secondo le sentenze adoperate dai Sommi Pontefici, Nostri Antecessori, « sono i principali membri della persona del Papa; rappresentano gli Apostoli quando di Cristo erano ministri; assistono il Vicario di Dio in qualità di consiglieri e coadiutori nel governo del mondo cattolico; chiamati al Collegio Apostolico, addivengono congiudici di tutta la terra; sono simili ai re, e giustamente hanno nome di veri cardini, sui quali deve volgersi la porta della Chiesa, e salda e stabile mantenersi »; Noi pensiamo, essere altamente e del tutto conveniente, ch'essi, nell'uso delle sacre insegne o distintivi, a nessun Prelato, a loro inferiore, sieno o sembrino in alcun modo secondi. E, di conseguenza, giacchè il diritto di portare pubblicamente e privatamente la Croce pettorale è riconosciuto in tutti i Vescovi, e, per le sacre funzioni solenni segnatamente, in non pochi altri Prelati, secolari e regolari: affinchè pubblicamente e privatamente si appalesi vie più onorata la sublime dignità cardinalizia ancora nei membri del S. Collegio, i quali non abbiano la consacrazione vescovile, Noi, a tutti i Cardinali, presenti e futuri, dell'Ordine presbiterale e diaconale, non consecrati Vescovi, concediamo, in perpetuo, e senza limitazione veruna, di potere, in pubblico ed in privato, ornarsi della Croce pettorale; e vogliamo ed ordiniamo, che in ciò non siavi alcuna distinzione tra Cardinali aventi e non aventi il carattere episcopale; talchè a tutti sia concesso, e tutti debbano portare la detta Croce pettorale, anche nella presenza del Romano Pontefice; e, da questo giorno, il diritto di decorarsene sia non meno proprio dei

Episcopis. Irritam atque nullam declaramus quamlibet contrariam exceptionem seu restrictionem, et decernimus, ut, quod in hoc Nostro Motu proprio continetur, semper stabile ac firmum teneatur.

Datum Romae, ex Aedibus Vaticanis, hac die 24 Maii 1905, in Festo B. M. V. *Auxilium Christianorum*, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

Cardinali non insigniti del carattere vescovile, che degli altri, e dei Vescovi del mondo intero. Dichiariamo irrita e nulla qualunque eccezione o restrizione in contrario, e decretiamo che si debba sempre ritenere stabile e fermo quanto è contenuto in questo Motu proprio.

Dato in Roma, dal Palazzo Apostolico Vaticano, questo dì 24 Maggio 1905, Festa della B. V. M. *Auxilium Christianorum*, anno secondo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X.

4161.

ORDINIS CARMELITARUM ANTIQUAE OBSERVANTIAE.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, humillime exposita sunt; nimirum:

I. An ritus proprius, quo Carmelitae Antiquae Observantiae utuntur in celebratione Missae et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, retinendus sit ab omnibus Religiosis ad Ordinem pertinentibus, iis non exceptis, qui ad Paroecias regendas assumuntur?

II. An sit improbanda praxis recepta in Liturgia Carmelitica, ut quae formae ac Caeremoniae pro uno vel altero Sacramento vel Sacramentali deerant in ritu Ordinis peculiari, ex Rituali Romano desumerentur? Et quatenus affirmative ad I, et negative ad II:

III. An in facultate sit Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum A. O. tam ritus peculiares Ordinis, quam eos qui ex Rituali Romano supplentur, in unum volumen colligere sub titulo *Ritualis Carmelitici*, et omnibus suis subditis huius Ritualis observantiam praescribere?

Sacra porro Rituum Congregatio, in peculiari Coetu ad Vaticanum habito die 16 vertentis mensis Maii, proponente Emo et Rmo Domino Cardinali Vincentio Vannutelli, Episcopo Praenestino et Relatore, audito etiam R. P. D. S. Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Quas resolutiones Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X a Cardinali S. R. C. Pro-Praefecto relatas Sanctitas Sua ratas habere et confirmare dignata est, die 24 Maii 1905.

4162. ORIOLEN.

Rmus Dnus Ioannes Maura et Gelabert, Episcopus Oriolensis, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur, humiliter exposuit:

In Cathedrali Ecclesia Oriolensi, inde ab anno 1626, adest consuetudo, vi cuius Canonicus Hebdomadarius utitur stola in omnibus Horis canonicis persolvendis. Item diebus in quibus iuxta Caeremoniale Episcoporum assumenda sunt pluvialia, accipiuntur hoc modo: Hebdomadarius habens stolam supra mozzetam, manet in habitu chorali usque ad Hymnum, infra cuius cantum accipit pluviale; duo Beneficiati in festis minus solemnibus, simul cum duobus Canonicis in solemnioribus, illud accipiunt in principio Vesperarum, sed tam omnes isti quam Hebdomadarius pluviale assumunt in ipso Choro, quin in sacristiam conveniant; tempore vero incensationis, idem Hebdomadarius associatur ad Altare a duobus aliis Beneficiatis, simplici habitu chorali indutis. Tandem, in fine Vesperarum, omnes qui pluvialia assumpserunt, illa deponunt, quin e Choro egrediantur. Nunc vero, cum circa legitimitatem harum consuetudinum graves dubitationes exortae sint, nuperrime, et inter ipsos Capitulares non conveniat, quid agendum sit, idem Ordinarius, ad omnem ambiguitatem et inquietudinem e medio tollendam, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Congregatione expetivit; nempe:

I. An huiusmodi usus stolae, saltem at-

tenta perantiqua consuetudine, uti legitimus sit habendus ideoque servandus?

II. An vi eiusdem consuetudinis Hebdomadarius possit manere in habitu chorali usque ad Hymnum, et tunc assumere pluviale?

III. An pluvialia in Vesperis solemnibus possint assumi et deponi in ipso Choro, quin necesse sit in sacristiam convenire?

IV. An qui assistunt Hebdomadario, tempore thurificationis, debeant esse iidem, qui ab initio parati fuerunt, vel possint esse duo alii Beneficiati, simplici habitu chorali induti?

V. An sustineri possit consuetudo, ut duo Canonici, absente Episcopo, induantur pluvialibus, ad fungendum munere assistentium in diebus solemnioribus, prout in hac Cathedrali consuetum fuit pro Vesperis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae, reque diligenter expensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, iuxta Decretum n. 1275, Dalmatiarum, 4 Augusti 1663, ad III.

Ad II et III. Negative, et servetur Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. III, n. 1, 2, 3 et 4.

Ad IV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, et servandum Caeremoniale Episcoporum, loco citato, n. 10.

Ad V. Canonicos in casu non teneri, iuxta Decretum n. 1391, Papien., 20 Iulii 1669, ad III.

Atque ita rescripsit, die 30 Maii 1905.

4163. DUBIUM.

A Sacrorum Rituum Congregatione humillime exquisitum est, an Tertiarii Ordinum Regularium in Processionibus incedere possint sub eadem Cruce Ordinis primarii?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit: Affirmative, data praeferentia Fratribus primi Ordinis.

Atque ita rescripsit, die 30 Iunii 1905.

4164. ATREBATEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Atrebaten., et eiusdem Dioecesis Calendarii Redactor, de licentia sui Rmi Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit: Utrum in Ordinatione peragenda, Sabbato quatuor temporum Pentecostes, vel diebus Dominicis, ex indulto Apostolico, pronuntianda sint ante singulas Orationes super Ordinatos verba Pontificalis *Flectamus genua?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa rescribendum censuit: Affirmative, iuxta Pontificale Romanum.

Atque ita rescripsit, die 7 Iulii 1905.

4165. DUBIORUM.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione exposita sunt, nimirum:

I. Utrum in Altarium consecratione, loco calcis et sabuli, quae a Pontificali Romano indicantur, adhiberi possit gypsum, coementum, vel quid simile; et quatenus affirmative, an in casu Oratio analoga sit immutanda?

II. Cum ante ostiolum Tabernaculi nihil queat collocari, an exceptio sit facienda pro tabella Secretarum; aut saltem, quatenus haec inferius non possit collocari, valeat in duas dividi, hinc et inde apponendas?

III. Licetne Celebranti cum sacris Ministris in Missa sedere ad *Gloria* etc. eodem in scamno, quo sedet Clerus de Choro, in parte Altari proximiore?

IV. Quum scamnum Celebrantis et Ministrorum alto postergali praeditum est, potestne serico panno contegi usque ad summum?

V. Licetne pannum emortuale aurea tela conficere, quam sola nigra zona circumdat, saepe phrygio opere aureo, maxima ex parte, ornata?

Et Sacra eadem Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad utrumque.

Ad II. Affirmative, et iuxta consuetudinem.

Ad III. Non esse interloquendum.

Ad IV. Ut in praecedenti.

Ad V. Colorem panni emortualis esse debere nigrum, ornamenta autem sobria esse oportere.

Atque ita rescripsit, die 4 Augusti 1905.

4166. DECRETUM

SEU INSTRUCTIONES CIRCA EDITIONEM ET APPROBATIONEM LIBRORUM CANTUM LITURGICUM GREGORIANUM CONTINENTIUM.

Quum SSm̃us D. N. Pius divina Providentia Pp. X, suis litteris Motu proprio datis sub die 25 Aprilis anni 1904, n. **4134**, disposuerit, ut editores cantum gregorianum a Se restitutum typis mandare possint iuxta Vaticanam editionem, opportunum huic Sacrae Rituum Congregationi visum est, nonnullas instructiones seu leges evulgare, a praedictis editoribus observandas, quandocumque novam aliquam impressionem cautus liturgici parare voluerit. Hae autem leges, in Audientia diei 7 vertentis mensis Augusti ab eodem SSm̃o D. N. admissae et approbatae, sunt quae sequuntur:

I. Editores seu typographi cuiuscumque loci vel regionis, qui gregorianas melodias in Vaticana editione contentas imprimere voluerint, sive aequali forma sive grandiori vel minori, sive omnes, sive aliquas tantum, ab eadem Sede Apostolica prius facultatem obtinere curabunt.

II. Ab unoquoque ex editoribus, qui huiusmodi pontificiam facultatem obtinuerint, haec erunt, diligentissime attendenda:

a) Forma notularum aliorumque gregoriani cantus signorum ea debet servari, quam maiores instituerunt, et editio Vaticana adamussim exhibet.

b) Nihil praesertim mutari potest in ordine, quo eaedem notulae pro variis sonorum intervallis sibi succedunt.

c) Neque pariter in modo, quo ipsae notulae pro diversis neumarum, ut aiunt, formulis copulantur.

d) Absolutissima quoque verborum sacri textus relatio ad notulas cantus observetur, ita ut unaquaeque syllaba notulae vel notulis suis penitus subiacet.

III. Editione parata ac confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica Vaticana.

IV. Ordinarius vero declarationem huiusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare.

V. Illis Officii liturgici partibus quae cantus diversos pro diversitate diei vel Festivitatis admittunt, ut v. g. Hymni et Ordinarium Missae, melodiae possunt adaptari, quae in editione typica non reperiantur, et a Sacra Rituum Congregatione approbari, servatis debitis conditionibus, iis maxime quae in § *d*) Motus proprii 25 Aprilis 1904 apponuntur. Minime vero tonorum seu cantuum huiusmodi varietates admittantur in ceteris partibus, v. g. in Antiphonis et Responsoriis sive Officii sive Missae.

VI. Si autem agatur de Officiis propriis alicuius Ecclesiae vel Ordinis regularis, Romanum ritum sectantis, aut de Officiis noviter concessis, gregorianae eorum cantilenae, a viris peritis restitutae vel concinnatae item Sacrae Rituum Congregationis approbationi subiiciantur; qua obtenta, Ordinarius loci certior factus, ut supra, de concordantia cum originalibus a S. Congregatione recognitis, declarationem requisitam concedet.

VII. Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, iuxta art. 4 et 6, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis.

VIII. Quandocumque liber sacrum cantum continens vel melodia quaelibet liturgica Sacrae Rituum Congregationi ad approbationem obtinendam subiiciuntur, tria exemplaria ad eandem mittenda sunt.

IX. Melodia gregoriana, ad usum liturgicum a S. R. C. secundum normas praedictas destinata et commendata, ad sacrum Ecclesiae Romanae thesaurum seu patrimonium, sicut ipse textus, pertinet. Itaque quando novus textus fidelibus ab ipsa proponitur seu conceditur, cantus textui respondens ita simul concessus reputatur, ut nullus editor vel auctor querelam de eo movere possit, quod Apostolica Sedes easdem melodias ad alias extendat Ecclesias.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Augusti 1905.

4167.
MONIALIUM CONCEPTIONISTARUM.

Abbatissae Monasteriorum Monialium vulgo Conceptionistarum, in Regnis Hispaniae et Belgii existentium, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuerunt:

Moniales Conceptionistae quotidie per annum legunt Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V., a sa. me. Pio Papa IX anno 1863 approbatum, exceptis quibusdam diebus, in quibus Officium diei recitant, secundum Breviarum Romanum ad usum Fratrum Minorum. Officium vero Immaculatae Conceptionis, diebus indultis, sub eodem ritu persolvunt, quo apud Fratres Minores Festum seu Officium, cui illud subrogatur, non tamen ritu minore quam semiduplici, non omissa Commemoratione diei currentis aliisque de iure faciendis, iuxta Rubricas. Haec omnia enucleatae et distincte patent ex Rescripto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, d. d. 13 Martii vertentis anni 1905.

Attamen, quoad Missae de Immaculata Conceptione Officio respondentis celebrationem et relativa postulata, Sacra eadem Congregatio rescribi mandavit, « Recurrendum esse ad Sacram Congregationem Rituum ». Hinc Abbatissae Oratrices ab hac Sacra Congregatione suppliciter expostularunt, ut declarare et concedere dignaretur:

I. Ut Missa Immaculatae Conceptionis, Officio conformis, dicatur cum *Gloria* et *Credo;* et in Secreta dicatur: Quam in commemoratione Immaculatae Conceptionis ».

II. Ut die 14 Augusti et die 7 Decembris, si iuxta indultum fiat Officium de Immaculata, Missa tamen legatur de Vigilia, cum Commemorationibus occurrentibus.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a SS. D. N. Pio Papa X tributis, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositis postulatis ita respondere censuit:

Ad I. Quoad primam partem: Affirmative, pro gratia; verum, quoad Symboli additionem, dummodo Officium sub ritu saltem duplici celebretur; quoad secundam partem: Affirmative.

Ad II. Negative, die 14 Augusti, in qua Officium et Missa de Vigilia Assumptionis, loco Officii et Missae de Immaculata Conceptione Deiparae peragatur, iisdem iuribus, at sub ritu feriali; affirmative, die 7 Decembris, sed Missa Vigiliae sub ritu feriali et colore violaceo celebretur.

Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit, die 11 Augusti 1905.

4168. DECRETUM.

Post Apostolicas Litteras SSmi D. N. Pii divina Providentia Papae X, Motu proprio datas die 25 Aprilis 1904, n. **4134**, quibus decernitur nova committenda typis Vaticanis editio librorum, cantum gregorianum S. R. Ecclesiae proprium continentium, prout ab ipsomet Pontifice restitutus fuit, Commissio Pontificia, mandata et desideria eiusdem Pontificis adimplens, ipsam editionem summo studio ac diligentia paravit, atque perfecit.

Haec vero S. Rituum Congregatio, hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus habendam esse declarat atque decernit; ita ut in posterum melodiae gregorianae, in futuris huiusmodi librorum editionibus contentae, praedictae typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato, adamussim sint conformandae, etiamsi agatur de excerptis ex libris iisdem.

Nulli tamen fas erit, librorum cantus gregoriani sic restituti in totum vel ex parte editionem suscipere aut evulgare, nisi prius a S. Sede facultatem obtinuerit, normis servatis et instructionibus, quae in Decreto Sacrae huius Congregationis, n. **4166**, diei 11 Augusti 1905, continentur.

Denique haec eadem S. Rituum Congregatio, de mandato SSmi, declarat, vivissimum esse eiusdem Sanctitatis Suae desiderium, quod ubique locorum Ordinarii curent, ut quilibet libri hucusque editi cantum liturgicum referentes, etiamsi quocumque Pontificio privilegio muniti, aut quavis adprobatione commendati, sensim sine sensu, quamprimum tamen, ab Ecclesiis, etiam Regularium, Romanum ritum sectantibus amoveantur, ita ut libri liturgici gregorianos concentus continentes ii tantummodo adhibeantur, qui, iuxta normas supradictas compositi, huic typicae editioni plane fuerint conformes.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Augusti 1905.

4169. DUBIUM.

Ad Sacram Rituum Congregationem sequens dubium, pro opportuna solutione, humiliter exhibitum est:

Utrum apud Regulares familias iis non exceptis quae ex privilegio S. Sedis peculiarem Liturgiam sequuntur a Romana difformem, Sacerdotes in Missa aliisque divinis Officiis amictum super nedum caput imponere debeant, an etiam possint ipsum amictum caputio superimponere?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 23 Augusti 1905.

4170. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

Ferme omnes Ecclesiae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum in Gallia sunt clausae, et Conventus Religiosis vacant. In manus sic dicti Liquidatoris transierunt Ecclesiae et conventus; nihilominus in locis, ubi erant Conventus, remanserunt Religiosi, qui licet separatim vivant, Superiorem localem habent.

Quibus sic stantibus, a Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: Utrum praedicti Fratres, degentes in loco ubi primum erat Conventus, teneantur Officium Titularis Ecclesiae conventualis, clausae et etiam in alios usus conversae, celebrare sub ritu duplici primae classis cum Octava, et in Suffragiis Sanctorum Commemorationem praefati Titularis peragere?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: Negative; sed unice tenentur ad Officium et Suffragium de Patrono seu Titulari Provinciae Regularis, quatenus ex Rubrica vel indulto Apostolico habeatur; uti in Decreto n. **3210**, Ordinis Minorum, 3 Iulii 1869.

Atque ita rescripsit, die 9 Septembris 1905.

4171. DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutio expetita fuit, nimirum: Utrum Vicarius Capitularis, quando aliquem Episcopum viciniorem invitat ad Missam et Vesperas, ut pontificali ritu concelebret, possit illi concedere Thronum aut saltem baculum pastoralem?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam suffragio Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondendum censuit: Negative ad primam partem, prouti eruitur ex Decreto Generali n. **4023**, d. d. 12 Iunii 1899, super iure Episcoporum dioecesanorum cedendi Thronum alteri Episcopo. Item, negative ad secundam, nisi usus baculi requiratur ex Rubrica, uti in consecratione Ecclesiarum.

Atque ita rescripsit, die 4 Novembris 1905.

4172. DUBIORUM.

Ad Sacram Rituum Congregationem sequentia dubia humiliter exhibita sunt solvenda, nimirum:

I. Permittine potest in Defunctorum Officiis legile Chori et scamnum Celebrantis ac Ministrorum nigro aut violaceo panno, etiam serico, contegere?

II. Possuntne adhiberi pulvinaria in Celebrantis ac Ministrorum scamno, saltem si hi sint Canonici vel Praelati?

III. Die Festo alicuius Sancti, exposita eius Reliquia, loco Altaris principe, debetne inclinatio, cum Sanctus nominatur in Missa, erga ipsam fieri, an versus imaginem vel Missale?

IV. Quando Subdiaconus Feria V in Coena Domini, vel alias, exposito SSmo Sacramento, allaturus est Calicem ad abacum, teneturne genuflectere, antequam a mensa recedat, imo Calicem ipsum accipiat, et etiam per medium transiens, super infimo gradu? In reditu autem debetne genuflexionem post Celebrantem, Postcommunionem canentem, peragere?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Tam in Missis quam in Vesperis standum esse Decreto n. **2079**, ad VII, Cortonen., d. d. 19 Septembris 1710.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et tertiam, ad mentem Decreti n. **3767**, Calaguritana et Calceaten. 13 Februarii 1892, ad XXV.

Ad IV. Ad primam quaestionem: Affirmative ad utrumque; ad alteram: Negative.

Atque ita rescripsit, die 7 Novembris 1905.

4173. URGELLEN.

Rm̃us Dñus Episcopus Urgellensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit; nimirum:

Iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis, n. 3664, d. d. 28 Maii 1886, Tertiariis Franciscalibus, coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub Cruce incedentibus, ius inest praecedentiae super quascumque alias laicas Sodalitates.

Praeterea, Decreto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, 6 Aprilis 1900, Em̃i Patres declarandum esse censuerunt, « Tertiarios S. Francisci, necnon aliorum Ordinum, tum solummodo habere ius praecedentiae in Processionibus, cum iidem collegialiter incedunt sub propria Cruce, ac veste uniformi induti, vulgo *sacco* ».

Iam vero in Hispania generatim nec Tertiarii nec alii confratres utuntur *sacco*, sed tantum scapulari, cingulo, numismate, etc., iuxta cuiusquam Tertii Ordinis aut Sodalitatis diversa statuta aut praxim.

His praemissis, idem Rm̃us Episcopus expostulavit:

I. An cum nec Tertii Ordines nec Confraternitates aut Sodalitates *sacco* utantur, ius praecedentiae competat Tertiariis super quascumque Sodalitates laicas?

II. An etiam tunc ius praecedentiae competat Confraternitati SSm̃i Sacramenti super alias Sodalitates in Processionibus, in quibus defertur SSm̃a Eucharistia, non autem super Tertios Ordines?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative in casu; sed Tertiarii cuiusque Ordinis, et Confraternitatum sodales hortandi sunt, ut vestem integram vulgo *saccum* in Processionibus, ex antiquo et laudabili Ecclesiae more, velint assumere.

Ad II. Affirmative; reservata iugiter praecedentia fratribus cuiusvis Tertii Ordinis.

Atque ita rescripsit, die 10 Novembris 1905.

4174. DUBIORUM.

I. Quum in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XI, n. 1, legatur: « Omnia paramenta, tam Altaris, quam Celebrantis et Ministrorum, librorum et faldistorii sint nigra, et in his nullae imagines mortuorum, vel Cruces albae ponantur », quaeritur: An in dictis paramentis repraesentari possint calvaria cum ossibus decussatis defunctorum?

II. Ex Decreto S. R. C. n. 3832, Dubiorum resolutio, 17 Iulii 1894, ad IV, permittitur ut palla Calicis in parte superiori sit cooperta panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto, dummodo palla linea subnexa Calicem cooperiat, ac pars superior non sit nigri coloris, nec cum aliquo mortis signo. Quaeritur: An huiusmodi palla subnexa possit esse linum Cruce munitum et subsutum, ad modum pallae, nec amovibile?

Et Sacra Rituum Congregatio, pro solutione horum dubiorum rogata, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, et servetur Caeremoniale Episcoporum, loco citato.

Ad II. Negative, et palla subnexa, proprie dicta, sit linea, munda et facile amovibilis.

Atque ita rescripsit, die 24 Novembris 1905.

4175.

ORDINIS CARMELITARUM
ANTIQUAE OBSERVANTIAE.

Rm̃us P. Pius Maria Mayer, Prior Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum, Liturgiam Ordinis respicientium, solutionem humillime postulavit, videlicet:

I. An in Festo S. Familiae ad Matutinum ante Lectiones dicendae sint Benedictiones communes, an vero propriae Festorum B. M. V.?

II. An in eodem Festo ad *Nunc dimittis* in Completorio dicenda sit Antiphona *Al-*

leluia: Verbum caro factum est, Alleluia: et habitavit in nobis, Alleluia: Alleluia?

III. An, praeter eas quae in Breviario Ordinis, edito anno 1886, iam sunt inscriptae, Lectiones primi Nocturni in Festis dupl. min. I classis legendae sint de Communi, vel de Scriptura occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 1 Decembris 1905.

4176.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIAE S. LEOPOLDI.

Director Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci, in Regulari Provincia S. Leopoldi, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expostulavit:

Utrum Director Tertii Ordinis, vel Sacerdos facultate praeditus, qui Tertiariis saecularibus congregatis Benedictionem cum Indulgentia plenaria, sic dictam Absolutionem generalem, impertitur, uti debeat stola coloris diei, vel albi, vel violacei?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Utatur stola coloris violacei.

Atque ita rescripsit, die 22 Decembris 1905.

4177.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIAE APULIAE.

Redactor Calendarii Fratrum Minorum in Regulari Provincia Apuliae, de consensu sui Rm̃i Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. An Collectae ab Episcopo seu Ordinario loci imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omitti debeant?

II. An Missa conventualis, quae sine cantu celebratur in Ecclesiis Regularium, debeat aequiparari Missae solemni, sive quoad omittendam Commemorationem Simplicis et reticendas Collectas ordinarias ab Ordinario loci praescriptas, sive quoad praetermittendas Orationes post Missam iniunctas: idque etiamsi postea alia Missa de die concinatur?

III. An Sacerdos, sacris vestibus Sacrificii indutus, possit administrare Sacram Communionem, data rationabili causa, ante vel post Missam solemnem aut cantatam aut etiam conventualem, sicuti permittitur ante vel post Missam privatam?

IV. An in Processione, quae die prima Augusti sub Vesperis fit per Ecclesiam et ante Conventum per aliquot passus, ad annuntiandam sive incipiendam Indulgentiam Portiunculae, Sacerdos pluviali albo indutus gestare possit Reliquiam Sancti Patris Francisci, vel tabellam cum inscriptione Indulgentiae plenariae: et quaenam, silente Caeremoniali Ordinis, in eadem Processione Preces recitandae sint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Servetur Decretum n. **3697**, Ordinis Minorum Capuccinorum Sancti Francisci, 7 Decembris 1888, ad VII, et alterum n. **2740**, Tridentina, 12 Martii 1836, ad VII.

Ad III. Negative.

Ad IV. Nihil obstat in casu, quominus Reliquia Sancti Francisci in hac Processione gestetur, recitando vel cantando aliquem Hymnum in honorem eiusdem Sancti: tabula autem Indulgentiae plenariae non deferatur in Processione, sed affigatur, si placeat, ante portam Ecclesiae.

Atque ita rescripsit, die 19 Ianuarii 1906.

4178. DECLARATIO

CIRCA EDITIONEM ET APPROBATIONEM LIBRORUM CANTUM LITURGICUM GREGORIANUM CONTINENTIUM.

A nonnullis editoribus proponitur subinde quaestio de modo interpretandi dispositiones art. II et IV Decreti seu Instructionum Sacrae Rituum Congregationis, diei 11 Augusti 1905, n. **4166**, circa editionem et approbationem librorum, cantum

liturgicam gregorianum continentium. Ad hanc autem quaestionem solvendam eadem Sacra Congregatio, de mandato SSmi D. N. Pii Papae X, quae sequuntur declarat:

I. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex eis quae eandem habent rationem vel significationem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eandemque figuram referunt, pariter in alia editione, quae ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes exstent et coaequales. Ideoque signa, quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsae coniunguntur, afficere debent.

II. Quamvis editio aliqua fuerit recognita ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tamquam de cetero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte servet; quatenus, inter notulas typicas et signa quae superveniunt, iam amplius confusio oriri nequeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Februarii 1906.

4179.

SOCIETATIS SALESIANAE.

Quum circa reverentias a Sacris Ministris faciendas in expositione ac repositione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti dissideant probati s. Liturgiae interpretes, Rmus Procurator Generalis Piae Salesianae Societatis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

I. Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad Altare ubi expositum est SSmum Sacramentum et in recessu ab eodem), flexioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis, an solius capitis?

II. Cum expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SSmum Sacramentum extrahat, et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne ceteri, qui genuflexi adsunt, adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere?

III. An et quam reverentiam exhibere debeat Minister genuflexus antequam surgat aliquid facturus? Videlicet: 1° Celebrans, antequam surgat, recitaturus Orationem: *Deus, qui nobis sub Sacramento* etc., debetne omittere quamlibet reverentiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare? 2° Idem quaeritur de Celebrante ac Ministris, surrecturis ad imponendum incensum; 3° de Celebrante antequam surgat, ad Altare ascensurus ut populo benedicat; 4° de expositore antequam surgat, ascensurus ad Altare ad deponendum e throno SSmum Sacramentum; 5° de acolyto, antequam surgat, iturus ad abacum ad velum accipiendum.

IV. Celebrans, postquam Benedictione impertita ab Altari descendit, et genua flexit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem, an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare?

V. More apud Subalpinos recepto, secundo thus imponitur post cantatam Orationem: *Deus, qui nobis* etc. Iam quaeritur: 1° An mos servari possit? Et quatenus affirmative, quaeritur; 2° An Sacerdos, cantata Oratione, debeat ante impositionem incensi aliquam praestare reverentiam, et qualem?

VI. Utrum Sacerdos, qui SSmum Sacramentum exposuit, et ab Altari descendit, thus impositurus, debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere, ut quidam eruunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII, c. II, § III, n. 5?

VII. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, dum Celebrans canit Orationem: *Deus, qui nobis* etc., Ministri librum sustinent genuflexi: contra, Liturgiae expositores eos surgere iubent, vel saltem id eis permittunt. Quaeritur, qua norma utendum?

VIII. An Celebranti in impertienda Benedictione cum SSmo Sacramento ministrare queant, loco Diaconi et Subdiaconi, duo Clerici pluvialibus induti? An Diacono et Subdiacono dalmatica et tunicella indutis adiungi queant duo vel quatuor Clerici induti pluviali?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda.

Ad II. Ut in praecedenti, si in casibus expositis vigeat consuetudo se inclinandi.

Ad III. Quoad primum: Nullam reverentiam debet facere. Quoad secundum: Inclinationem mediocrem faciant. Quoad tertium, quartum et quintum: Nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante Altare, genuflectat in medio.

Ad IV. Nulla reverentia facienda est.

Ad V. Quoad primum: Negative. Quoad secundum: Provisum in praecedenti.

Ad VI. Ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat, et ponat incensum in thuribulo.

Ad VII. Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n. 27.

Ad VIII. Quoad primum: Affirmative, si Benedictio cum SSño Sacramento fiat immediate post Vesperas solemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab Altari: dummodo alter Sacerdos vel Diaconus exponat et reponat SSñum Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat. Quoad secundum: Negative,

Atque ita rescripsit, die 16 Februarii 1906.

4180. VILNEN.

Episcopus Vilnensis a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime petiit; videlicet:

I. Pro Dioecesi Vilnensi habetur Decretum, quo permittitur Missa votiva cantata dicta *Rorate* tempore Adventus. Missa ista, quae celebratur cum magna solemnitate magnoque concursu populi, cantatur, vi antiquissimae consuetudinis, cum *Gloria* et *Credo*. Quaeritur, utrum haec consuetudo possit servari, cum in Decreto supradicto nihil de modo cantandi tales Missas dicatur?

II. In eadem Dioecesi solent cantari, post Missam solemnem, invocationes: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis* etc., coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento exposito in Pyxide. Quaeritur, utrum expositio haec fieri possit per expositionem Pyxidi in superiori parte Tabernaculi, eo fine ut Pyxis possit a frequenti populo bene videri, an SSñum Sacramentum non possit a Tabernaculo tolli?

III. Quaeritur, utrum pro valida consecratione Altaris fixi vel portatilis sufficiat, ut in sepulcro includantur Reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel utrum unius solummodo Martyris; an sit omnino ad validitatem necessarium, ut in sepulcro deponantur Reliquiae plurimorum Martyrum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Iuxta Decreta, Missa *Rorate* cantari potest in casu, cum *Gloria* et *Credo,* solummodo in Novendiali ante Festum Nativitatis Domini, ratione consuetudinis et concursus populi; in praecedentibus vero diebus Adventus cantari debet sine *Gloria* (praeterquam in Sabbati et infra Octavam Festi B. Mariae Virginis) et sine *Credo*.

Ad II. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative ad primam partem, quoad utrumque; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 16 Februarii 1906.

4181. DECRETUM.

Quum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando, vel loco Subdiaconi in Missa solemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Praelato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur, haec statuenda et in posterum observanda decrevit:

I. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni, numquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa, et in minoribus Ordinibus sit constitutus, aut saltem sacra Tonsura intiatus.

II. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica, absque manipulo, sit indutus, atque omnia quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant rite expleat, hisce tamen exceptis: *a*) ante Offertorium, Calicem non abstergat, et aquam in ipsum non infundat, quod in casu Diaconus praestabit; *b*) Calicem, postquam illum ad Altare detulerit, infra actionem, numquam tangat, neque pallam ab

eodem removeat aut super eum reponat; *c*) post ablutionem, Calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante), sed tantummodo illum componat, more solito, et velo cooperiat cum bursa, et ad mensam deferat.

III. Clericus, qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alii Sacerdoti in Missa cantata sine Sacris Ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in Sacris in promptu non sit.

IV. Clericus ipse omnia explere potest, quae in Caeremoniali Episcoporum, lib. I, cap. XXIX, dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, his exceptis: *a*) Calicem ante Offertorium non abstergat; *b*) nec vinum nec aquam in eo infundat; *c*) nec Patenam cum hostia, nec Calicem Celebranti tradat; *d*) Calicem, infra actionem, numquam tangat; neque pallam super eum ponat aut ab eodem removeat; *e*) post ablutionem, Calicem non abstergat, etc., ut supra, ad lit. *c*), n. 2.

V. Calix pro Missa lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Sacris Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi, et ad Altare discoopertum deferendi.

VI. Calix ipse, post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

VII. Si vero Clericus Sacra non sit Tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu Calix velatus ante Missam ad Altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem adsistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; Calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa, in sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit, die 10 Martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X, per Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et adprobavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quae omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 14 Martii 1906.

4182. DECLARATIO

SUPER MOTU PROPRIO DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS.

Evulgato Sanctissimi Domini nostri Pii Papae X Motu proprio «Inter multiplices», die 21 Februarii, anno nuper elapso 1905, n. 4154, de Protonotariis Apostolicis, Praelatis urbanis et ceteris qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur, complures variaeque quaestiones ac postulationes Sacrorum Rituum Congregationi sunt propositae, circa privilegia ipsa et insignia praedictis Dignitatibus et Canonicorum coetibus aliisque de Clero saeculari antea concessa. Quibus omnibus una cum relativis documentis ac testimoniis a speciali Commissione diligenti examine perpensis, et per Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum fideliter eidem Sanctissimo Domino nostro relatis, Sanctitas Sua, ut omnia vel praeveniri vel dirimi possint, et R̃mi locorum Ordinarii normam ad dubia resolvenda possideant, per praesens Decretum, quae sequuntur declarari iussit.

Quoad insignia, pintificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in citato Motu-proprio contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut, quae ipsis conformia sint, libere et licite retineantur; quae vero contraria exstent, ea tamquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 14 Martii 1906.

4183. SAMOGITIEN.

Hodiernus R̃mus Episcopus Samogitiensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter expetivit, ut, ad devotionem populi pro animabus Defunctorum fovendam, et secundum antiquam ac vigentem in Dioecesi Samotigitiensi consuetudinem, licite possit post Missas de die, et non de Requie, cantatas vel lectas, in medio Ecclesiae extendi pannus niger, et posito prope et extra illum Crucifixo, cantari a Sacerdote induto pluviali nigro et a cantoribus *Libera*, cum aspersionibus et in-

censationibus, quae fieri solent ad tumulum.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit: Servetur Decretum n. 3780, Romana, 12 Iulii 1892, ad VIII; et si dicatur Officium Defunctorum, fiat in casu Absolutio immediate post ipsum, et ante Missam.

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1906.

4184. LINCIEN.

Venerabilis Servus Dei Franciscus Iosephus Rudigier, Episcopus Linciensis, in ultimo suo testamento, paucis ante obitum diebus scripto, inter alia, fundari Missam quotannis die obitus sui in Ecclesia nova Cathedrali celebrandam iussit. Quare ex substantia ab ipso relicta tantum desumptum est, quantum exigitur ad fundandam Missam solemnem de Requie una cum Officio Defunctorum, et haec Missa necnon Officium exinde quotannis, die 29 Novembris, qui est dies obitus Venerabilis Servi Dei, solemnissime celebratum est, populo fideli magno numero adstante.

Quum vero, die 6 mensis Decembris, elapsi anni 1905, SSñus D. N. Pius X signare dignatus sit Commissionem introductionis Causae Beatificationis eiusdem Ven. Servi Dei, Rñus Dñus Franciscus Salesius Maria Doppelbauer, Episcopus Lincien., a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit, an in posterum celebranda sit Missa fundata de Requie pro ipso Venerabili, vel potius omittenda, fundationem transferendo, sive pro Anniversario in levamen Episcopi defuncti, qui Ven. Servo Dei immediate successit, quique Missam quotannis celebrandam pro se non fundavit, sive pro expensis sustinendis in Causa Beatificationis et Canonizationis eiusdem Venerabilis Servi Dei.

Quibus omnibus SSño D. N. Pio Papa X relatis, Sanctitas Sua, audito etiam R. P. D. Sanctae Fidei Promotore, declarare dignata est, pium legatum, a praedicto Ven. Dei Famulo institutum, esse servandum; ea tamen mutatione inducta, ut interim, loco funeris, quotannis, die obitus ipsius Ven. Servi Dei peragendi, Missa solemnis celebretur de SSña Trinitate, pro felici Causae exitu. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 2 Aprilis 1906.

4185. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

E Provincia Tirolis Septentrionalis, Ordinis Minorum Capuccinorum, Sacrorum Rituum Congregationi expositum est, quod, Rescripto Apostolico diei 14 Martii vertentis anni, eadem Sacra Congregatio privilegium, quo gaudet Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum, celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V., extendi concessit etiam ad Ecclesias et Oratoria Religiosarum Congregationum, quae in Horis canonicis persolvendis Calendario Ordinis Minorum Capuccinorum legitime utuntur. Quaeritur, an terminis «in Horis canonicis persolvendis» comprehendantur omnes etiam Religiosae Congregationes, quae quidem legitime Calendario Minorum Capuccinorum utuntur quoad Missam etc., loco autem Horarum canonicarum Officium parvum B. M. Virginis tantum recitant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Rño P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, exquisitaque sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Affirmative, iuxta Decretum n. 4132, Ordinis Fratrum Minorum, 15 Aprilis 1904, ad I.

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

4186. BERGOMEN.

Rñus Dñus Iacobus Maria Radini-Tedeschi, Episcopus Bergomensis, quae sequuntur dubia Sacrae Rituum Congregationis iudicio reverenter subiecit, videlicet:

I. An Reliquia Sacrosanctae Crucis D. N. I. C. et Reliquiae Sanctorum in eadem theca includi atque exponi possint super parvo throno, corona in parte superiore ornato?

II. An recitari debeat *Credo* in Missa, etiam quando Reliquiae insignes Sanctorum, de quibus Festum agitur, in Ecclesia non exponuntur?

III. An toleranda sit consuetudo utendi fundis rubri vel violacei coloris in fimbriis et manicis albarum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito suffragio Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative; et Reliquia Sanctae Crucis includatur et exponatur in theca separata.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Regulariter, color fundi colorati respondere debet colori vestis, et respectivae extremitatis manicarum, quo uti potest unusquisque Celebrans vel Minister.

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

4187. PISCIEN.

Postulato Praepositi et Canonicorum insignis Ecclesiae Collegiatae Ss. Apostolorum Petri et Andreae, in loco *Montecarlo* nuncupato, Dioeceseos Piscien.: An Canonici honorarii aequiparandi sint Canonicis titularibus, quoad usum insignium?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto specialis Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: Affirmative, iuxta Decretum n. **3393**, Patavina, 10 Martii 1876, et Motu Proprio « Inter multiplices », n. **4154**, 21 Februarii 1905.

Atque ita rescripsit, die 21 Iulii 1906.

4188. AVERSANA.

Rm̃us Pro-Vicarius Generalis Aversanae Dioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. An in Sanctorum Processionibus liceat laicis, sive adultis sive pueris, sine sacco, aliquo tamen catholico signo exornatis, et intorticia manu ferentibus, sodales Confraternitatum sacco indutos et Clerum praecedere, an debeant ipsi, in hisce Processionibus, B. M. V. vel Sanctorum statuam sequi?

II. An quod in casu disponitur de Sanctorum Processionibus poenitentialibus, quando nempe Clerus cum populo adeunt Dei Templum, ad implorandam divinam misericordiam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Possunt procedere, vel ante sodales Confraternitatum sacco indutos, vel post Sacras Imagines.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

4189. NEAPOLITANA.

Rm̃us Abbas Sanctae Mariae Maioris, Neapolis, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum:

I. Quum organum quod in Ecclesia permittitur, iuxta praescriptum in Motu proprio Pii Papae X, ita cantum comitari debeat, ut illum sustineat, non opprimat, et fideles recte valeant verba intelligere; in Missa solemni, *Graduale, Offertorium* et *Communio,* quae partes miram saepe continent analogiam ad Festum quod agitur, possuntne, dum pulsantur organa, submissa voce seu tono unico sub organo recitari? Et quatenus affirmative, estne laudabilius ut illae, organo cessante vel comitante, notis gregorianis cantentur?

II. Item *Deo gratias,* in fine Missae, potestne sub organo, vel debet ut *Ite, missa est,* notis gregorianis cantari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem: Quando organa pulsantur, si praedicta, nempe *Graduale, Offertorium* et *Communio* non cantentur, recitanda sunt voce alta et intelligibili, iuxta mentem Caeremonialis Episcoporum, lib. I, cap. XXVIII, n. 6, et Decretorum n. **2994**, Montis Politiani, 10 Ianuarii 1852, ad II, et n. **3108**, S. Marci, 7 Septembris 1861, ad XIV et XV.

Quoad secundam partem: Affirmative, adhibitis libris authenticis cantus gregoriani.

Ad II. Provisum in I.

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

4190. SECOVIEN.

Rm̃us Dñus Leopoldus Schuster, Episcopus Secoviensis, Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit et enixe petiit, ut sequentia dubia solvantur; nimirum:

In Dioecesi Secoviensi, erecta sunt quinque Monasteria, nimirum tria Ordinis S. Benedicti, unum Ordinis Cisterciensis et unum Canonicorum Regularium Latera-

nensium; insuper permulta Coenobia aliorum Ordinum Mendicantium S. Francisci et S. Dominici, S. Ioannis de Deo, etc. Interdum in illis Monasteriis casus accidit, ut novum Oratorium, e. g. pro recitando Officio tempore hiemali, in aedibus Monasterii erigatur simul cum Altari, sive fixo, sive portatili, ut ibi etiam Missa celebrari possit ab infirmis et senibus debilibus. Praeterea talia Oratoria cum Altari interdum, etiam in domibus extraneis, quae a Monasterio sive longe, sive parum distant et peculium Monasterii sunt, eriguntur, in quibus domibus unus vel plures Patres per aliquod tempus sive oeconomiae sive sanitatis colendae causa versantur. Hinc quaeritur:

I. Estne licentia, Missam ibi celebrandi, ab Episcopo Ordinario petenda, an sufficit necessitas vel utilitas Communitatis religiosae? Et si affirmative ad secundum:

II. Valet hoc etiam de Oratoriis, quae extra Monasterium ipsum sita sunt, sed ad eius peculium pertinent?

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque maturo examine perpensa, ita respondere rata est:

Ad I. Si agatur de Regularibus proprie dictis, negative ad primam partem; affirmative ad secundam, de licentia Superioris Generalis aut Provincialis, iuxta Decretum n. **4007**, super Oratoriis semipublicis, 23 Ianuarii 1899; si vero sermo sit de aliis Communitatibus, servetur Decretum n. **3484**, Nivernen., 8 Martii 1879, ad II.

Ad II. Negative, nisi adsit Indultum.

Atque ita rescripsit, die 10 Novembris 1906.

4191. RATISBONEN. SEU CONGREG. SS. REDEMPTORIS PROVINCIAE BAVARICAE.

Rector Provinciae Bavaricae Congregationis SS. Redemptoris, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

I. In Ecclesia S. Sepulcri, Congregationis SS. Redemptoris, in civitate Deggendorf, intra fines Ratisbonensis Dioecesis, exstant tria Altaria, scilicet, S. Ioannis Nepomuceni M., Septem Dolorum B. M. V. et Quindecim Ss. Auxiliatorum, quorum mensa non constat ex uno et integro lapide, sed ex duobus lapidibus inaequalibus, qui tamen coemento in unum coniuncti sunt. Quaeritur: Utrum haec tria Altaria sint valide consecrata, an potius consideranda sint tanquam exsecrata?

II. In Ecclesia parochiali eiusdem civitatis, mensa Altaris maioris fixi constat ex tribus lapidibus, et quidem media maior pars ex marmore, duae aliae laterales partes ex petra arenaria; sed hi tres lapides coemento in unum sunt coniuncti. Itaque quaeritur: Estne hoc Altare fixum valide consecratum; et si negative, media maior pars ex marmore poteritne adhiberi tanquam Altare portatile?

III. Num absque Indulto Apostolico, et auctoritate tantum Ordinaria, titulus Altaris fixi commutari possit cum altero titulo, v. g. titulus S. Sebastiani M. cum titulo B. M. V. de Perpetuo Succursu, et si negative, num saltem super Altare collocari possit imago B. M. V. de Perpetuo Succursu, loco imaginis S. Sebastiani, tituli Altaris?

IV. Sufficitne ut imago tituli Altaris fixi in tabula vitrea picta retro post Altare, in fenestra, applicetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Iuxta Pontificale Romanum et Decreta S. R. C. n. **2862**, Fanen., 17 Iunii 1843, ad I, n. **3725**, Meliten., 26 Aprilis 1890, et n. **3750**, Salamantina, 14 Novembris 1891, mensa Altaris fixi ex unico et integro lapide constare debet. Hinc ad primam partem negative, ad secundam affirmative; et si commode Altarium consecratio cum mensa ex unico et integro lapide fieri nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur, ad instar Altaris portatilis.

Ad II. Negative ad utrumque.

Ad III. Negative ad utrumque, iuxta Decretum n. 2752, Congregationis Missionis, 27 Augusti 1836, ad V et VII.

Ad IV. Imagines in vitris fenestrarum depictae nihil cum Altari commune habent, et tituli imago super Altari absolute non praecipitur. Si tamen quaedam esset apponenda Altari fixo imago, tituli apponatur.

Atque ita rescripsit, die 10 Novembris 1906.

4192.

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINC. GERMANIAE INFERIORIS.

R. P. Minister Provincialis Germaniae Inferioris, Ordinis Fratrum Minorum, sequentia dubia enodanda Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit; nimirum:

I. Ad controversias tollendas circa interpretationem Decretorum n. 3903, « Aucto », 8 Iunii 1896; n. 3944, Romana, 12 Ianuarii 1897; et n. 4096, Labacen., 28 Aprilis 1902, quaeritur:

1.° An in Oratoriis privatis et semipublicis dici possint Missae de Requie omnibus et singulis diebus, exceptis Festis de praecepto et duplicibus primae classis, et diebus ipsa duplicia primae classis excludentibus, ab obitu usque ad sepulturam, quandiu nempe corpus praesens est in domo? Et quatenus affirmative:

2.° An idem privilegium valeat etiam pro Oratoriis publicis et Ecclesiis Seminariorum, Collegiorum et religiosarum Communitatum, ita ut liceat omnibus et singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus ut supra indicatis, inibi Missas de Requie celebrare, quandiu corpus praesens est in domo, Ecclesiis vel Oratoriis publicis praedictis adnexa?

II. Quum Missa votiva de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, singulis diebus infra Octavam eiusdem Mysterii atque singulis Sabbatis per annum concessa, iuxta Sacrae Rituum Congregationis Decreta dici nequeat, si eodem die agatur commemoratio Officii de eadem B. Maria V. trium vel novem Lectionum ad ritum simplicem redacti; sed celebrari debeat, pro votiva, Missa Officii de Beata Maria Virgine ad instar simplicis redacti, iisdem iuribus ac privilegiis iam pro votiva concessis, quaeritur:

1.° An in Missa votiva respondente Officiis ad instar simplicis redactis, quae ritum duplicem alias obtinerent, excludatur secunda et tertia Oratio de tempore, et solum admittantur Commemorationes occurrentes et Collectae, si iuxta Rubricas et Decreta admittendae sint?

2.° An diebus infra Octavas Beatae Mariae Virginis, Officio duplici vel semiduplici impeditis, si Missa Octavae pro votiva Immaculatae Conceptionis solemniter, vel in cantu, vel Conventualis instar celebretur, ad Missam Duplicis vel Semiduplicis Sanctorum Conventualem, quum omnis Commemoratio Octavae per se excludatur, ne bis solemniter fiat de eodem Officio occurrente, extra Dominicam debeat omitti Symbolum, quod solum ratione Octavae ad Conventualem Officii iuxta Rubricas et Decreta suspensae alioquin requiritur?

III. An omnia eiusdem religiosae Familiae Oratoria semipublica, solemniter saltem benedicta, enumerata in Decreto n. 4007, diei 23 Ianuarii 1899, ius habeant, ut illorum Titularis Festum celebretur sub ritu duplici primae classis cum Octava, ita ut de eo agatur inter Suffragia Sanctorum, et ut nominetur in Oratione *A cunctis?*

IV. Quum non una sit sententia circa Symbolum addendum in Festis secundariis Sanctorum, vel infra eorundem Octavas quae *Credo* in Festo principali, vel ipsa solemnitatis die, exigunt, quaeritur:

1.° An in Festis Patronorum Dioecesis et Fundatorum Ordinis seu Congregationis regularis, si ritu saltem duplici gaudeant, dicendum sit ad Missam Symbolum, prouti dicitur in eodem Festo principali; ita ut apud Fratres Minores trium Ordinum dici debeat *Credo* in Festis secundariis Sancti P. N. Francisci, et apud Moniales II Ordinis in Festis Sanctae Clarae Assisiensis, earundem Fundatricis?

2.° An in Festis secundariis Patroni principalis vel Titularis Ecclesiae dici debeat in Missa Symbolum, si sub ritu saltem duplici celebrentur, sicuti dicitur in eodem Festo principali; ac dici consequenter debeat in Festo Decollationis Sancti Ioannis Baptistae, si idem Praecursor Domini, sub quavis Mysterii nuncupatione, sit Patronus praecipuus vel Titularis principalis Ecclesiae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Quoad primum: Affirmative in Oratoriis privatis; negative in Oratoriis semipublicis, quae, deficiente Ecclesia vel Oratorio publico, horum locum teneant.

Quoad secundum: Negative, sed semel tantum, in uno ex tribus diebus, ab obitu usque ad sepulturam occurrentibus.

Ad II. Quoad primum: Affirmative, quia est Missa festiva Officii duplicis, licet per accidens simplicis.

Quoad secundum: Affirmative, iuxta Decretum Ordinis Fratrum Minorum, n. 4116, 19 Iunii 1903, ad II, quia de Octava in casu nulla ratio habenda est, iuxta Decretum Einsidlen. - Reliqua dubia, n. 2319, 5 Maii 1736, ad XXVI.

Ad III. Negative, sed tantum in Oratorio principali, deficiente Ecclesia.

Ad IV. Quoad primum: Affirmative iuxta Decretum n. 2484, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, 27 Augusti 1768, et n. 3249, Ratisbonen., 22 Aprilis 1871, ad I.

Quoad secundum: Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 10 Novembris 1906.

4193.

EREMITARUM CAMALDULENSIUM CONGR. MONTIS CORONAE.

Expetenti Calendaristae Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae, de consensu sui Rmi Superioris Generalis, authenticas declarationes super nonnullis dubiis liturgicis, Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, ita respondere rata est:

I. Minister inserviens Missae, in Altari ubi SSmum Eucharistiae Sacramentum non asservatur, unico genu flectere debet accedens ad Altare, et quoties ante medium Altaris transibit aut ab eo recedet.

II. Minister, tam in porrigendo quam in recipiendo, osculetur utramque ampullam vini et aquae, quin tamen osculetur manum Celebrantis.

III. Oscula in Missa pro Defunctis et Feriae VI in Parasceve omittenda sunt; similiter Diaconus in dictis casibus non osculetur Calicem et Patenam, iuxta Rubricam Missalis (part. II, tit. XIII, n. 2), et Caeremoniale Episcoporum lib. I, cap. XVIII, n. 10, et lib. II, cap. II, n. 5).

IV. 1.° Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet *Misereatur tui* etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione, aut ad implendum praeceptum paschale.

2.° Infra Missam vero, si Sacerdos in Altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri* etc.

3.° Minister infra Missam, in casu, *Confiteor*, et Celebrans *Misereatur*, dicere debent ad Altare more solito, non vero prope infirmum.

Atque ita rescripsit, die 16 Novembris 1906.

4194. DUBIA.

Insequentium dubiorum declarationes a Sacra Rituum Congregatione expostulatae sunt; nimirum:

I. An Clerici prima tantum Tonsura initiati, ad mentem Decreti n. 4181, 14 Martii 1906, tangere possint vasa sacra et lintea sacra, ac Calicem praeparare in sacristia, absque speciali indulto?

II. An omnes qui vestem talarem induunt, sint vel non tonsurati, debeant, iuxta Rubricas Missalis, « Ritus servandus in celebratione Missae » (tit. II, n. 1), superpelliceum induere, dum Missae privatae inserviunt?

III. An Diaconus, ratione ministerii sui, possit, etiam praesentibus Sacerdotibus, et extra casum necessitatis, SSmum Sacramentum de uno Altari ad alterum deferre?

IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (libro II, cap. III, n. 3), Celebrans Vesperarum, in initio huius Officii, quando ad suum locum pervenit, sedet paululum, exceptis Pluvialistis; an omnes de Choro sedere debeant, eodem momento, et in sensu affirmativo, consuetudo contraria pro Clero de Choro potestne servari?

V. Utrum in Missa solemni coram SSmo Sacramento exposito, Celebrans, postquam dixit in initio *Oramus te*, et ad Offertorium *Veni, Sanctificator*, debeat cum Ministris rursus genuflectere, antequam aliquantulum se retrahat versus cornu Evangelii, in thuris impositione?

VI. In eadem Missa, Subdiaconus, accepta Patena post oblationem Calicis, genuflectit in suppedaneo ad dexteram Diaconi, debetne iterum genuflectere, cum venerit ante infimum gradum?

VII. Sacra Rituum Congregatio decrevit, quod Missa Ordinationis in Sabbatis Quatuor Temporum sit de Feria; quaeritur, utrum in hac Missa facienda sit Commemoratio Simplicis aut Simplificati occurrentis?

VIII. In quodam Seminario, studiorum causa, sunt duae cathegoriae Sacerdotum, sub aliquo respectu distinctae, sive quoad exercitia spiritualia, sive quoad alia exercitia. Alii eorum certae vivendi disciplinae, minus strictae, subiecti sunt, et extra Seminarium in Ecclesiis diversis Missam celebrant, alii vero in Seminario Missam celebrant. Iuxta Indultum, alumni omnes huius Seminarii se conformare tenentur

Calendario Congregationis religiosae ad quam pertinent Moderatores et Directores praedicti Seminarii. Quaeritur, an utraque cathegoria Sacerdotum huius Seminarii se conformare teneatur Calendario eiusdem Familiae religiosae?

IX. Utrum a Sacerdote Missam celebrante in Ecclesia dedicata alicui Mysterio Divinarum Personarum, vel in Oratorio quod Titularem non habet, in Oratione *A cunctis* nominari debeat Patronus loci, si in loco ubi celebrat consuetudo adsit faciendi in Suffragiis Commemorationem de loci Patrono?

X. An in functione Benedictionis SSmi Sacramenti, praeter Orationem de eodem, alia cantari possit?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, nisi pro laicis alicuius Familiae Religiosae obstent specialia statuta approbata.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Consuetudinem servari posse.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative, iuxta Rubricas Missalis, « Ritus servandus in celebratione Missae », tit. X, n. 8, et iuxta Decretum n. **4027**, Plurium Dioecesium, 9 Iunii 1899, ad II.

Ad VII. Affirmative in Sabbato Pentecostes; negative in aliis, nisi Officium fuerit de Feria, quo in casu Commemoratio non est omittenda.

Ad VIII. Affirmative, nisi agatur de presbyteris beneficiatis, qui, ut alias resolutum est, tenentur sequi Calendarium Ecclesiae sui Beneficii.

Ad IX. Affirmative, si vigeat consuetudo faciendi de Patrono Commemorationem.

Ad X. Affirmative, priusquam cantetur *Tantum ergo*, si tunc aliae dictae sint Preces; secus, negative, nisi aliter Apostolica Auctoritate statutum fuerit.

Atque ita rescripsit, die 23 Novembris 1906.

4195. DE CHIAPAS.

Rmus Dñus Franciscus Oroxco y Jimenez, Episcopus de Chiapas in Mexico, qui responsionem accepit a Sacra Congregatione Rituum, posse, attentis circumstantiis locorum, Thronum conscendere mozetta tantum indutus, postea ulterius quaesivit:

I. An, attentis iisdem circumstantiis, cum ipse Episcopus mozettam gerens Missae solemni assistit, ritus iidem servari possint praescripti a Caeremoniali Episcoporum, cum Episcopus Cappa magna indutus Missae solemni assistit?

II. An Episcopus, qui Sacram Communionem extra Missam distribuit, post eam debeat benedicere more solito, dicendo: *Sit nomen Domini benedictum*, etc., et efformando tres Cruces?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, sed serventur Caeremoniale Episcoporum et Decreta S. R. C., scilicet: 1° Episcopus, rochetto et mozetta indutus, non habet assistentiam Canonicorum (Decr. n. **650**); 2° Incensum non imponit nec benedicit (Decr. n. **3110**, ad XXI); 3° Nec benedicit Subdiaconum post Epistolam, nec Diaconum ante Evangelium cantandum, nec librum Evangeliorum osculatur (Decr. n. **3110**, ad XXII); 4° Semel tantum thurificatur, post oblata (Decr. n. **2195**, ad II, Caerem. Epp., lib. II, cap. IX, n. 8); 5° Pacem accipit a Diacono Evangelii (Decr. n. **2089**, ad V); 6° In fine Missae, populum non benedicit.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 23 Novembris 1906.

4196. DECRETUM

DE USU LINGUAE SLAVONICAE IN SACRA LITURGIA.

Acres de liturgico palaeoslavici seu glagolitici sermonis usu controversias, quae diu iam in Provinciis Goritiensi, Iadrensi et Zagrabiensi Dioeceses plures commoverunt, compositas atque adeo sublatas omnino esse oportuit, post ea quae Sacrum hoc Consilium, itemque illud extraordinariis Ecclesiae Negotiis praepositum, Pontificis Maximi nomine et auctoritate, decreverat. Sed tamen nondum ipsas conquievisse dolendum est, siquidem hic sermo etiamnunc multifariam contra praescriptum usurpatur in perfunctione Sacrorum; id quod non modo magnam affert et admirationem et offensionem pietati publicae, verum, cum gravi etiam caritatis pacisque

christianae detrimento, christifideles fidelibus, vel intra domesticos parietes, hostiles facit.

Tanta obtemperationis debitae oblivio quantae sit aegritudini SSmo D. N. Pio Pp. X, facile aestimari potest; isque, Apostolici officii sui esse intelligens, huiusmodi controversiis imponere finem, nuper huic Sacrae Congregationi mandavit, ut, datis ad Rmos Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios ceteros Provinciarum memoratarum Litteris, quaecumque Decreto diei 5 Augusti 1898, n. 3999, aliisque deinceps praescripta fuissent, omnia, nonnullis opportune mutatis, revocaret, eaque sancte inviolateque, onerata ipsorum Antistitum conscientia, observari iuberet.

Primum igitur, quum eo ipso Decreto cautum fuerit, ut Ordinarii singuli indicem conficerent atque exhiberent omnium suae Dioecesis Ecclesiarum, quas certum esset privilegio linguae glagoliticae in praesens uti; quumque ei praescriptioni satisfactum non sit, quippe talis index, licet studiose expetitus, desideratur tamen adhuc, eundem Sacra haec Congregatio praecipit ut Ordinarii omnes intra mensem Iulium anni proximi Apostolicae Sedi exhibeant, his quidem legibus confectum:

a) ut eae dumtaxat Ecclesiae, tamquam hoc privilegio auctae, notetur, in quibus non coniectura aliqua, sed certis monumentis ac testibus constiterit, linguam glagoliticam ab anno 1860 ad praesens tempus, sine intermissione, in Sacris peragendis adhibitam esse;

b) ut, eiusdem privilegii nomine, nullae istis adscribantur Ecclesiae, ubi, in solemnibus Missis latina lingua celebrandis, Epistolam et Evangelium cantari glagolitice mos fuerit, eoque minus ubi ista sermone croatico vulgari canantur.

Praeterea, Sacra haec Congregatio, quae infra scripta sunt, approbante item Summo Pontifice, religiosissime observanda edicit:

I. Quandoquidem Apostolica Sedes, de usu glagoliticae linguae liturgico opportunum factum censuit, certis terminare finibus, quod olim indulserat; usus huiusmodi considerari et haberi ab omnibus debet ut privilegium locale, quibusdam adhaerens Ecclesiis, minime vero ut personale, quod ad nonnullos Sacerdotes pertineat. Quamobrem Sacerdotes, qui palaeoslavicae dictionis periti sint, eam adhibere non poterunt, Sacrum facientes in Ecclesia, quae hoc privilegio careat.

II. Semel confecto et publicato Ecclesiarum privilegiatarum indice, nulli prorsus licebit in aliis Ecclesiis, quacumque causa aut praetextu, linguam palaeoslavicam in Sacram Liturgiam inducere. Si quis vero, saecularis aut regularis Sacerdos, secus fecerit, aut id attentaverit, ipso facto a celebratione Missae ceterorumque Sacrorum suspensus maneat, donec ab Apostolica Sede veniam impetrabit.

III. In Ecclesiis, quae privilegio fruuntur, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemni ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione, salvis tamen praescriptis ad § XI huius Decreti. Libri autem ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi, atque ab Apostolica Sede recogniti et approbati: alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi charactere, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubicumque populus Sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnisi lingua palaeoslavica, in Ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius, fidelibus exclusive, permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum, exarati.

V. In praefatis Ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in Sacramentorum et Sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et approbatum.

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique Dioecesi necessarii Sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare Clericos, qui latinis vel qui palaeoslavicis Ecclesiis destinentur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigat Ecclesiae necessitas.

VIII. Si quis Sacerdos, addictus Ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat Ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare Horasque canere

tenebitur lingua palaeoslavica: attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua. Sacerdos vero, palaeoslavici idiomatis Ecclesiae adscriptus, cui forte latine Ecclesiae deservire contigerit, non solemnem tantummodo, sed privatim etiam Missam celebrare, itemque Horas canere tenebitur latina lingua; relicta illi solum facultate, Officium privatim persolvendi glagolitice.

IX. Licebit pariter Sacerdotibus, latini eloquii Ecclesiae inscriptis, in aliena Ecclesia, quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate. Sacerdotes vero, linguae palaeoslavicae Ecclesiis addicti, eodem hoc idiomate ne privatum quidem Sacrum facere poterunt in Ecclesiis, ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorundem cantum latino Ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit. In Missis autem parochialibus fas erit post Evangelii recitationem illud perlegere vulgari idiomate, ad pastoralem fidelium instructionem.

XI. In ipsis Paroeciis, ubi viget linguae palaeoslavicae privilegium, si quis fidelis ostenderit se cupere aut velle, ut Baptismus vel Sacramenta cetera, Matrimonio non excepto, sibi suisve administrentur secundum Rituale Romanum latinum, et quidem publice, eademque lingua habeantur rituales Preces in sepultura mortuorum, huic desiderio aut voluntati districte prohibentur Sacerdotes ullo pacto obsistere.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus, quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen Generalibus Decretis huius Sacrae Rituum Congregationis.

XIII. Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni Precum et Hymnorum, quibus populus indulget in propria Ecclesia: ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt Dioecesim vel Paroeciam, in nullam offendant Precationum aut Canticorum diversitatem.

XIV. Pii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum Precum, ad usum tantummodo privatum Christifidelium, ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 18 Decembris, anno 1906.

4197. CONGREGATIONIS ORATORII S. PHILIPPI NERII PERUSIAE.

Hodiernus Praepositus Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Perusiae humillime exposuit Sacrae Rituum Congregationi, quae sequuntur:

I. In Ecclesia dictae Congregationis est Sacellum B. M. V. Perdolenti dicatum, exstructum in parte separata Ecclesiae, scilicet eodem loco, quo Romae in Ecclesia S. Mariae in Vallicella aedificatum est Sacellum S. Caroli Borromaei. In hoc Sacello religiosissime colitur in sua aedicula simulacrum B. M. V. Perdolentis. Quaeritur: An Feria V in Coena Domini, post Vesperas, et Feria VI in Parasceve, perdurante in alio remoto Sacello, nempe prope ianuam maiorem Ecclesiae, expositione SSm̃i Sacramenti, vulgo *Sepolcro,* dicta imago Virginis Perdolentis possit remanere in sua aedicula, discooperta, cum candelis vel lampadibus accensis, et an possit etiam ante ipsam collocari simulacrum SSm̃i Redemptoris demortui, iuxta antiquam consuetudinem, ad populi devotionem satisfaciendam?

II. In eadem Ecclesia, Feria VI in Parasceve, quotannis, post expletas functiones liturgicas, fit Processio cum Reliquia SSm̃ae Crucis Dominicae sub umbella vel baldachino violacei coloris, cum thuriferariis, etc. Sed quotannis renovatur dissensio inter Caeremoniarios, circa qualitatem paramentorum. Hinc, ad evitandas varietates, quaeritur: 1° quae paramenta sint licita vel magis idonea in hac Processione, et 2° qualis color sit licitus vel magis idoneus, etiam pro umbella vel baldachino, in eadem Processione?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Quod utramque partem: Negative Feria V in Coena Domini; affirmative Feria VI, post Missam Praesanctificatorum.

Ad II. Adhibeantur, quoad 1um pluviale et dalmaticae seu tunicellae coloris nigri;

et quoad 2um velum humerale et umbella vel baldachinum (supposita consuetudine illis utendi) coloris violacei.

Atque ita rescripsit, die 16 Ianuarii 1907.

4198.

EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE.

Redactor Calendarii Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, de Superioris Generalis consensu, a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum humillime imploravit; nempe:

I. Utrum Celebrans, in die Purificationis ac Dominica Palmarum, completa candelarum aut ramorum distributione, debeat pro ineunda Processione incensum ponere in cornu Epistolae, ubi iam reperitur, cum ibi Orationem ultimam recitarit: an potius debeat se prius ad medium Altaris pro thuris Benedictione conferre?

II. Utrum in die Purificationis ac Dominica Palmarum, postquam dictum fuerit *Procedamus in pace,* Celebrans e suppedaneo in planum descendens debeat, ad Altare conversus, debitam ei reverentiam facere: an potius, utpote inchoata a praefatis verbis Processione, debeat conversionem ad Altare et omnem ei reverentiam omittere?

III. Utrum Celebrans recedens ab Altari ad abacum, ut alia sumat paramenta, et ab abaco ad Altare revertens, uti contingit singulis diebus dominicis post aspersionem Aquae lustralis, atque Processionem in Festo Purificationis ac Dominica Palmarum, genuflexionem in plano praestare debeat, si SS̃mum Sacramentum in Tabernaculo reperiatur inclusum; an potius in infimo Altaris gradu?

IV. Quum, ob specialia locorum adiuncta, nonnulli ad excipiendam Aquae lustralis aspersionem sat proxime Altari reperiantur, num Celebrans, qui a pedibus Altaris non recedit, sed tantum se vertit, consistens aliquantum a latere Evangelii, debeat in medio ad Altare reversus genuflexionem agere, si in Tabernaculo SS̃mum Sacramentum reperiatur inclusum, uti praescribit Rubrica Subdiacono, qui, accepta Patena, ad medium e cornu Epistolae se confert, in plano permansurus?

V. Quum Missalis Rubrica unice dicat, esse cantanda *Improperia* ad functionem in Feria VI in Parasceve, neque innuat, eadem *Improperia* et reliqua esse a Sacerdote recitanda; num exinde legitime concludatur, Sacerdotem ad *Improperia* et reliqua legenda non teneri?

VI. Ubi in ultimo triduo Maioris Hebdomadae removeri solet Aqua lustralis a vasis Ecclesiae, num Sabbato Sancto, in quibus Ecclesiis Fons baptismalis non benedicitur, eadem Aqua lustralis in sacrario ante functionem benedici debeat, ut possit in Ecclesiae vasis poni post Litaniarum ℣. *Peccatores,* dum festive ad celebrandam Missam paratur Altare?

VII. Utrum in Sabbato Sancto Cereus paschalis ita poni debeat, ut Crux populum respiciat, an latus Epistolae, in quo Celebrans reperitur?

VIII. Dum in eodem Sabbato Sancto ad legile canitur paschale Praeconium, quo loco et quorsus vertere facies debeant Celebrans, scilicet Diaconus, Praeconium cantaturus, et adstantes a dexteris eiusdem clericus cum Cruce ac thuriferarius, et a sinistris duo acolythi, qui respective arundinem et grana thuris tenent?

IX. Cum Caeremoniale Episcoporum (l. II, cap. XXII, n. 11) praescribat, ut in exstinguendis ad Matutinum Tenebrarum cereis alternatim, incipiatur a cornu Evangelii; quaenam norma tenenda est in accendendis et exstinguendis Altaris cereis, pro alia quavis occasione?

X. Quoties exposito SS̃mo Sacramento canitur Hymnus *Te Deum* in omnibus functionibus, expresse per Rubricas et Decreta non directis, ac datur in fine cum eodem Sanctissimo Benedictio; utrum versiculi, qui citantur in Decreto Sacrae Rituum Congregationis n. 2956, 11 Septembris 1847, Veronen., ad III, dici cum Oratione *Deus, cuius misericordiae* debeant, ante Hymnum *Tantum ergo;* an potius duo Hymni sint coniungendi, et absolvendi cum solo versiculo *Panem de coelo* et duabus Orationibus SS̃mi Sacramenti et actionis gratiarum, sub una conclusione?

XI. Quoties Processio pro gratiarum actione locum habuerit, num post Hymnum Ambrosianum dici debeant omnes versiculi cum tribus Orationibus in Rituali Romano designatis; an tantum recitari possint versus aliqui et unica Oratio, prouti in Decreto n. 2956, 11 Septembris 1847, Veronen., ad III, indicatur?

XII. Num Sacerdos Missam celebrans coram SSño Sacramento exposito, si Missale ad aliud Altaris cornu transfert, debeat genuflexionem agere dum transit ante medium Altaris, illucque dum revertitur, *Munda cor meum* dicturus?

XIII. Utrum Celebrans, reportato ad Altare post Processionem SSño Sacramento, aut Feriis V et VI Maioris Hebdomadae, allato Calice SSñam eandem Eucharistiam continente, debeat supremum Altaris gradum ante suppedaneum conscendere, ut Ostensorium et Calicem Diacono, vel alteri Sacerdoti, si absque Ministris celebraverit, stando porrigat; an potius debeat in plano ante ultimum Altaris gradum consistere, ac tradito SSño Sacramento vel Calice, genuflexionem simplicem in plano praemittens, utrumque genu flectere in infimo gradu Altaris, sicque genuflexus illic manere, usque dum tempus thuris imponendi adfuerit?

XIV. Num Diaconus, aut alius Sacerdos, qui post Processionem accipit de manu Celebrantis Ostensorium, aut Feriis V et VI Maioris Hebdomadae Calicem cum SSño Sacramento, genuflexionem utroque genu peragere debeat in plano, ante gradus Altaris, et inclinatione capitis Sanctissimum adorare, antequam Ostensorium vel Calicem a Celebrante recipiat?

XV. Num aliis, ac praesertim Sacerdotibus sacristis, valeat permitti, ut hostiam super Patena collocent, pro Missa ab aliis celebranda, non obstante Rubrica Missalis Romani, *Ritus servandus in celebratione Missae* (tit. I, n. 1), quae collocationem hostiae totamque instructionem Calicis Sacerdoti Missam celebraturo reservat?

XVI. Num retineri possit antiquissimus usus, ut in Processionibus, intra claustra peragendis, candelabra a duobus in habitu chorali Religiosis deferatur, qui acolythorum vices cum crucifero expleant?

XVII. Quoties functiones in Sabbato Sancto sine Sacris Ministris peragantur, utrum Sacerdos debeat incensum ponere ac benedicere pro subsequenti Processione, in qua canitur *Lumen Christi*, ac pro paschali Praeconio; antequam diaconalia coloris albi paramenta sumat; an vero postquam eadem diaconalia sumpserit indumenta?

XVIII. Quonam vocis tono dici debeant Feria VI in Parasceve verba sive orationes: *Incensum istud...*, *Perceptio Corporis tui...*, *Panem coelestem...*, *Corpus Domini nostri Iesu Christi...*, et *Quod ore...?*

XIX. Num servari antiquissimus possit usus, ut clericus thuriferarius exhibeat genuflexus thuribulum Celebranti, saltem quando Celebrans est Praelatus, ac praesertim Generalis Superior?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit: « In voto Commissionis, iuxta sequentes resolutiones ».

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV. Si a latere Evangelii et a pedibus Altaris non elongetur, genuflexionem ac reverentiam omittit, ad mentem Decreti 9 Iunii 1899, Plurium Dioecesium, n. 4027, ad II et III.

Ad V. Negative, iuxta praxim ubique receptam, et normam communiter exigentem ut Sacerdos legat quidquid in Choro concinitur.

Ad VI. Affirmative, ubi unus adest Sacerdos, secus privatim ab alio Sacerdote in sacrario, post expletas Prophetias.

Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, durante Praeconio paschali, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXVII, n. 10; sed post Praeconium Crux eadem semper populum respiciat.

Ad VIII. Praeconium paschale eodem loco ac Evangelium in Missa cani debet, et Diaconus cum reliquis ministris lineam rectam efforment, omnesque ad librum faciem convertant, latera dextera Altari obversa tenentes; facie Crucifixi Celebrantem respiciente, prout in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXVII, n. 10, ordinatur.

Ad IX. Altaris cerei ita sunt accendendi, ut incipiatur ab illo, qui Cruci proximius reperitur, in cornu Epistolae, postea, servato ordine, reliqui duo in eodem cornu exsistentes; ac deinde accenduntur reliqui cerei in cornu Evangelii exstantes, incipiendo item ab eo, qui Cruci propior est, usque ad ultimum in eodem cornu op-

positum. In exstinguendis autem iisdem cereis, ordo invertitur, atque incipitur in cornu Evangelii, a cereo, qui a Cruce remotior est, ad illum qui propior; dein vero a parte Epistolae, eadem regula eodemque servato ordine.

Ad X. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XII. Negative ad primam partem, sed tantum caput inclinet; affirmative ad secundam.

Ad XIII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXIII, n. 13; cap. XXV, n. 32; cap. XXVI, n. 16, et cap. XXXIII, n. 24; et supremus Altaris gradus, in primo et quarto ex citatis Caeremonialis locis, primus in ascensione et ultimus in descensione intelligatur.

Ad XIV. Affirmative ad utrumque, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, c. XXV, n. 32; cap. XXVI, n. 16, et cap. XXXIII, n. 24.

Ad XV. Affirmative, dummodo qui id peragit prima saltem Tonsura sit initiatus, iuxta Decretum n. **4194**, I, 23 Novembris 1906, vel alias privilegium Apostolicum obtinuerit vasa sacra tangendi; sed consulendum Celebranti, ut ipse Calicis instructionem et alia secundum Rubricas exsequatur.

Ad XVI. Negative, et acolythi superpelliceum gerant, utpote officium suum exerciturі erga Crucem, quae in Processionibus delata locum Altaris obtinet.

Ad XVII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII, tit. VI, cap. II, § 1, nn. 11 et 13.

Ad XVIII. Tono ad Missam solemnem ordinariam consueto, iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII, tit. V, cap. II, § 4, nn. 2-25.

Ad XIX. Affirmative, si agatur de Praelatis tantum Provincialibus et Generalibus, qui celebrent in Ecclesiis sibi respective subiectis, et ab Ordinarii locorum iurisdictione exemptis, nisi tamen Missa vel Officium vel functio coram Sanctissimo exposito celebretur.

Atque ita rescripsit, et ab Eremitis Camaldulensibus Montis Coronae servari mandavit, die 1 Februarii 1907.

4199. DUBIA

CIRCA QUAEDAM PRIVILEGIA SEU INSIGNIA PRAELATORUM PROPRIA.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione exposita fuerunt, nimirum:

Nonnulla Capitula cathedralium Ecclesiarum ab Apostolica Sede, diversis temporibus, quaedam privilegia seu insignia obtinuerunt; nempe usum 1° habitus quo Praelati urbani utuntur, excepto titulo; 2° mitrae simplicis capitulariter tantum, et 3° palmatoriae intra fines Dioeceseos. Exinde quaeritur:

I. Mitra simplex, Capitulo et Canonicis concessa, potestne esse ex serico damasceno uti Protonotariorum ad instar, vel potius debet esse ex tela alba?

II. Verbum *capitulariter* in Brevi concessionis idemne significat ac verbum *collegialiter*, n. 53 in Motu proprio *Inter multiplices*, n. **4154**?

III. Usus mitrae in Missa estne coarctandus ad eos dumtaxat dies quibus Dignitas vel Canonicus celebrat vice Episcopi absentis, aut quibus Episcopus assistit vel assistere deberet cum pluviali et mitra, vel potius ampliandum ad quoslibet dies solemnes?

IV. Constitutionis Pii VII, *Decet Romanos Pontifices*, et Decreti S. R. C. n. **2624**, diei 27 Augusti 1822, estne huiusmodi sensus, ut non liceat Canonico uti mitra nisi in Missa?

V. Licetne Canonico hebdomadario uti mitra in Vesperis, Laudibus, Processionibus et aliis quibuslibet functionibus, saltem solemnioribus?

VI. Estne semper a mitra abstinendum tum Canonicis dum Episcopo celebranti collegialiter adsistunt tum Canonico celebranti, Episcopo sive cum pluviali et mitra assistente, sive absente, in iis divinis Officiis in quibus Episcopo mitra simplex praescribitur?

VII. Licetne uti mitra 1° Canonicis dum Episcopo Pontificalia celebranti collegialiter assistunt in Missa de Requie, necnon Feria VI in Parasceve et aliis diebus poenitentialibus? 2° Quatuor Dignitatibus seu Canonicis in quinque Absolutionibus quae fiunt in solemnioribus exsequiis iuxta Pontificale Romanum? 3° Canonico divina officia celebranti Feria sexta in Parasceve,

Episcopo sive adsistente sive absente? 4° Canonico celebranti Missam solemnem de Requie?

VIII. Cum mitrae diversae inserviant etiam ad distinguendas personas, quae iisdem utuntur, quaeritur num et quod discrimen esse debeat inter mitras Episcopi et Canonicorum in functionibus, in quibus Episcopus mitra simplici utitur?

IX. Quum usus mitrae extra Cathedralem Capitulo expresse non sit concessus, servandumne est in casu quod Motu proprio praecipitur (n. 80), ut nemini ad aliquod ex Canonicorum collegiis pertinenti suffragentur privilegia ultra propriae Ecclesiae limites, ita ut non liceat Capitulo mitra uti extra Cathedralem?

X. Estne censendum Capitulum ultra propriae Ecclesiae limites suis privilegiis uti, si in alia Dioecesis Ecclesia Episcopo, in solemni Festo Pontificalia celebranti, collegialiter assistens aut invitatum mitram adhibet?

XI. Verba in Motu proprio n. 27: *a qua* (palmatoria) *abstinendum coram Ordinario,* suntne intelligenda de qualibet Ordinarii praesentia, vel tantum de casu quo Ordinarius ipse palmatoria utitur?

XII. Usus palmatoriae latiusne patet quam mitrae, ita ut in functionibus quibus mitra uti non liceat, palmatoria tamen adhiberi possit?

XIII. Licetne Canonico celebranti seu hebdomadario in Cathedrali, praesente Capitulo, palmatoria uti 1° in Missa, Vesperis et Laudibus diebus solemnioribus? 2° in Missa et Vesperis diebus dominicis et festis? 3° in Missa solemniori de Requie; 4° in Processionibus aliisque quibuslibet functionibus? 5° in Missa lecta cum aliqua solemnitate, etiam absente Capitulo?

XIV. Licetne Canonico palmatoria uti, cum vocatus, in alia Ecclesia, et Capitulo absente, functiones quaslibet solemnes peragit, aut Missam cum aliqua solemnitate legit?

XV. Licetne singulis Canonicis privatam cum palmatoria celebrare Missam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito specialis Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, ita respondere censuit:

Ad I. Mitra debet esse linea, ad tramitem tum Constitutionis Pii Papae VII, *Decet Romanos Pontifices,* et Decreti n. 2624, diei 27 Augusti 1822, n. 8, tum Motus proprii *Inter multiplices,* Pii Papae X, n. 4154, 21 Februarii 1905, nn. 36 et 53.

Ad II. Affirmative. Hinc Canonicis mitra tantum uti liceat dum simul pontificalibus functionibus sacris vestibus induti assistunt, neque Canonicus celebrans mitra uti potest, etiam praesente Capitulo, nisi id expresse significet Indultum Apostolicum.

Ad III, IV et V. Provisum in II.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Quoad 1um negative. Quoad 2um affirmative, iuxta Rubricas Pontificalis Romani. Quoad 3um et 4um negative.

Ad VIII. Provisum in VI. Permittitur solummodo eadem mitra simplex (linea) quatuor Dignitatibus, ut in VII, ad 2.

Ad IX. Affirmative.

Ad X. Affirmative.

Ad XI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XII. Affirmative, si in concessione Apostolica continetur usus palmatoriae.

Ad XIII, XIV et XV. Provisum in XII.

Atque ita rescripsit, die 1 Februarii 1907.

4200.

CONGREGATIONIS OBLATORUM B. M. V. IMMACULATAE.

Rmus Procurator Generalis Oblatorum B. M. V. Immaculatae, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem enixe postulavit; nimirum:

I. Utrum Regulares, et generatim Religiosi, utentes Calendario approbato, teneantur Festum Patroni praecipui Dioecesis sub ritu duplici primae classis sine Octava celebrare, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius loci, an solummodo deficiente Patrono proprio loci?

II. Utrum iidem teneantur celebrare sub ritu duplici primae classis sine Octava Festum Patroni praecipui regni aut ditionis, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius provinciae, an dumtaxat deficiente Patrono proprio provinciae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem, nisi

celebretur vel celebratum fuerit cum feriatione; affirmative ad secundam, iuxta Decreta, n. 3754, Declarationis indulti pro solemnitate Festorum transferenda, 2 Decembris 1891, ad 1, et n. 3863, Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae, 9 Iulii 1895, ad I.

Ad II. Affirmative ad primam partem, si liquido constet de concessione Apostolica; negative ad secundam, iuxta Decreta, n. 3925, Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci, 10 Iulii 1896, ad III, et n. 3959, Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci, 2 Iulii 1897, ad I.

Atque ita rescripsit, die 16 Februarii 1907.

4201. URBIS ET ORBIS.

SSm̃us Dñus N. Pius Papa X, in Audientia habita die 8 Maii 1907 ab Em̃o et Rm̃o Dño Cardinali Seraphino Cretoni, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, statuere ac declarare dignatus est, ut Indultis Oratorii privati intelligatur inclusa facultas Sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui Sacrificio Missae adsistunt; salvis iuribus parochialibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Maii 1907.

4202. DERTHONEN.

Hodiernus Calendarista Dioecesis Derthonensis, de consensu sui Rm̃i Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expostulavit; nimirum:

I. Quoties incensandum SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, si hoc exponatur pro Benedictione?

II. Quum SSm̃um Sacramentum a mane usque ad vesperas maneat expositum, Celebrans, qui cum Ministris accedit ad Altare expositionis, post praescriptam reverentiam et antequam aliquid canatur, debetne facere incensationem?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, ita respondendum censuit:

Ad I. Pro expositione in Pyxide, incensationem non requiri. Quoad expositionem vero in Ostensorio, duplicem incensationem requiri, unam post expositum SSm̃um Sacramentum, alteram ad stropham *Genitori*, etsi inter expositionem et *Tantum ergo* nullae interponantur Preces; quo in casu non fit nova thuris impositio.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 5 Iulii 1907.

4203. DECRETUM

DE TYPICA EDITIONE VATICANA GRADUALIS ROMANI.

Hanc Vaticanam Gradualis Sacrosanctae Ecclesiae Romanae editionem, Sacra Rituum Congregatio, attentis atque confirmatis Decretis suis, nn. 4166 et 4168, datis diebus 11 et 14 Augusti anni 1905, uti authenticam ac typicam declarat et decernit; quippe quae pro Missis de Tempore et de Sanctis, necnon et pro Missarum Ordinario, Cantum gregorianum exhibet, prout is fuit a SSm̃o D. N. Pio Papa X feliciter restitutus, ipsiusque iussu et auctoritate diligenter ac rite revisus et recognitus. Ea quidem fuit totius operis norma, quam varia plane instituerant et iniunxerant documenta Pontificia, et perspicue rursus ac plenius exponit et inculcat Commentarium de ratione editionis Vaticanae Cantus Romani, quod Graduali praemittitur.

Haec autem editio, ut in usum apud omnes Ecclesias hic et nunc deveniat, ita sancitum est, ut ceterae quaelibet cantus Romani editiones, ad tempus tantummodo iuxta Decreta praedicta toleratae, nullo iam in futurum iure gaudeant, quo typicae substitui possint.

Quo vero forma cantus aptius posset restitui, restitutae sunt etiam nonnullae hic illic quoad verba lectiones, quamvis ab hodierno textu Missalis alienae. Quarum restitutio, quum ab ipso Summo Pontifice, in Audientia, die 14 Martii anni 1906, Em̃o Cardinali Pro-Praefecto huius Sacrae Congregationis indulta, expresse fuerit approbata atque praescripta, in futuris Gradualis editionibus omnino erit observanda.

Iuxta tenorem quoque utriusque Decreti suprascripti, ad eos tantum editores seu typographos, quibus id a Sede Apostolica conceditur, pertinet privilegium evulgandi eundem cantum, qui, quum sit vetus Ecclesiae Romanae patrimonium, eiusdem prorsus exstat proprietas. Cautum est insuper, ne quid, quovis praetextu, editores

praesumant addere, demere aut mutare, quod ipsius cantus integritati atque uniformitati discrimen inferat. Qualiscumque igitur editio cantus gregoriani, ad usum liturgicum destinata, ut sit legitima, et ab Ordinario queat permitti, debet esse typicae huic omnino conformis, quoad ea praesertim, quibus sive in praefatis Decretis, sive in alio diei 14 Februarii anni 1906, n. 4178, specialiter provisum est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 Augusti 1907.

4204.

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Guardianus Fratrum Ordinis Minorum, qui in Conventu S. Antonii, Bononiae, moratur, humiliter petiit a Sacra Rituum Congregatione, ut dubium in forma authentica solveretur, de validitate consecrationis Altaris Immaculatae, elapso an. 1906 a Cardinali Archiepiscopo Svampa peractae; dubium quod nonnullos anxios tenebat Celebrantes, sequentibus ex causis: 1° Altaris partes ita dispositae sunt, ut mensa seu tabula Altaris duabus marmoreis tabulis componatur, una alteri superposita, sed ita adamussim unitis, ut unam effingant, adeo ut, qui id ignoraverit, tabularum pluritati non crederet; 2° Capsula Sacras Reliquias continens, in tabulae centro posita, super altera quiescit tabula, eo quod sit aliquantum crassior, quamvis maxima ex parte in tabulam penetret consecratam; 3° Haec mensa, sic composita, fulcitur, praeterquam crepidine, seu pallio Altaris, quatuor marmoreis columellis, adauctis ad binas extremitates relativis capitellis, cum lamella, seu quadrata ex marmore tabella, quae mensam capitello et columnae coniungit, ope axis seu cardinis, qui omnes has partes connectit. Quapropter, considerans orator: *a*) mensam haud esse severe loquendo unicam, et *b*) mensam non immediate fulciri columnae seu basi Altaris; petiit:

An Altaris consecratio fuerit valida, et quatenus negative, quomodo se gerendum, ac rei consulendum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, attentisque superius expositis una cum Decretis, praesertim vero n.° 3884, Camberien., 8 Februarii 1896; ad propositum dubium de validitate consecrationis supradicti Altaris rescribendum censuit: In casu consecratio Altaris valida habenda est.

Atque ita rescripsit, die 6 Septembris 1907.

4205. CARCASSONEN.

Hodiernus Episcopus Carcassonen. a Sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit: An permitti possit quaedam compositio ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem, quae continuo ardere et lucere debet ante Altare et Tabernaculum, ubi asservatur SS̃mum Eucharistiae Sacramentum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, propositae quaestioni respondendum censuit: Affirmative, nihilque obstare in casu.

Atque ita rescripsit, die 8 Novembris 1907.

4206. DECLARATIO DECRETORUM DE LUCE ELECTRICA.

Nonnullis postulatis lucis electricae usum in Ecclesia respicientibus Sacra Rituum Congregatio, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, ita respondere censuit:

Lux electrica vetita est, non solum una cum candelis ex cera super Altari, iuxta Decretum n. 4097, Natcheten., 16 Maii 1902, sed etiam loco candelarum vel lampadum quae coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento vel Sacris Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis Ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica ad prudens Ordinarii iudicium permittitur: dummodo species non habeatur theatralis, ad mentem Decreti n. 3859, diei 4 Iunii 1895.

Atque ita rescripsit, die 22 Novembris 1907.

4207.

CONGREGAT. SS. REDEMPTORIS PROVINCIAE BELGICAE.

Redactor Calendarii Provinciae Belgicae Congregationis SS̃mi Redemptoris, de consensu R̃mi Procuratoris Generalis, sequentem quaestionem solvendam Sacrae

Rituum Congregationi humiliter proposuit; nimirum:

Quum in concurrentia diei Octavae Festi secundarii cum Duplici minori primario Vesperae integrae sint de Duplici minori primario cum Commemoratione diei Octavae Festi secundarii, iuxta Decretum S. R. C. n. 3908, ad II, diei 22 Maii 1896, et Rubricas reformatas, tit. XI, n. 7, quaeritur: Cuiusnam, in occurrentia diei Octavae Festi secundarii et Duplicis minoris primarii, sit Officium cum Commemoratione alterius, utrum diei Octavae Festi secundarii, an Duplicis minoris primarii?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque sedulo perpensa, propositae quaestioni ita respondendum censuit: Ad primam partem, affirmative, nempe diei Octavae secundariae: ad secundam, negative, iuxta Rubricas. Si occurrentia vero sit perpetua, Festum duplex minus fixe transferatur in diem primam sequentem liberam, iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 29 Novembris 1907.

4208. LUGANEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae cathedralis Luganensis, de consensu sui Rm̃i Dñi Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humiliter proposuit, nimirum: An Canonicus theologus, Sacram Scripturam populo explicaturus, debeat Benedictionem ab Episcopo pontificaliter celebrante vel adsistente petere, prout praescribitur in Caeremoniali Episcoporum pro Canonico concionatore infra Missarum solemnia?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, proposito dubio respondendum censuit: Affirmative, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XXII, n. 2; et lib. II, cap. VIII, n. 51.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 6 Decembris 1907.

4209. NOVARIEN.

Canonicus Praepositus loci v. d. *Cannobio*, Dioecesis Novariensis, de consensu sui Rm̃i Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, morem esse in Dioecesi Bergomensi et Ticinensi, ut tam viceparochi quam vicecoadiutores Ecclesiarum ritus Ambrosiani celebrent Missam, et Officium recitent ritu Ambrosiano, sicuti consuetudo est in Dioecesi Mediolanensi, ut viceparochi et vicecoadiutores Paroeciae ritus Romani celebrent, et Officium persolvant eodem ritu Romano. Quum vero etiam in Novariensi Dioecesi exstent ritus Ambrosiani Paroeciae, inter quas Paroecia loci *Cannobio* recensetur, idem orator sequens dubium pro opportuna solutione proposuit: Utrum viceparochis et vicecoadiutoribus Ecclesiarum ritum Ambrosiani, quae in Dioecesi Novariensi exsistunt, et iis qui ad nutum ab Ordinario dati sunt, ut in administratione Sacramentorum aliisque parochialis officii ministeriis inserviant, licitum sit Missam celebrare ritu Ambrosiano, iuxta Calendarium Mediolanense, et Officium persolvere ritu Romano, iuxta Calendarium Novariense?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque accurate perpensa, propositae quaestioni respondendum censuit: Negative, et quum praedicti Sacerdotes Ecclesiis Ambrosiani ritus inserviant, Officium, sicut Missam, Ambrosiano ritu persolvant.

Atque ita rescripsit, die 17 Ianuarii 1908.

4210. ANGELOPOLITANA.

Rm̃us Dñus Raymundus Ibarra et Gonzalez, Archiepiscopus Angelopolitanus in Republica Mexicana, a S. Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter exposcit:

I. Per Decretum S. R. C., n. 3859, die 4 Iunii 1895, declaratum fuit, « lucem electricam adhiberi posse in Templis, non ad cultum, sed ad tenebras depellendas, seclusa omni theatrali specie ». Iamvero, cum nonnulli tale Decretum nimis late interpretari videantur, ad controversias dirimendas, quaeritur in particulari: 1° Licebitne apponere in Altari, in quo SSm̃um Sacramentum publicae fidelium patet venerationi, electricas lampades, sive Tabernaculum circa, sive in vasis florigeris quae inter candelabra locantur? 2° Fasne erit, imagines SS. Cordis Iesu, vel B. Mariae

Virginis, iisdem electricis circumcingere luminibus, ad instar scilicet fulgidae coronae circa caput, lunae sub pedibus, vel ad modum solarium radiorum ad latera; et in capitibus duodecim Apostolorum linguas igneas effingere rubeis lampadibus? 3° Permittine demum poterit, quod in lampadibus, quae ex Ecclesiae fornicibus pendent, candelae ex cera, fictis candelis electricis substituantur?

II. Per Decretum n. **3964**, De Truxillo, die 17 Septembris 1897, prohibitum fuit, ut « mulieres ac puellae intra vel extra ambitum Chori canant in Missis solemnibus ». Attamen, cum in Motu proprio SSmi D. N. Pii Pp. X, *Inter pastoralis officii*, de Musica Sacra, d. d. 22 Novembris 1903, n. **4121**, praecipiatur, ut « cantus gregorianus in populi usus restituendus curetur, quo ad divinas laudes mysteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant », quaeritur: Licebitne permittere, ut puellae ac mulieres in scamnis sedentes, ipsis in Ecclesia assignatis, separatim a viris, partes Missae cantent; vel saltem extra functiones stricte liturgicas, Hymnos aut cantilenas vernaculas concinant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisitis votis utriusque Commissionis, tum Liturgicae tum de Musica et Cantu Sacro, omnibusque sedulo perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Pro tribus quaestionibus particularibus detur et servetur Decretum, seu Declaratio, d. d. 22 Novembris 1907, n. **4206**.

Ad II. Affirmative ad utrumque, et ad mentem. Mens est: Ubi viri et pueri suam partem convenienter, tamquam Chorus seu *Schola cantorum*, conferre possunt, mulieres et puellae canentes a reliquo populo non distinguantur, salva separatione virorum a mulieribus, ubi laudabilis huiusmodi servatur consuetudo; et ubi praesertim officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum non admittatur, nisi ex gravi causa, ab Ordinario agnoscenda; et cauto semper ut quaevis inordinatio vitetur.

Atque ita rescripsit, die 17 Ianuarii 1908.

4211. DUBIUM.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: An praeter ritum de Benedictione simplici novae campanae, quae tamen ad usum Ecclesiae non inserviat, ut in Appendice ad Rituale Romanum, et ritum de Benedictione signi vel campanae pro Ecclesia vel Sacello, uti in Pontificali Romano (de quo utroque ritu agitur in Decreto n. **3770**, Sedunen., 4 Martii 1892), adhiberi possit alter brevior ritus ad campanas in usum sacrum benedicendas?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, omnibusque accurate perpensis, ita rescribendum censuit: Affirmative, cum ritu hoc eodem die ab hac Sacra Congregatione adprobato. Attamen haec Benedictio ab Episcopo, vel ab aliis facultatem habentibus facienda est; et quod attinet ad Ecclesias consecratas, in Benedictione signi vel campanae curandum omnino ut servetur ritus Pontificalis Romani.

Quam resolutionem SSmo D. N. Pio Pp. X, per Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatam, Sanctitas Sua in omnibus ratam habere atque approbare dignata est. Die 22 Ianuarii 1908.

4212.

ORDINIS FRATRUM MINORUM
PROV. GERMANIAE INFERIORIS.

Praepositus Ordinis Fratrum Minorum in Provincia Germanica Inferiori, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem expostulavit, videlicet: An intra Octavam Patroni principalis, quae apud Regulares iam alio titulo seu causa celebratur, debeat in Missa Symbolum adiungi, sicut additur in ipso die festo; ita nempe ut apud eosdem Regulares debeat per totam Octavam Nativitatis Dominici Praecursoris in Missa Symbolum recitari, si ipse Sanctus sit praecipuus loci Patronus, vel etiam si de ipso Reliquia insignis asservetur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, propositae quaestioni respondendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 24 Ianuarii 1908.

4213. DUBIORUM.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt, nimirum:

I. Utrum adhiberi possint corollae ligneae, quae super tobaleas Altarium Aras circumcingunt?

II. Utrum, non obstante consuetudine, in functione Benedictionis cum SSmo Eucharistiae Sacramento liceat, dum exponitur, vel postquam expositum fuerit idem SSmum Sacramentum, statim canere primam stropham *Tantum ergo*, usque ad *Genitori*, inde Litanias Lauretanas cum relativa Oratione, ac tandem alteram stropham *Genitori*, etc.?

III. Utrum liceat asservare SSmam Eucharistiam in Altari baldachinum habente, quamvis super illud habeatur habitaculum cum lectulo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 11.

Ad II. Negative, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n. 27, et Decretum n. **3513**, Delegationis Apostolicae Peruvianae, 15 Aprilis 1880.

Ad III. Negative, ex Decreto n. **3525**, Papien., 23 Novembris 1880, ad II.

Atque ita rescripsit, die 24 Ianuarii 1908.

4214. NICOSIEN.

Postulato Rmi Episcopi Nicosiensis: An, attenta vetusta consuetudine, permitti aut tolerari possit sedes cameralis, instructa brachiis et fulcimento pro humeris, loco scamni oblongi, pro Celebrante et Ministris in Missis et Vesperis cum cantu?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam Commissionis Liturgicae voto, respondendum censuit: Legatur Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 22, et lib. II, cap. III, n. 4; et dentur Decreta n. **2289**, Terulen., 20 Augusti 1729, ad III, et IV; n. **2621**, Dubiorum, 17 Septembris 1822, ad VI; n. **3104**, S. Iacobi de Cile, 14 Martii 1861, ad IV, et n. **3804**, Goana - Dubia varia, 16 Iunii 1893, ad XI.

Atque ita rescripsit, die 14 Martii 1908.

4215. DUBIUM.

Postulato Sacrorum Rituum Congregationi exhibito: An liceat Sacerdoti canere post Missam privatam Responsorium *Libera me, Domine*, aut quid simile, pro Defunctis, praesente vel absente cadavere? Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, ita respondendum censuit: Si agatur de Missa lecta Defunctorum, a Rubricis et Decretis permissa Absolutio in cantu immediate post eam non prohibetur; sin vero de Missa diei currentis aut votiva, servetur Decretum n. **3780**, Romana, Resolutionis dubiorum, 12 Iulii 1892, ad VIII.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 28 Martii 1908.

4216. DECRETUM.

Ab aliquibus Causarum Servorum Dei Postulatoribus Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione propositum fuit, nimirum: Indultum concessum quibuscumque Choro addictis, qui operam praestant conficiendis Processibus, tum Ordinariis tum Apostolicis, in Causis Servorum Dei, vel adsunt uti testes, intra vel extra Urbem, estne intelligendum de diebus in quibus assistunt iisdem Processibus, vel tantum de horis cuiusvis Sessionis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii omnibus accurato examine perpensis, ita respondendum censuit: Affirmative ad primam partem, iuxta Decreta, ac terminos et sensum Decretorum; et quoad secundam partem, provisum in prima.

Atque ita rescripsit, die 4 Aprilis 1908.

4217.

DECRETUM SEU LITTERAE

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE ORDINARIOS, DE EDITIONE TYPICA VATICANA GRADUALIS ROMANI.

Postquam SSmus D. N. Pius Papa X, Motu proprio diei 22 Novembris 1903, n. **4121**, sacram musicem reformari mandavit; ut coeptum opus, qua par est ratione, absolveretur, decrevit Motu proprio diei 25 Aprilis 1904, n. **4134**, ut typica edi-

tio librorum cantum gregorianum continentium in vulgus prodiret typis Vaticanis, qua editione, antiquo usu recepti Ecclesiae concentus pristinae integritati ac puritati redderentur, in eum potissimum finem, ut Romanae Ecclesiae ceterisque Romani ritus Ecclesiis communem liturgicorum concentuum probatum textum suppeditaret.

Quare, iuxta hanc Summi Pontificis voluntatem, typica editio Gradualis Romani, numeris omnibus feliciter absoluta, modo in lucem prodit.

Quoniam vero ad Rm̃os locorum Ordinarios pertinet, eiusmodi Gradualis usum ac diffusionem promovere ac regere apud Clerum et populum sibi commissos; Sacra Rituum Congregatio, de mandato SSm̃i D. N., animadvertendas proponit iisdem Rm̃is Ordinariis normas et mandata praecipua circa huiusce typicae editionis introductionem, eiusque novas typographicas impressiones, quae fiant ab editoribus, facultate impetrata ab Apostolica Sede, scilicet Decreta huius S. Congregationis, d. d. 11 et 14 Augusti 1905, nn. **4166** et **4168**; 14 Februarii 1906, n. **4178**, et 7 Augusti 1907, n. **4203**.

Porro, e primo eiusmodi documentorum colligitur: 1° Vaticanam editionem Gradualis, vel quamlibet aliam, quae legitime statisque sub conditionibus eandem typicam referat, substitui debere editionibus, quae modo adhibebantur: itemque 2° ad Rm̃os Ordinarios pertinere munus efficiendi, ut suae cuiusque Dioecesis propria sic restaurentur, ut conformia reddantur gregorianis concentibus typicae Vaticanae editionis.

Per novissimum Decretum hic et nunc ita praescribitur usus huius Gradualis, ut quibuslibet editionibus (minime excepta, quae *Medicea* vocatur) huc usque adhibitis quamprimum substituenda sit editio Vaticana, vel eius legitime peracta nova impressio: ideoque ceterae Gradualis editiones, a typica discrepantes, rursus imprimi nequeunt, multoque minus a Rm̃is Ordinariis approbari. Quae vero, antequam integra typica Gradualis editio prodiret, benigne datae fuerint concessiones, nullimode prorsus contra memoratas universales praescriptiones debent praevalere.

Denique ad cantus traditionalis instaurationem facilius exsequendam, praeterquamquod iuverit adiuvante *Commissione*, uti vocant, dioecesana) animos adiicere eorum, quotquot Summi Pontificis menti ac beneplacito libenter cupiant respondere, nil procul dubio magis efficax erit, quam si vigilantissime intendant Rm̃i Ordinarii, ut exsecutio sacrorum concentuum in Cathedralibus et potioribus Ecclesiis adeo fiat plena ac perfecta, ut forma et exemplar ceteris habeatur.

Oportet insuper, ut qui ad Cantoris officium eliguntur, congruis dotibus revera sint praediti, et superato idoneitatis periculo probati, quod multo magis dici debet de Chori Magistro seu de Praefecto musicae, uti aiunt, qui necessaria polleat auctoritate ad suum implendum Officium, iuxta Summi Pontificis praecepta, de musica sacra et cantu gregoriano instaurandis.

Voluit autem Sanctitas Sua praesens Decretum a Sacra Rituum Congregatione expediri, et Rm̃is Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis notum fieri; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 8 Aprilis 1908.

4218. OSNABRUGEN.

Postulato Rm̃i Dñi Episcopi Osnabrugen., Provicarii Apostolici Missionum Germaniae Septentrionalis et Administratoris Praefecturae Apostolicae Slevigis Holsatiae: Utrum Officia votiva antiqua de praecepto recitanda singulis Feriis quintis non impeditis de Sanctissimo Sacramento, et singulis Sabbatis item non impeditis, de Immaculata Conceptione B. M. V., sint revocata per nova Officia votiva ad libitum recitanda, et concessa cum Decreto generali n. **3581**, Urbis et Orbis, 5 Iulii 1883?

Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Negative, nisi expresse renuntiatum fuerit antiquis Indultis, iuxta ipsum citatum Decretum, ubi in fine ad I legitur: « Firmis remanentibus aliis votivorum Officiorum indultis quibuscumque iam concessis ».

Atque ita rescripsit, die 5 Iunii 1908.

4219. ATREBATEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae cathedralis Atrebaten. et extensor Calendarii dioecesani, de licentia sui Rm̃i Epi-

scopi, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum:

I. Quando celebratur Festum duplex Dominica infra Octavam communem, ponitur in Laudibus Commemoratio Dominicae, deinde Octavae; debetne in secundis Vesperis idem ordo servari pro Commemorationibus, si Feria secunda sequenti fit de die infra Octavam, vel poni primo loco Commemoratio Octavae?

II. Quando Feria VI post Octavam Ascensionis recolitur Festum duplex aut semiduplex, quod in secundis Vesperis concurrit cum Festo eiusdem ritus, ob Vigiliam Pentecostes simplificando, debetne prius fieri Commemoratio huius Festi simplificati ac postea Feriae, aut inversus ordo servari?

III. Post Horam tertiam, quae praecedit Missam pontificalem, Episcopus celebrans debetne, dicto per Chorum *Benedicamus Domino*, omittere versum *Fidelium animae?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Decretum n. **3843**, Commemorationum in Vesperis, 5 Februarii 1895, quia habetur concursus, et Commemoratio sumatur e primis Vesperis, iuxta Rubricas.

Ad III. Affirmative in casu.

Atque ita rescripsit, die 5 Iunii 1908.

4220. GALLIPOLITANA.

Rmus Dnus Caietanus Muller, Episcopus Gallipolitanus, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit, nimirum:

In sepulcreto civitatis Gallipolitanae tum Confraternitates tum privatae familiae habent sua Sacella, in quibus cadavera sepeliuntur in loculis. At huiusmodi Sacella valde exigua sunt et angusta, ita ut vix aliquod eorum habeat quatuor metra longitudinis, duo vero latitudinis; Altaria autem non distant in eis tres cubitos, seu unum metrum, a loculis, sed pauca centimetra. Insuper in aliquibus Sacellis habetur Altare ex ligno confectum cum lapide consecrato infixo in medio mensae; sed Altare mobile est, ita ut ad libitum transferatur de uno in alium locum eiusdem Sacelli. Quaeritur.

I. Utrum permitti possit Missae celebratio in istis Sacellis, in quibus non habetur praescripta distantia Altarium a loculis?

II. Utrum Altaria mobilia, sensu exposito, tolerari possint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae voto, omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative, iuxta Decretum n. **3944**, Romana, 12 Ianuarii 1899, ad II.

Ad II. Affirmative, dummodo mensa solidis basibus adhaereat, et Altare ipsum in uno tantum loco stabiliter collocetur.

Atque ita rescripsit, die 19 Iunii 1908.

4221. AMERICAE OCEANIAE ATQUE AUSTRALIAE.

SSmus D. N. Pius Pp. X, clementer deferens supplicibus votis Sacrorum Praesulum Ecclesiarum sive Dioeceseon totius Americae, Oceaniae atque Australiae, privilegium benigne impertiri dignatus est, quo ipsi Revmi Sacrorum Antistes, quotiescumque Romam petituri sint, perdurante maritimo itinere, etiam in reditu, singulis diebus Sacrum in navi peragere valeant: dummodo locus ad hoc delectus nihil indecens aut indecorum praeseferat; mare sit adeo tranquillum, ut nullum prorsus adsit periculum effusionis Sacrarum Specierum e Calice, et, si adsit, alter Sacerdos superpelliceo indutus, Praesuli celebranti adsistat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 Iunii 1908.

4222. URBIS ET ORBIS.

Quo congruus accedat cumulus solemnibus sacrisque pompis nuper expletis in honorem celeberrimi totius Ecclesiae Doctoris, Ioannis, ob aureum eloquentiae flumen cognomento Chrysostomi, mox elapso saeculo decimoquinto, ex quo Sanctus ipse Antistes exilio mulctatus iniuste, ac mala multa perpessus, supremum diem obivit; Rmus P. Hugo Athanasius Gaisser, ex Ordine Sancti Benedicti, Pontificii Graecorum Collegii moderator, vota depromens peculiaris Coetus eiusmodi honoribus Chrysostomo tribuendis in Urbe consti-

tuti, ac munere suo feliciter perfuncti, SSmum D. N. Pium Pp. X supplex rogavit, ut eundem Sanctum Doctorem christianae eloquentiae et coelestem sacrorum concionatorum Patronum suprema auctoritate Sua declarare ac statuere dignaretur. Id siquidem fel. rec. Leo XIII, die 4 Iulii, anno 1884, indubie praenunciaverat, sacros videlicet oratores in fidem ac tutelam collocando S. Ioannis Chrysostomi, Ecclesiae Doctoris, quem omnibus ad imitandum proponebat exemplar, utpote qui christianorum oratorum facile princeps, ob aureum eloquentiae flumen, invictum dicendi robur, vitaeque sanctitudinem summis laudibus ubique celebretur. Sanctitas posso Sua, has preces ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas peramanter excipiens, praeclarum Ecclesiae universae Doctorem decusque, Sanctum Episcopum Ioannem Chrysostomum, oratorum sacrorum coelestem Patronum Apostolica auctoritate Sua declaravit et constituit; eundemque, quemadmodum cunctis fidelibus omnigenae virtutis, ita christianae eloquentiae ad imitandum exemplar sacris concionatoribus libentissime proposuit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Iulii 1908.

4223. FULDEN.

In relatione status Ecclesiae Fuldensis, Sacrae Congregationi Concilii, die 8 Maii 1908 exhibita, sequens inveniebatur Postulatum, ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna declaratione seu sanatione transmissum; nimirum:

« Hodiernus Episcopus Fuldensis exponit, post mortem Georgii Ignatii Homp, qui a Sede Fuldensi ad Sedem Archiepiscopalem Friburgensem anno 1898 translatus fuerat, retenta administratione tantum Dioecesis Fuldensis, Anniversarium, quod iuxta Caeremoniale Episcoporum pro ultimo defuncto Episcopo celebrandum est, celebratum fuisse pro dicto Episcopo Georgio Ignatio, quamvis Administrator tantum erat, dum in ipso ad suam novam Sedem itinere moreretur. Pro Episcopo vero, qui ultimo in Sede Fuldensi mortuus erat, scilicet Iosepho Weyland, Anniversarium fundatum persolutus quidem fuit, non tamen illud quod Caeremoniale Episcoporum postulat. Unde petit, ut Sacra Congregatio, si quid in hac re praestandum adhuc sit, declarare vel sanare benigne velit ».

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisitis tum Commissionis Liturgicae tum alterius ex suis Consultoribus suffragiis, attentis expositis una cum specialibus informationibus ex officio assumptis, reque accurato examine perpensa, ita rescribendum censuit: Pro declaratione seu sanatione in casu, facto verbo cum Sanctissimo, et prout ipsi placuerit.

Quibus omnibus SSmo D. N. Pio Pp. X per Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua petitam declarationem seu sanationem indulgere dignata est, supplendo de thesauro Ecclesiae, imposito tamen onere hodierno Episcopo Fuldensi applicandi unam Missam lectam pro anima Episcopi Iosephi Weyland.

Die 22 Iulii 1908.

4224.

VICARIATUS APOSTOLICI
HONG-KONG.

Rmus Dnus Dominicus Pozzoni, Episcopus tit. Tavian. et Vicarius Apostolicus Missionis Hong-Kong, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii, ob maiorem perspicuitatem aliquantulum reformati, authenticam solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

Utrum in functione, quae coram SSmo Eucharistiae Sacramento publice exposito peragitur, dum, ante Hymnum *Tantum ergo*, cantantur alii Hymni, vel Antiphona *Regina coeli*, tempore paschali, vel Canticum *Magnificat*, per anni decursum, Sacerdos celebrans et Ministri stare debeant, aut manere genuflexi?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, re sedulo perpensa, rescribendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 6 Novembris 1908.

4225. ANDRIEN.

Caeremoniarius Rmi Dni Episcopi Dioeceseos Andriensis, de eiusdem consensu Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, humiliter exposuit; nimirum:

In Ecclesia Matrice S. Sabini, civitatis Canosae, Dioeceseos Andrien., nuper erectum est Altare, quod undequaque per se stat, et cuius mensa marmorea sustentatur a quatuor columellis item marmoreis; subtus vero est omnino vacuum, nec destinatur, prout in casu Decreti n. 3741, Tridentina, 20 Decembris 1890, ad recipiendam arcam ligneam paramentis asservandis. Hinc quaeritur:

I. An supradescriptum Altare consecrari possit?

II. Et quatenus affirmative ad I, ubi facienda sit unctio Chrismatis praescripta in fronte Altaris?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, dummodo quatuor columellae talem soliditatem exhibeant, qua Altare nullimode moveri possit.

Ad II. Unctio Chrismatis, in modum Crucis, fiat in fronte, seu in medio spissitudinis anterioris mensae.

Atque ita rescripsit, die 6 Novembris 1908.

4226. COMPOSTELLANA.

Hodiernus Rm̃us Praeses Commissionis dioecesanae de musica sacra, ab Em̃o et Rm̃o D. Cardinali Iosepho Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopo Compostellano, constitutae, a Sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

I. An in musica sacra organica admitti possint instrumenta, *oboës, clarinettes, trombones* nuncupata?

II. An instrumenta, vulgo *timbales* seu *tympanos,* sint habenda uti fragorosa et strepitantia?

III. An eadem permitti possint in musica et orchestra religiosa?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita specialis Commissionis de musica et cantu sacro sententia, ita respondendum censuit:

Ad I. Possunt tolerari instrumenta musica, *oboës* et *clarinettes;* dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur.

Ad II. Provisum est in articulo 19 Instructionis pontificiae *De musica sacra,* 22 Novembris 1903, n. 4121, et omnino servetur art. 16 eiusdem instructionis.

Ad III. Negative.

Atque ita rescripsit, die 13 Novembris 1908.

4227. CONCORDIEN.

Rm̃us Dñus Franciscus Isola, Episcopus Concordien., in visitatione pastorali reperit quaedam Altaria consecrata uti fixa, quorum mensa ex pluribus lapidibus simul iunctis constat; aliqua vero similia cum mensa item ex pluribus partibus composita, sed in cuius medio exstat lapis quadratus, in quo reconditae sunt Sacrae Reliquiae, vulgo *Pietra Sacra:* alia demum consecrata uti fixa, quorum mensa in medio innititur super basi ex muro vel ex coctis lateribus, quae in centro continet Sacras Reliquias. Quare idem Rm̃us Episcopus a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit, an continuari possit usus celebrandi super dictis Altaribus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit:

I. Quoad Altaria priora, pro gratia sanationis, dummodo sepulcrum sit integrum ex lapide.

II. Quoad Altaria secundo loco descripta, orator acquiescat.

III. Quoad postrema, infra tempus iudicio ipsius Episcopi determinandum, eadem ad normam iuris reducantur, vel per parvum lapidem consecratum vel (si nullum in Ecclesia consecrata sit Altare fixum) per totius mensae cum stipitibus consecrationem.

Atque ita rescripsit, declaravit atque indulsit, die 13 Novembris 1908.

4228. COMPOSTELLANA.

Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Iosephus Martin de Herrera y de la Iglesia a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii resolutionem reverenter expetivit; nimirum:

Quum in Rituali Romano, tit. IV, *De exsequiis,* sub num. 11, haec legantur: « Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula seu planeta violacea sit indutus »; quumque ex consuetudine generali, vi-

gente in Archidioecesi Compostellana, cadavera Sacerdotum induantur planeta seu casula nigri coloris, quaeritur: An vi consuetudinis liceat cadavera Sacerdotum induere casula vel planeta nigri coloris?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, proposito dubio ita respondendum censuit: Affirmative, attenta praesertim consuetudine et Rubrica Ritualis Romani, quae praescribens paramenta violacea in casu non excludit nigra.

Atque ita rescripsit, die 20 Novembris 1908.

4229. INSTRUCTIO

PRO EDITORIBUS LIBRORUM LITURGICORUM CUM CANTU GREGORIANO.

Quo tutius pleniusque possit obtineri in Sacra Liturgia, etiam quoad cantum, optanda uniformitas, merito statutum est, ut in iis etiam quae ad singula Ecclesiarum Propria pertinent, eidem Officio vel Missae eadem regulariter adoptetur melodia, ac proinde, ut ante approbationem a Sacra Rituum Congregatione rite petendam, iisdem revisoribus cuncta subiiciantur, quatenus illi testari possint, non tantum de servatis artis gregorianae regulis, sed etiam de constante melodiarum ea, quae requiritur, unitate.

Die 27 Novembris 1908.

4230. ROMANA.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: An lampades, quae ardere debent ante Altare et Tabernaculum, in quo asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nutriri possint ex cera apum, saltem in maxima parte, quae adhibetur in candelis praescriptis ad Missae celebrationem, iuxta mentem Decreti Sacrae Rituum Congregationis n. 4147, Plurium Dioecesium, diei 14 Decembris 1904?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, omnibus accurate perpensis, proposito dubio ita respondendum censuit: In defectu olei, tolerari posse, et remittendum esse prudentiae Episcopi, iuxta Decretum n. 3121, Plurium Dioecesium, 11 Iulii 1864.

Atque ita rescripsit, die 27 Novembris 1908.

4231. NEO-EBORACEN.

Sacrorum Rituum Congregationi ea, quae sequuntur, pro opportuna declaratione, rite ac reverenter exposita sunt, nimirum:

Per omnes fere regiones Statuum foederatorum Americae Septentrionalis, nomine Chori designatur solummodo quidam coetus paucorum cantorum, tum foeminarum quum virorum, qui seliguntur ad officium textus liturgicos intra Missas solemnes cantandi. Hic Chorus, seu coetus virorum ac mulierum, seu puellarum, in loco eius soli usui destinato, extra cancellos, immo plerumque longissime ab Altari positus est, nec alius habetur Chorus, qui textus liturgicos cantet vel recitet. Hinc quaeritur, utrum, ratione habita Decreti de cantu mulierum in Ecclesiis, n. 4210, Angelopolitana, 17 Ianuarii 1908, ad II, quo declaratum fuit, ut viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis; talem Chorum seu coetum virorum ac mulierum supradescriptum, in loco ab Altari remotissimo positum, et Chori liturgici fungentem officio, posthac adhibere liceat.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisitis utriusque Commissionis, tam Liturgicae quam de musica et cantu sacro, suffragiis, omnibus maturo examine perpensis, propositae quaestioni ita respondendum censuit: Prouti exponitur, negative, et ad mentem. « Mens est, ut viri a mulieribus et puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti, et onerata super his Ordinariorum conscientia ». Die 18 Decembris 1908.

4232. BELEMEN. DE PARA.

Rm̃us Dñus Sanctinus Maria de Silva Coutinho, Archiepiscopus Belemensis de Para, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit:

Iam multis abhinc annis, in Archidioecesi Belemensi de Para in Brasilia, consuetudo viget celebrandi matrimonia post meridiem vel sub nocte, quae magis invaluit post introductam legem civilis matrimonii, quo fit ut coniuges saepissime

negligant et omittant, Benedictionem nuptialem in Missa alio tempore recipere. Hinc quaeritur: An, attentis expositis, et pro dicta Dioecesi, in matrimoniis celebrandis, Benedictio nuptialis, prout in Missa pro Sponso et Sponsa, etiam extra Missam, in posterum impertiri possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, proposito postulato respondendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit, die 12 Februarii 1909.

4233. SANCTIMONIALIUM ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS HELVETICAE.

Hodierna Abbatissa exempti monasterii, *Habsthal*, sub iurisdictione R̃mi D. Abbatis de Muri-Gries, Congregationis Helveticae O. S. B., in Dioecesi Friburgensi siti, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit:

A Gubernio Helvetico patria expulsae moniales Abbatiae *Hermetschwil*, an. 1892, cum licentia Ill̃mi et R̃mi D. Archiepiscopi Friburgensis, ad antiquum S. Stephani monasterium in supradicto pago Habsthal sese recepere. Quod quidem monasterium, anno 1295 fundatum, et monialibus Ordinis S. Dominici traditum, ineunte saecula XIX, suppressum fuit, eiusque Ecclesia uti parochialis pagi Habsthal renunciata. Adsunt nunc duo Sacerdotes Ordinis S Benedicti, quorum unus munere Confessarii monialium, alter Parochi fungitur. Quum autem Ecclesia sit parochialis, dubium exortum est de Calendario in celebratione Missae adhibendo, nempe, an eadem Ecclesia stare debeat Calendario proprio monialium, quae in Choro Ecclesiae Officium divinum secundum Calendarium monasticum O. S. B. peragunt, vel Calendario dioecesano?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus perpensis, ita respondendum censuit: Standum Calendario Chori, ob Officium publice recitatum.

Atque ita rescripsit, die 12 Februarii 1909.

4234.

DECRETUM SEU INSTRUCTIONES.

Sacra Rituum Congregatio necessarium atque opportunum iudicavit, quasdam instructiones seu leges circa cantus concinnandos atque edendos, Officia propria alicuius Ecclesiae vel Instituti respicientes, statuere ac evulgare. Quae quidem instructiones seu leges, in audientia diei 24 vertentis mensis Martii a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X approbatae ac sancitae, sunt quae sequuntur:

I. Praeter cantus, qui in editione Vaticana habentur, alii exstant non pauci, qui, quum et ipsi ad usum liturgicum, licet peculiaris tantum loci, pertineant, propterea omnino debent (Decretum n. 4166, 11 Augusti 1905, ad V et VI) ad formam gregorianam concinnari, aut certe reduci, ut inde possint Sacrorum Rituum Congregationis approbatione muniri.

II. Istiusmodi cantus, quamvis non universam spectent Ecclesiam, nihilominus in potestatem cedunt Sedis Apostolicae, quae eos approbando facit suos, ac pleno prorsus iure potitur de forma usuque eorum admittendis, tollendis, limitandis, et ita quidem moderandis, ut cantus etiam proprii singularum Ecclesiarum cum typicis et inter se concordent.

III. Nec tamen ista suprema Sedis Apostolicae potestas super liturgicas cantilenas impedit, quominus firma maneant possessoribus consueta proprietatis iura, scilicet:

a) Ordinario, super Ecclesiae suae Proprium, sumptum quidem universe; minime vero in partes, nisi omnino speciales;

b) auctori vel editori primo, si agatur de melodiis vel de aliquo Proprio cuipiam Ecclesiae non reservatis, ut esset, v. g., *Kyrie* in Ordinario Missae extra editionem typicam approbatum, aut Proprium regionale; quae tamen, decennio elapso, publici iuris fiant, salvo semper Sedis Apostolicae dominio.

IV. Praedictorum autem iurium usus sic temperetur, ut nullus Ordinarius, auctor vel editor, obstare queat, quominus alii, si conditiones infra notatas impleant, aliquem cantum proprium, suo verborum contextu, ut par est, instructum, typis pariter evulgent.

V. Quivis editor, cantus huiusmodi typis mandare cupiens, ad id admittatur a

legitimo possessore, dummodo huic fidem faciat: *a*) de sufficienti ad rem perficiendam facultate et peritia; *b*) de praestanda eidem possessori debita remuneratione, cuius scilicet pretium excedere nequeat duplum expensae ad primam confectionem requisitae.

VI. De moderatoribus supremis alicuius religiosi Instituti idem valeat quod supra de Ordinariis sancitum est, peculiaribus tamen servatis privilegiis a Sancta Sede antehac concessis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 24 Martii 1909.

4235. BUSCODUCEN.

Calendarista Dioecesis Buscoducensis in Hollandia, de consensu Rmi sui Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum :

I. In Instituto Surdomutorum loci *Gestel* S. Michaelis unicum tantum habetur Oratorium, in quo Missae celebrantur. Portam ad viam publicam non habet, et nonnisi occasione quarumdam solemnitatum. v. g. primae Communionis alumnorum, vel de speciali licentia superioris, extranei in illud admittuntur; quaeritur, utrum. attento S. R. C. Decreto n. 4192, Ordinis Fratrum Minorum provinciae Germaniae inferioris, 10 Novembris 1906, ad I, 1 et 2, post mortem alicuius alumni, in dicto Oratorio, singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus in citato Decreto enumeratis, pro illo Defuncto legi possint Missae de requie, quamdiu nempe corpus praesens est in domo: an vero semel tantum?

II. Et si semel tantum, utrum eiusmodi Missae tantum dici possint in die funeris, quasi concomitantes Missam solemnem exsequialem; an vero insuper in una ex diebus sepulturam cum Missa exsequiali praecedentibus?

III. Si solemnes exsequiae cum Missa exsequiali in dicto Oratorio, die sepulturae, pro illo Defuncto habentur; an insuper in eodem Oratorio Missam de requie pro eo liceat cantare prima die post eius obitum non liturgice impedita, ad normam Decreti n. **4096**, Labacen., 28 Aprilis 1902, ad V?

IV. In tota Dioecesi Buscoducensi, ex indulto Apostolico et de praescripto Ordinarii, iam ab anno 1853, Officia votiva SSmi Sacramenti pro Feria V. et Immaculatae Conceptionis B. M. V. pro Sabbato, non impeditis Festo novem Lectionum, extra tamen Adventum, Quadragesimam. Quatuor Tempora et Vigilias, ritu duplici recitantur; quaeritur, utrum supradictis diebus liceat Clero ad libitum dicere Missas de requie; an legere teneatur Missas conformes Officio votivo?

V. Sacerdos, die in qua, iuxta tit. V. n. 1 vel 2, Rubricarum Missalis, in Missa de Feria vel Simplici Commemoratio pro Defunctis est facienda, legit Missam privatam votivam S. Antonii; num etiam in eiusmodi Missa votiva Commemoratio pro Defunctis est facienda?

VI. Dioecesi Buscoducensi concessum est, pro die 28 Ianuarii, Officium proprium cum Missa propria S. Iuliani Episcopi et Confessoris, adprobatum et concessum Dioecesi Conchensi. Haec vero Missa non reperitur in novis editionibus Missalis Romani et Gradualis; quaeritur, an in posterum, pro gratia, dici possit Missa *Statuit*, approbata pro Dioecesibus, quibus non extenditur praedictum Officium proprium?

VII. Dominica Quinquagesimae et biduo sequenti, in pluribus locis Dioecesis Buscoducensis habetur exercitium Quadraginta Horarum, quin tamen forma Instructionis Clementinae stricte observetur, quum nocte SSmum Sacramentum in Tabernaculo recondatur; quaeritur: 1° num, durante pio hoc exercitio, cantica in lingua vernacula coram Sanctissimo in Ostensorio exposito canere liceat? 2° num, durante tali expositione in Altari maiori, in Altaribus lateralibus atque in Sacellis eiusdem Ecclesiae liceat celebrare Missas de requie, diebus quibus tales Missae per Rubricas permittuntur?

VIII. Utrum Preces et Hymni liturgici, v. g. Introitus, Communio, Hymnus *Lauda, Sion*, a choro musicorum in lingua vernacula cantari possint infra Missam privatam; an vero eiusmodi cantica tantum prohibita sint coram Sanctissimo exposito, ad normam Decreti S. R. C., n. **3537**, Leavenworthien., 27 Februarii 1882, ad III?

IX. In quibusdam locis Dioecesis, Festo S. Thomae a Villanova, proprio die impedito, ab Ordinario iuxta Rubricas assignanda est, tamquam fixa, dies 3 Octobris. Quum vero hodie festum Ss. Angelorum Custodum non amplius celebretur die 2 Octobris, sed prima Dominica mensis

Septembris, dies 2 Octobris iam nunc libera evasit pro assignatione alicuius Festi perpetuo impediti; quaeritur an nunc mutari debeat dies fixa S. Thomae, et ei assignanda sit, tamquam fixa, dies 2 Octobris?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, atque omnibus accurato examine perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I et II. Standum Decreto n. **4192**, Ordinis Fratrum Minorum, provinciae Germaniae inferioris, 10 Novembris 1906, ad I, quoad 1am et 2am quaestionem.

Ad III. Servetur Decretum n. **4096**, Labacen., 28 Aprilis 1902, ad V.

Ad IV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, in casu, iuxta Decreta, n. **1858**, Bergomen., 24 Novembris 1691, et n. **3792**, Strigonien., 30 Augusti 1892, ad VI.

Ad V. Affirmative, iuxta Rubricas et Decretum n. **2077**, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, 13 Augusti 1701; et quidem penultimo loco, iuxta Rubricas Generales Missalis Romani, tit. VII, n. 6.

Ad VI. Non expedire; et Missa retineatur, quae respondet Officio iam concesso.

Ad VII. Quoad primam quaestionem: Affirmative, nisi agatur de textibus proprie liturgicis et de functionibus insuper stricto sensu liturgicis. Quoad alteram quaestionem: Negative in omnibus.

Ad VIII. Negative ad primam partem, iuxta Decretum relatum, n. **3537**, Leavenworthien., 27 Februarii 1882, ad III; ad secundam iam provisum in prima.

Ad IX. Negative, sed posse, si dies 2 Octobris, iuxta Rubricas et Decreta, Festo reponendo S. Thomae, etiam in reformatione perpetui Calendarii dioecesani competeret; secus non posse, sed exspectandum esse tempus reformationis praefatae.

Atque ita rescripsit, die 31 Martii 1909.

4236.

PIAE SOCIETATIS MISSIONUM.

Pia Societas Missionum, ex benignitate Sedis Apostolicae, die 8 Martii 1904, obtinuit facultatem, qua omnes Sacerdotes, in quacumque regione degentes, divinum Officium recitare Sacrumque peragere valeant iuxta Calendarium pro Clero saeculari Romano, urbis Romae proprium. Quocirca, ad nonnulla dubia tollenda, Sacrorum Rituum Congregationi, ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, reverenter proposita sunt, nimirum:

I. Utrum, ex Decreto n. **3694**, Portus Principis seu Capiti Haitiani, 11 Augusti 1888, ad I, a Sodalibus praedictae Societatis in quacumque regione degentibus Festa Transfigurationis Domini et Dedicationis Archibasilicae SS. Salvatoris sint sub ritu duplici primae classis recolenda, atque Festum S. Catharinae Senensis ac S. Philippi Nerii sub ritu duplici secundae classis; item et Commemoratio Octavae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli quocumque occurrente Festo sit facienda?

II. Utrum, iuxta Decretum num. **1432**, Umbraticen., 12 Septembris 1671, Festum S. Bartholomaei Apostoli, etiam ab alumnis piae Societatis Missionum, qui utuntur Calendario Urbis, celebrari debeat die 24 vel 25 Augusti, prout in Dioecesi vel regione, ubi versantur, moris est?

III. Ubi Festa Assumptionis et Nativitatis B. M. V., quoties occurrunt infra hebdomadam, Dominica subsequenti cum integro Officio ac Missa tamquam in sede propria recoluntur (uti in Borussia, ex Decreto n. **4142**, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, 5 Augusti 1904, a Regularibus quoque fieri debet), ibi Festum S. Ioachim necnon Festa Purissimi Cordis ac SS. Nominis B. M. V. sedem, quam in Ecclesia universali obtinent, retinere nequeunt, nisi quando dies 15 Augusti, sicut dies 8 Septembris, sit Dominica. Ideo quaeritur: 1° utrum Festa S. Ioachim et Purissimi Cordis B. M. V. ibi celebrari debeant duobus diebus dominicis insequentibus, ita ut, si v. g. Assumptio B. M. V. celebretur die dominica 16 Augusti, Festum S. Ioachim recolatur die 23 Augusti, et Festum Purissimi Cordis Dominica subsequenti, die 30 Augusti; an utrumque fixe assignandum sit diebus proxime sequentibus liberis, in casu 22 Augusti et 8 Septembris, respective? 2° utrum Festum SS. Nominis B. M. V., ex Rubrica novissime reformata, fixe die 12 Septembris sit assignandum, translato Festo inferiore ibidem occurrente?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ex causa feriationis; quae, licet reducta, omnimodam uniformitatem ab universo eiusdem Dioecesis vel regionis Clero, etiam circa diem, in celebrando Festo requirit.

Ad III. Quoad priorem quaestionem: Festum S. Ioachim Confessoris fixe celebretur die 20 Martii, qua Festum annunciatur in Martyrologio Romano. Festum vero Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis, ex gratia, perpetuo celebretur Dominica III post Pentecosten, prouti iam recolitur in aliquibus locis. Quoad posteriorem quaestionem: Festum SS. Nominis Beatae Mariae Virginis die 12 Septembris, tamquam in sede propria, fixe reponatur.

Atque ita rescripsit, declaravit atque indulsit, die 23 Aprilis 1909.

4237. DECRETUM.

Sanctissimus Dominus noster Pius Pp. X, per Decretum Generale S. R. C., n. 4140, diei 13 Iulii anni 1904, de dispensatione a Choro, qua fruuntur sive operam navantes conficiendis processibus sive testes in Causis Beatificationis et Canonizationis, statuit atque indulsit, ut Chorales omnes et singuli in casu habeantur tamquam praesentes in Choro, mutato officio; et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia. Hinc a Sacra Rituum Congregatione expostulatum est: an inter emolumenta percipienda comprehendantur quoque ea quae vulgo *falle* vocantur, non obstante quacumque antiqua atque etiam immemoriali consuetudine contraria?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re accurato examine perpensa, rescribendum censuit: Affirmative, sunt enim praesentes.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 25 Maii 1909.

4238. ATREBATEN.

Ordinator Calendarii dioecesani, et Magister Caeremoniarum Ecclesiae cathedralis Atrebatensis, a Sacra Rituum Congregatione, de licentia sui Episcopi, insequentium dubiorum elucidationem humillime postulavit, nimirum:

I. Sacerdos, qui, voto fidelium aut propriae devotioni satisfacturus, celebrat Missam in honorem B. M. V. Immaculatae de *Lourdes*, potestne, diebus non impeditis, secluso Indulto Apostolico, dicere more votivo Missam propriam Apparitionis (11 Februarii)? Et quatenus negative debetne sumere Missam Festi Conceptionis Immaculatae (8 Decembris)?

II. Quando, propter translationem, concurrunt in Vesperis duo Festa Doctorum Ecclesiae, quorum eadem est Oratio *Deus, qui populo tuo*, numquid, si fiat Commemoratio Sancti Doctoris Episcopi, potius eligenda est Oratio *Exaudi*, de Communi Confessorum Pontificum, quae recitatur in Festis SS. Leonis, Athanasii ac Basilii magni?

III. Iuxta Rubricas Generales Breviarii, tit. XXVII, n. 7, Responsoria primi Nocturni Dominicae, in qua primo ponuntur, si in Dominica propter Festum impediantur, alia die, in Officio feriali, ante alia Responsoria recitanda sunt. Cum autem nonnulla Initia habeant eadem Responsoria, quod evenit exempli gratia pro quatuor libris Regum et duobus Machabaeorum, debetne Rubrica sic intelligi, ut quoties reponitur Initium uniuscuiusque libri, toties etiam iteranda sint Responsoria primi Nocturni, non obstante in casu verborum uniformitate?

IV. Protonotarius Apostolicus *ad instar*, celebrans in Pontificalibus, et Caeremonialis Episcoporum praescriptionibus inhaerere cupiens, 1° debetne in Vesperis albam induere, more Episcoporum, quamvis associatus a Presbyteris, non dalmaticas, sed pluvialia gerentibus? 2° Debetne post Psalmos eiusdem Officii Capitulum ipse cantare? 3° Similiter in Vesperis, post thurificationem Altaris, debetne in cornu Epistolae, mitram assumens, *per breviorem* ad sedem accedere; vel, nudo capite, in medium Altaris reversus, descendere, et post reverentiam in plano, mitram accipiens, repetere viam per quam eo venerat?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem, affirmative; et quoad secundam, provisum in prima.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative, et sufficit, ut impedita semel reponantur infra eam hebdomadam, in qua primum de Feria fieri contigerit, iuxta Rubricas Breviarii, tit. XXVII, n. 7.

Ad IV. Quoad primum: Induat rochetum, amictum, Crucem pectoralem et pluviale. Quoad secundum: Affirmative. Quoad tertium, ad primam partem: Negative, et ad secundam, affirmative, iuxta Motu-proprio SSmi Dñi nostri Pii Papae X, *Inter multiplices,* n. 4154, 21 Februarii 1905, III, 48.

Atque ita rescripsit, die 25 Iunii 1909.

4239. MECHLINIEN.

Hodiernus Praeses Commissionis de Musica Sacra, ab Emo et Rmo Dño Card. Archiepiscopo in Dioecesi Mechliniensi constitutae, Sacrorum Rituum Congregationi, de consensu ipsius Emi Archiepiscopi, reverenter exposuit, vigere in Dioecesi consuetudinem canendi in Missa solemni exsequiarum, post Elevationem et *Benedictus,* mottetum: *Pie Iesu, Domine, dona eis requiem sempiternam,* vel: *Iesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum. - Miseremini mei,* etc., ex libro Iob. Hinc idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione humiliter expostulavit, an eiusmodi consuetudo, quae pietati fidelium congruere videtur, possit continuari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni ita respondendum censuit: Servetur Decretum Generale n. 3827, diei 22 Maii 1894, ad III; nempe: si post Elevationem et *Benedictus,* usque ad orationem Dominicam, aliquid modulari libeat, quod concinitur, ad Sacramentum pertineat, et ad mentem. - Mens est, continuari posse cantum primi motteti *Pie Iesu, Domine, dona eis requiem sempiternam,* et etiam alterius *Iesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum,* absque tamen sequentibus versiculis. Quam resolutionem et mentem Sacrae Rituum Congregationis, Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X, per Cardinalem eidem Sacrae Congregationi Praefectum relatas, Sanctitas Sua ratas habuit et probavit. Die 11 Augusti 1909.

4240. PORTUS PRINCIPIS.

A Rmo Dño Iuliano Conan, Archiepiscopo Portus Principis, Sacrorum Rituum Congregationi nuper propositum fuit, pro opportuna solutione, sequens dubium: An Ecclesia, constructa vel construenda ex materia quae *caementum armatum* nuncupatur, consecrari valeat, adhibita forma ac ritu Pontificalis Romani?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, ita respondendum censuit: Affirmative, dummodo duodecim Crucium loca, et postes ianuae principalis, sint ex lapide.

Atque ita rescripsit, die 12 Novembris 1909.

4241. RATISBONEN.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter proposita sunt, nimirum:

I. Decreto diei 25 Augusti 1909, Festum Ss. Perpetuae et Felicitatis Martyrum e simplici ritu ad duplicem minorem evectum, diei 6 Martii assignatum, cum Officio et Missa propriis, atque ad universam Ecclesiam extensum est. Iamvero, inter Postcommunionem, prouti hucusque multa iam per saecula commemorari solebat in Festo S. Thomae Aquinatis, die 7 Martii, et inter Postcommunionem, prouti posita est in Missa *Me expectaverunt* de Communi Martyrum non Virginum, illud interest discrimen, quamvis valde exiguum, quod in Postcommunione hucusque commemorari solita nomen SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis expresse recitetur, in illa vero de Communi non, cum desit littera *N.* Quaeritur, quis sit eligendum?

II. In Communione Festi S. Agnetis secundo, die 28 Ianuarii, inter diversas Missalis Romani editiones antiquiores, recentiores et recentissimas, aliud parvum exstat discrimen. Nempe, post illa verba: *quaerenti bonas margaritas, inventa,* in quibusdam editionibus additum est verbum *autem,* in quibusdam deest. Quaeritur, utrum in futuris editionibus Missalis Romani addendum sit verbum *autem,* vel non?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurate perpensa, ita rescribere rata est:

Ad I. In Missa *Me exspectaverunt,* si fuerint plures Martyres, sive Virgines sive non Virgines, ad Postcommunionem, post verba *Martyribus tuis,* addatur *N. et N.,* uti in Orationibus praecedentibus.

Ad II. Stetur editioni Gradualis Romani nuperrime approbatae, typisque Vaticanis

evulgatae, in qua verbum *autem* non habetur.

Atque ita rescripsit, die 3 Decembris 1909.

4242. CURIEN.

Ab hodierno Rño Dño Episcopo Curiensis Dioecesis proposito dubio: An sustineri possit consuetudo, quae in multis Ecclesiis minoribus Curiensis Dioecesis ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam solemnioribus, Celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad Offertorium illudque conficiat, dum a Cantoribus Symbolum decantatur? Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit: Negative, et serventur Rubricae et Decreta.

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1909.

4243. CEPHALUDEN.

Hodiernus Rñus Episcopus Dioecesis Cephaludensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum:

I. Utrum tolerari possit longaeva consuetudo, adhibendi in expositione insignis Reliquiae S. Crucis D. N. I. C. nonnullos ritus, qui servari debent coram SSño Sacramento solemniter exposito, scilicet, genuflectendi utroque genu ante eam transeundo, illam incensandi a Celebrante genuflexo, et illam obtegendi velo violaceo si concio habeatur: vel potius standum sit Decretis iam latis, n. 2324, Brixien., 15 Septembris 1736, et n. 2722, Lucionen., 23 Maii 1835? Et quatenus negative ad primam partem:

II. An consuetudo illa servari possit, saltem in Feria VI Parasceve, non obstante Decreto n. 3201, Montis Regalis, 20 Martii 1869, ad VII?

III. In Choro adest consuetudo recitandi flexis genibus, quocumque anni tempore, Antiphonam *Salve, Regina,* cum versiculis et Oratione *Omnipotens, sempiterne Deus,* post Antiphonam finalem de tempore, expleta Hora prima, vel, si Chorus non interrumpitur, expleta Hora tertia ante Missam conventualem. Petitur, utrum servari possit ista consuetudo, etiam quando Antiphona finalis de tempore est *Salve, Regina,* ita ut bis repetatur; et quatenus affirmative, an semper dicenda flexis genibus, etiam diebus Dominicis et tempore paschali?

IV. Utrum Chorus genuflectere debeat, quando Celebrans in Missa solemni vel in Vesperis incensat SSñum Sacramentum solemniter expositum?

V. An pulsari possint organa cum cantuntur Lectiones Matutini in Officio Defunctorum, et in Missa pro Defunctis, quando Chorus silet?

VI. Utrum in Missa solemni *Benedictus* cani possit ante elevationem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episcoporum, lib. II, cap. VIII, nn. 70, 71?

VII. Utrum in Benedictione, quae datur cum Reliquiis Sanctorum, genuflectendum sit in Choro, vel standum? Et quatenus affirmative ad primam partem, utrum etiam a Canonicis?

VIII. Missam solemnem in Cathedrali Celebrans, quando est Canonicus, induit paramenta in aula capitulari et Ministri sumunt vestimenta in sacristia. Quid de hoc? Standumne consuetudini, an Decretis, n. **2703**, Recineten., 16 Martii 1833, et n. **3937**, Urgellen., 11 Decembris 1896?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I et II. Standum Decretis.

Ad III. Negative ad primam partem, quocumque tempore: ad secundam partem, provisum in prima.

Ad IV. Negative, seu non teneri.

Ad V. Negative ad primam partem; et negative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XXVIII, n. 13.

Ad VI. Standum Caeremoniali Episcoporum et Decretis.

Ad VII. Genuflectendum est ab omnibus.

Ad VIII. Standum Decretis.

Atque ita rescripsit, die 16 Decembris 1909.

4244. BRUNEN.

Rñus Dñus Paulus Huyn, Episcopus Brunensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit:

I. In consecratione Ecclesiae, consecratum fuit Altare, cuius mensa habebat sex Cruces, nempe quatuor in angulis, quintam in medio, et sextam supra lapidem quo

clauditur sepulcrum Reliquiarum. Signatae sunt porro cum aqua primae quinque Cruces, at cum sacris oleis tantum primae quatuor et sexta, omissa quinta. Quid in casu faciendum?

II. An signandae et ungendae erant primae quinque Cruces, an primae quatuor et sexta?

III. An responsum huic quaestioni valeat etiam pro Altaribus portatilibus?

IV. An in consecratione Altarium portatilium Episcopus consecrans debeat ipse omnes Cruces propria manu ex incenso formare et candelas imponere; an his in actionibus a Sacerdotibus adiuvari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Orator seu Consecrans in casu acquiescat.

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Episcopum consecrantem in praedictis actionibus posse adiuvari a Sacerdotibus.

Atque ita rescripsit, die 14 Ianuarii 1910.

4245. MANTUANA.

Postulato Rmae Curiae Episcopalis Mantuanae, ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmisso, circa consuetudinem antiquam, etiam immemorialem, benedicendi Feria V in Coena Domini tantum partem sacrorum oleorum, eamque immediate miscendi cum oleis non benedictis, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: Servetur Decretum n. 2883, Patavina, 7 Decembris 1844, ad III, non obstante enunciata consuetudine.

Atque ita rescripsit, die 28 Ianuarii 1910.

4246. METEN.

Rmus Dnus Villibrordus Benzler, Episcopus Metensis, exposuit quae sequuntur:

Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, diei 25 Augusti 1909, Festum Sanctarum Martyrum Perpetuae et Felicitatis, ad ritum duplicem minorem evectum est pro tota Ecclesia, ipsique adsignata est, ut dies quasi natalitia, 6 Martii. Quaeritur: Utrum in Ecclesia propria Festum harum Ss. Martyrum Titulare, quod hucusque celebrabatur die 7 Martii, translato Festo S. Thomae Aquinatis, amodo recoli debeat die 6 Martii, an potius relinquendum sit in die natalitio?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum n. 3876, Quebecen., 13 Decembris 1895, ad III.

Atque ita rescripsit, die 28 Ianuarii 1910.

4247. SQUILLACEN.

Rmus Archipresbyter Curatus Vallisfloritae, Squillacensis Dioeceseos, de consensu sui Rmi Episcopi Administratoris Apostolici, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expostulavit; nimirum:

An in Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia magistri organi vel cantorum, etiam laicorum, liceat uti machina vulgo dicta *Grammofono*, pro cantu stricte liturgico gregoriano, partium variabilium aut invariabilium Missae solemnis, Hymnorum et aliorum Canticorum?

Et sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, proposito dubio respondendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit, die 11 Februarii 1910.

4248.

CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIUM CONGREGATIONIS AUSTRIACAE.

Rmus Moderator Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, Congregationis Austriacae, Praepositus et Abbas S. Floriani, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione humillime exposuit; nimirum:

I. Ab ultimo ante tres annos defuncto Parocho perinsignis Ecclesiae Abbatialis S. Floriani, praedictae Congregationis, exstructum fuit in ipso oppido S. Floriani Nosocomium, cuius administratio, iuxta statuta suae fundationis, penes Parochum pro tempore supradictae Ecclesiae residere debet. Iamvero in Capella seu Sacello dicti Nosocomii, in quo quotidie Missa celebretur ab uno ex Canonicis suprame-

moratae Abbatiae, usu venit ad Divina peragenda Directorium seu Calendarium Canonicorum Regularium.

II. Iisdem Canonicis Regg. S. Floriani, in parva Civitate *Wochlabruch*, est Ecclesia Parochialis, cui iam tempore Imperatoris Iosephi II adnexa fuit municipalis Ecclesia, in qua pariter usu venit Calendarium Canonicorum Regularium.

III. In eadem Civitate *Wochlabruch* est domus Sororum scholis addictarum (*Schulschwestern*), apud quas multae puellae bonis litteris instituendae degunt. In domo hac duo habentur Sacella, in quibus Sacrum peragitur, et quae a duobus Canonicis Regularibus supradictae Abbatiae S. Floriani inserviuntur, cum ipsis demandata fuerit ab Episcopo Linciensi cura spiritualis tam Sororum quam puellarum.

Hisce expositis, quaeritur: An in primo, secundo et tertio casu adhiberi valeat Directorium seu Calendarium proprium Canonicorum Regularium Lateranensium praefatae Congregationis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita rescribere rata est:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, dummodo Ecclesia sit filialis Ecclesiae Parochialis, vel praefatae Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium concredita.

Ad III. In Sacello principali publico vel semipublico, negative; in altero Sacello, utpote privato, affirmative; iuxta Decreta, n. **3862**, Urbis et Orbis, 9 Decembris 1895, et n. **3910**, Rutheneu., 22 Maii 1896.

Atque ita rescripsit, die 11 Februarii 1910.

4249. ROMANA.

Sacrorum Rituum Congregationi proposita sunt, pro opportuna solutione, sequentia dubia; videlicet:

I. Utrum ad Missam votivam Officio votivo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli respondentem, in Vigilia Omnium Sanctorum, sub die 30 vel 31 Octobris, tertia Oratio debeat esse *Concede nos, famulos tuos*, de Beata Maria Virgine; an potius *Deus, qui corda fidelium* de Spiritu Sancto, quae ad Missam ipsius Vigiliae uti secunda praescribitur?

II. Utrum Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedralem, habendum sit tamquam Festum primarium, vel secundarium?

III. Utrum Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedralem, sit aestimandum tamquam Festum primarium, an vero ceu Festum secundarium?

IV. Utrum in Festis Sanctorum Francisci Xaverii, Antonii Patavini et Aloisii Gonzagae, si pro Lectionibus I Nocturni recurrendum sit ad Commune Confessorum, Lectiones sint sumendae e primo, an potius e secundo loco?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, in casu proposito.

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum Generale n. **3810**, diei 27 Augusti 1893, ad I.

Ad III. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum Generale n. **3863**, Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae, die 9 Iulii 1895, ad II et III, ubi Ecclesia Cathedralis dicitur omnibus e Clero propria aut ratione Beneficii, aut ratione subiectionis, etiam pro Regularibus.

Ad IV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 16 Februarii 1910.

4250. ASTURICEN.

Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Asturicensis, de sui Rmi Dñi Episcopi mandato, Sacrae Rituum Congregationi humillime quae sequuntur proposuit dubia; nimirum:

I. A priscis iam inde temporibus viget in Ecclesia Cathedrali Asturicensi consuetudo solemniter benedicendi Fontem Baptismalem in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes; sed cum nulla sit in ea Parochia, nec Parochus proprium habens territorium, absoluta Fontis Benedictione, effunditur aqua in piscinam.

II. In Dominicis aliisque Festis solemnioribus Ceroferarii, dum canitur Evangelium a Diacono, non se sistunt a lateribus Subdiaconi, sed a lateribus Clerici, qui in cornu Epistolae et versus ipsum Subdiaconum sustinet Crucem processionalem.

III. Ex immemorabili consuetudine, Canonicus hebdomadarius manet omnibus diebus ad Vesperas, Festis solemnioribus exceptis, in habitu chorali usque ad cantum *Magnificat*, quo inchoato, medius inter duos Beneficiatos discedit in sacrarium, et assumpto ibi Pluviali, revertitur in Chorum, cantat Orationem vel Orationes Officii, et quin dimittat Pluviale, facit Officium ad Completorium usque ad primum versum primi Psalmi, quo incoepto, iterum discedit in sacrarium, et deposito pluviali, revertitur in Chorum, ut absolvat Completorium.

Quaeritur: An praedictae consuetudines sint continuandae, vel saltem tolerandae?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I, II et III. Prouti exponitur, negative.

Atque ita rescripsit, die 16 Martii 1910.

4251. MELITEN.

Magister Caeremoniarum Dioeceseos Melitensis, de consensu R̃mi sui Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur dubia exposuit; scilicet:

I. An Fratres Ordinis Praedicatorum teneantur genuflectere coram Episcopo dioecesano, dum in eorum Ecclesiis assistit ad sacras functiones?

II. An Decretum S. R. C. n. 3874, Meliten., 30 Novembris 1895, vi cuius iidem Fratres Ordinis Praedicatorum possunt in Processionibus Crucifixi imaginem ad se conversam tenere, habeat locum etiam in Processionibus in quibus intervenit Episcopus dioecesanus?

III. An liceat Praelatis Regularibus, privilegium habentibus, uti palmatoria, quando celebrant coram Episcopo dioecesano?

IV. An qui tenentur ad Processiones Litaniarum, S. Marci videlicet et Rogationum, possint, Processione peracta relinquere Ecclesiam; vel debeant expectare donec Celebrans Preces post Litanias dicendas concludat?

Et Sacra eadem Congregatio, audita informatione R̃mi P. Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum, et exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurato examine perpensis, quaestionibus propositis ita respondendum censuit:

Ad I. Quum in ritu Ordinis Praedicatorum Ministri et Clerus inferior non genuflectant ad Crucem, sed caput profunde inclinent, neque ad Episcopum dioecesanum in casu genuflectere debent.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, dummodo tamen Episcopus non assistat throno.

Ad IV. Negative ad primam partem affirmative ad secundam, et consuetudinem contrariam esse eliminandam.

Atque ita rescripsit, die 9 Aprilis 1910.

4252. SECOVIEN.

Hodiernus R̃mus D̃nus Episcopus Secoviensis, a Sacra Rituum Congregatione reverenter petiit solutionem sequentis dubii:

An Regulares, qui Paroeciam in Dioecesi administrant, sive Ecclesia Parochialis sit Monasterio incorporata sive non, teneantur in Missis servare Calendarium Ordinis, an Calendarium Dioecesanum?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio ita respondendum censuit: Si Paroecia sit Monasterio vel Domui Religiosae incorporata, aut eiusdem Monasterii seu Domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, vel Communitas apud ipsam Parochialem Ecclesiam divina peragat Officia, in Missis Calendarium Religiosum semper adhibeatur; secus item in Missis Calendarium dioecesanum semper servetur; iuxta Decreta, n. 4051, Urbis, 15 Decembris 1899, et n. 4248, Canonicorum Regularium Lateranensium Congregationis Austriacae, 11 Februarii 1910.

Atque ita rescripsit, die 22 Aprilis 1910.

4253.
ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Hodiernus S. Montis Alverniae Superior cum suo Directorio, de consensu R̃mi Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit; nimirum:

Multis in Ecclesiis, ad maiorem Altarium munditiem, et ne rugosae, sed magis extensae eorundem mappae servarentur, usus invaluit, innumeris abhinc annis, coronidum, variis materiis confectarum, lignea non exclusa. Hae coronides ligneae ab Altaribus removebantur, iuxta Episcoporum Caeremoniale (lib. 1, cap. XII,

nn. 11 et 16), dum festivis diebus Sacra Solemnia sive Missae sive Vesperae celebrabantur. Talem agendi rationem esse consonam supradicti Caeremonialis praescriptionibus, eruitur etiam ex novissimo Ordinis Minorum Caeremoniali, die 4 Octobris 1908 edito, et rite a Sancta Sede approbato (lib. I, part. 2, cap. et art. I), in quo agitur de non apponendis Altaribus ligneis coronidibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum supradictum, cum de ornatu Altarium in Vesperis et Missis solemnibus sermo est. Quum autem Sacra Rituum Congregatio, ad dubium super liceitate talium corollarium, n. **4213**, die 24 Ianuarii 1908, ad I, respondisset his generalibus verbis: « Negative, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 11 »; atque haec responsio aliquam attulerit dubietatem; idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter postulavit:

I. Utrum, remotis ab Altaribus coronidibus ligneis, dum Sacra Solemnia, ut supra, peraguntur, tolerari et permitti possint aliis temporibus, attenta praesertim antiquissima consuetudine?

II. Quatenus negative, utrum adhiberi possint ex metallo decenti coopertae, vel saltem de metallo totaliter confectae?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I et II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 13 Maii 1910.

4254. URBIS ET ORBIS.

Ex Decretis S. R. C. n. **3661**, Halifaxien., 16 Aprilis 1886, ad III, et n. **3876**, Quebecen., 13 Decembris 1895, ad VIII, dies electionis seu translationis Episcopi est ille, in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio, sive ipsa electio seu translatio fiat in Consistorio, sive in eo tantum enuncietur electio seu translatio antea facta; atque ab eiusmodi publicatione Consistoriali hucusque communiter computatum est Anniversarium electionis seu translationis Episcopi, ad effectum Missae seu Collectae respondentis, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXXV). Nunc vero, de mandato SSm̃i Domini nostri Pii Papae X, ex Audientia diei 20 nuper elapsi mensis Maii per Sacram Congregationem Consistorialem patefacto, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declarat, diem anniversarium electionis seu translationis, in casu et ad effectum de quo agitur in citato libro et capite Caeremonialis Episcoporum, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis Consistorialis, quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enunciationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium; non obstantibus resolutionibus in contrarium hucusque editis. Denique Sacra eadem Congregatio iterum atque opportune declarat, diem anniversarium electionis seu translationis Episcopi Coadiutoris cum futura successione, relate ad Missam ipsam seu Collectam, cessante Coadiuti munere, et adveniente Coadiutoris successione, item a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum pro Coadiutoria supradicta esse computandum; prouti alias resolutum fuit, praesertim in una Marianopolitana, n. **3440**, diei 30 Ianuarii 1878.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, ab hac die 8 Iunii 1910.

4255. URBIS ET ORBIS.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, n. **4254**, diei 8 Iunii nuper elapsi, dies electionis seu translationis Episcopi in Consistorio electi seu translati adhuc computanda est a die nominationis consistorialis, quoad Episcopos autem ante Consistorium electos seu translatos eiusmodi dies computanda est, non a die publicationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium. Quapropter etiam Collecta pro eligendo novo Episcopo, tempore Ecclesiae vacationis, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum, lib. II, cap. XXXVIII, n. 27, quae ex Decreto n. **2672**, Florentina, diei 19 Decembris 1829, ad III, continuari debuerat usque ad diem electionis seu Consistorii secreti, deinceps continuabitur usque ad diem, qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per Lit-

terarum Apostolicarum expeditionem, a Curia dioecesana rite evulgata fuerit.

Atque ita haec Sacra Rituum Congregatio declaravit et in posterum servari mandavit, die 8 Iulii 1910.

4256. DUBIUM.

Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequens dubium propositum fuit, nimirum:

In quibusdam Dioecesibus, Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulto Apostolicae Sedis, pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendium ad commune aerarium dioecesanum deferatur. Quaeritur: Utrum in Ecclesiis parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo discussa et perpensa, propositae quaestioni ita respondendum esse censuit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 8 Iulii 1910.

4257. TUNQUEN.

Hodiernus Sacrae Liturgiae Professor in Seminario Tunquensis Dioeceseos, in Columbia, annuente suo R̃mo Episcopo Ordinario, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit, nimirum:

I. In prima Missa cantata a Neo-Sacerdote, praeter Ministros in Missa solemni adhiberi consuetos, duo inserviunt laici, quos Patrinos vocant, qui in parte et a latere Presbyterii stant, et quorum officium praecipue est, aquam odoriferam ad manuum lotionem ter Neo-Sacerdoti effundere, videlicet, ante Missam, ad *Lavabo* et post sumptionem Calicis. Quaeritur: An continuari possit hic usus Patrinorum?

II. Absoluta sua prima Missa, Neo-Sacerdos, retenta vel interdum deposita casula et sumpto pluviali, a matre sua in Presbyterium ingressa et stante, genuflexus benedictionem sic paratus recepit; mox surgens, matri genuflexae et ipse benedicit. Eodem modo fit quoad patrem Neo-Sacerdotis. Quaeritur: An haec consuetudo, quae vetustissima videtur, retineri queat?

III. Ex Decreto n. 4077, Colimen., 12 Iulii 1901, ad I, expositio ac repositio SS̃mi Sacramenti fieri nequit eo modo quo velum extensum in Tabernaculo expositionis plicatur, et ipsum in depositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in repositione, aut relaxatione in expositione, quae omnia a Sacristia vel Acolytho peraguntur. Hic vero modus expositionis et repositionis usurpatur fere in omnibus Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive semi-publicis, nec non et in Ecclesiis Regularium, ac difficile foret hanc generalem et vetustam consuetudinem tollere, quia thronus expositionis sic in Altari est constructus, ut ad eum non facilis pateat accessus. Aliunde Benedictio cum SS̃mo Sacramento in fine expositionis non datur, ut patet, quum ex S. R. C. Decretis dari debeat, nisi in aliquibus tantum Ecclesiis ditioribus, ubi aliud praesto est Ostensorium, in quo celeriter exponitur alia Hostia super Altare, et tunc datur Benedictio. Quaeritur: An, attentis peculiaribus circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit.

IV. Aliqui doctores liturgici affirmant, posse in solemni expositione SS̃mi Sacramenti adhiberi tantum sex cereos. Quaeritur: An haec opinio ad praxim deduci liceat, praesertim in pauperibus Ecclesiis?

V. Ex variis Sacrae Rituum Congregationis Decretis, v. g. n. 2865, Massilien., 16 Septembris 1843, n. 3376, Policastren., 4 Septembris 1875 ad III, candelae ex stearina pro usu sacro prohibentur. In expositione tamen solemni SS̃mi Sacramenti, nec non et in Missis solemnioribus, praeter numerum praescriptum cereorum, aliae permultae frequenter adhibentur candelae ex stearina, quae quidem collocantur hinc et hinc a latere Tabernaculi et Crucis, extra tamen ambitum Altaris. Quum autem aliquibus in locis Altarium structura, saepe saepius perantiqua, non sinat candelas collocari nisi intra ambitum ipsius Altaris, et ex altera parte propter cerae penuriam sumptus faciendi nimii esse deberent. Quaeritur: An praeter cereos praescriptos, sive in Missa, sive in Benedictionibus cum SS̃mo Sacramento, aliae candelae ex stearina intra ambitum Altaris adhiberi possint? Et quatenus negative,

an, attentis circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit?

VI. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXV, n. 13, *Episcopus*, Feria VI in Parasceve, *legit ex libro Prophetiam sine candela accensa,* qui modus loquendi significare videtur, candelam in hoc officio non esse adhibendam. Quaeritur: Utrum in casu nullo modo adhibenda sit candela, an adhiberi debeat candela extincta?

VII. Ex S. R. C. Decreto n. **3792**, Strigonien., 30 Augusti 1892, ad X, post distributionem Communionis extra Missam, Benedictio, sub formula *Benedictio Dei,* semper danda est (uno excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam Defunctorum). In Rituali autem Romano, tit. IV, cap. II, n. 11, dicitur, quod Sacerdos, sumpto Sanctissimo Sanguine, porrigit communicandis Eucharistiam, et finita Communione, non dat eis Benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Quaeritur: Si certo constaret, communicantes ante Missam usque ad eiusdem finem mansuros: an illa Benedictio omitti possit vel debeat?

VIII. Ex Decreto S. R. C. n. **1784**, Fanen., 19 Iulii 1687, Benedictio cum SSm̃o Sacramento impertiri debet super Altare in Ecclesia, et non in ianua post Processionem. Attamen, Decreto n. **3225**, Utinen., 20 Augusti 1878, Sacra Rituum Congregatio rescripsit, praefatam cosuetudinem (impertiendi Benedictionem in ianua) esse tolerandam. Porro quamvis temporum et locorum circumstantiae de quibus in Decreto n. **3225**, adamussim non verificentur, tamen eadem consuetudo pluribus in locis et Parochiis viget, ea praesertim de causa, qua permulti christifideles, etiam milites, SSm̃um Eucharistiae Sacramentum comitantes, Ecclesiam, peracta Processione, ingredi nequeunt propter angustiam ipsius Ecclesiae, et sic discedunt, et Benedictionem, nisi in ianua ipsis impertiatur, non reciperent. Quaeritur: An in casu consuetudo retineri possit?

Et Sacra eadem Congregatio, requisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate discussis et perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Tolerari posse; sed, quoad manuum lotionem, tantum ad *Lavabo*.

Ad II. Prouti exponitur, negative, et ad mentem. Mens est: consuetudinem de qua in casu continuari posse, non tamen in Presbyterio et in Ecclesia, sed in sacristia vel alibi; et postquam Neo-Sacerdos deposuerit sacra paramenta.

Ad III. Standum Rubricis, Decretis et praxi universali.

Ad IV. Ad Ordinarium, servatis Decretis.

Ad V. Negative ad utrumque, et standum Decretis, praesertim recentioribus, ad rem datis, n. **4097**, Natcheten., 16 Maii 1882, et n. **4147**, Plurium Dioecesium, 14 Decembris 1904.

Ad VI. Candelam seu Palmatoriam nullo modo esse adhibendam.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Attentis expositis, consuetudinem servari posse.

Atque ita rescripsit, die 30 Iulii 1910.

4258. NOVAE CARTHAGINIS.

Rm̃us Dñus Adamus Brioschi, hodiernus Archiepiscopus Novae Carthaginis in America Meridionali, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Sacra Rituum Congregatio, per Decretum n. **4254**, Urbis et Orbis, diei 8 Iunii huius anni 1910, statuit et declaravit, diem Anniversarium electionis seu translationis, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis Consistorialis, quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum, non a die enuntiationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium.

Orator autem, electus Episcopus Novae Carthaginis, per Breve diei 15 Februarii anni 1898, et publicatus in Consistorio die 24 Martii eiusdem anni, postea, Dioecesi Carthaginensi ad dignitatem Archiepiscopalem evecta, primus illius Archiepiscopus, per Breve diei 17 Iulii 1901, renuntiatus est, nulla posteriori publicatione in Consistorio facta.

Ob auctam Dioecesis atque Oratoris dignitatem, quum nulla translatio proprie dicta facta fuerit, sed tantum promotio, Missa electionis hucusque in Dioecesi die 24 Martii celebrata fuit, scilicet, die anniversaria, qua in Consistorio idem Orator tamquam Episcopus publicatus est.

Nunc quaeritur: Continuarine debet celebratio Anniversarii electionis, die 24 Martii, qua Orator publicatus fuit Episcopus in Consistorio, vel potius facienda die 17 Iulii, qua per Breve Archiepiscopus renuntiatus est?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, atque audita etiam Sacrae Congregationis Consistorialis sententia, ita proposito dubio respondendum censuit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam: nempe celebrandum esse Anniversarium evectionis ad Archiepiscopatum.

Atque ita rescripsit, die 2 Decembris 1910.

4259.

DECRETUM SEU DECLARATIO

SUPER EDITIONE VATICANA EIUSQUE REPRODUCTIONE QUOAD LIBROS LITURGICOS GREGORIANOS.

Per Decretum n. **4166**, diei 11 Augusti 1905, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declaravit, editionis Vaticanae, libros liturgicos gregorianos respicientis, reproductiones adamussim esse conformandas eidem typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato. Quod si ex quadam S. Sedis tolerantia, et permittente Ordinario, aliquoties praefatis reproductionibus addita fuere quaedam signa, rythmica nuncupata, atque ita ipsae reproductiones in vulgus editae ac venditae, tamen in seligendis atque adhibendis eiusmodi signis pluries conquestum est, per ea aliquantum variari ac immutari notulas traditionales Vaticanas: et ad hos abusus removendos idem Sacrum Consilium evulgandum censuit alterum Decretum, n. **4178**, sub die 14 Februarii 1906. Quum tamen non omnes abusus cessaverint, et alii recentiores adiecti sint, sive ob titulum adhibitum *Editionis rythmicae*, sive ob interpretationem haud rectam Decretorum, necessaria fuit nova declaratio authentica, expressa per Epistolam Secretarii S. R. C., datam die 2 Maii 1906. Quae Epistola typographis facultatem et licentiam rite habentibus reproducendi editionem typicam Vaticanam clare significabat, hanc solam editionem ab Apostolica Sede esse approbatam atque praescriptam pro usu cantus gregoriani, una cum subsequentibus editionibus eidem plane conformibus; ceterasque editiones rythmicas nuncupatas, ob signa adiuncta, habendas tantum toleratas; atque hoc sensu esse intelligendum Decretum latum die 14 Februarii 1906.

Quae quum ita sint, ut removeantur abusus exsistentes, et praecludatur via tum enunciatis tum aliis quae facile irrepere possent, Sacra eadem Congregatio sequentia decernere atque enucleatius declarare voluit:

I. Editionem Vaticanam de libris liturgicis gregorianis, prouti evulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus, et cum regulis Graduali Romano praefixis, satis superque continere quae ad rectam cantus liturgici executionem conferunt.

II. Reproductiones eiusdem editionis typicae, quae praeseferunt signa superinducta, rythmica dicta, per abusum vocari editiones rythmicas, atque uti tales haud fuisse approbatas, sed tantum precario toleratas: hanc vero tolerantiam, attentis rerum adiunctis, amplius non admitti, nisi pro solis editionibus iam factis, Gradualis et Officii Defunctorum, ideoque nullatenus extendi sive ad editiones cum notulis gregorianis sive ad transumpta cum eisdem notulis Antiphonarii et aliorum quorumcumque librorum, cantum liturgicum continentium, quae ad normam Motus proprii n. **4134**, diei 25 Aprilis 1904, et Decretorum huius S. R. C., tum pro universali Ecclesia, tum pro singulis Dioecesibus vel Congregationibus, adhuc instauranda sunt et evulganda.

III. R̃mis Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum seu Congregationum interim licere, editiones precario a S. Sede toleratas permittere intra limites propriae iurisdictionis, quin tamen ipsi eas in locis sibi subiectis praecipere, atque usum editionis adprobatae inhibere valeant.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25 Ianuarii 1911.

4260. RATISBONEN.

Fridericus Pustet, Sanctae Sedis Apostolicae et S. Rituum Congregationis typographus, de consensu R̃mi sui Ordinarii Ratisbonensis, humiliter expetivit a Sacra Rituum Congregatione, ut ipsa declarare

dignaretur, quis modus servandus sit de expetenda approbatione Propriorum alicuius Dioecesis vel Ordinis ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, et praesertim:

I. Utrum Propria, quae exhibent cantum gregorianum, indigeant approbatione Sacrae Rituum Congregationis pro prima editione? Et quatenus affirmative ad I:

II. Utrum etiam pro sequentibus editionibus? Et quatenus negative ad II:

III. Utrum praeter licentiam Ordinarii loci, in quo praedicta Propria evulgantur, requiratur insuper licentia Antistitis respectivi Ordinis vel Dioecesis?

IV. Qua approbatione indigeant illa Propria ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, quae exhibent cantum gregorianum notis modernis transscriptum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audita Commissionis Liturgicae sententia, una cum voto Praesidis Commissionis de Musica et Cantu sacro, reque sedulo perpensa ac discussa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative: et singula cuiuslibet Proprii seu novi Officii aut Missae folia, apud quemlibet typographum composita, in triplici exemplari, vel singillatim vel simul sumpta, ad Sacram Rituum Congregationem pro revisione et definitiva approbatione transmittantur; praehabita quidem licentia illius Ordinarii loci vel Moderatoris supremi Ordinis sive Instituti, in cuius usum paratur editio, quae veluti typica pro futuris editionibus inserviet.

Ad II. Negative, dummodo subsequentes editiones cum prima typica editione sive Proprii sive novi Officii aut Missae fideliter concordent; prouti Decretum Sacrae Rituum Congregationis n. **4166**, sub die 11 Augusti 1905, quod Instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium exhibet, omnino declarat et iubet.

Ad III. Requiritur pro subsequentibus editionibus tam approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Supremi Ordinis seu Congregationis, in cuius usum ipsae editiones parantur, quam licentia Ordinarii loci, in quo huiusmodi editiones conficiuntur et evulgantur.

Ad IV. Requiritur et sufficit approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Ordinis sive Instituti, atque licentia Ordinarii illius loci, ubi tales editiones parantur sive evulgantur, prouti in responsione ad dubium III superius indicatur.

Declarat autem Sacra Rituum Congregatio, tum Decretum approbationis a se dandum primae editioni alicuius Proprii sive novi Officii aut Missae cantum gregorianum liturgicum exhibenti, cum approbationem Ordinarii Dioecesis aut Moderatoris supremi Ordinis sive Instituti atque licentiam Ordinarii loci, ut supra, in scriptis praevie ab editoribus expetendam et obtinendam, omnino debere integre et fideliter in principio vel in fine Proprii vel Officii novi aut Missae publicari.

Atque ita rescripsit, die 24 Februarii 1911.

4261.

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Adm. Rev. Pater Vicarius Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Terrae Laboris, Sacrorum Rituum Congregationi haec, quae sequuntur, pro opportuna declaratione reverenter exposuit:

I. In Regione Neapolitana, Dominica II post Pascha, celebratur Festum S. Francisci de Paula, sub ritu duplici secundae classis cum Octava; ast in eadem Regione adest Conventus Casalucensis, pro quo huiusmodi Festum in Calendario Provinciae die secunda Aprilis fixum invenitur, cum praedicta Dominica II post Pascha impedita sit a Festo Beatae Mariae Virginis Indulgentiarum, Ecclesiae Titularis. Quaeritur:

1. An Conventus Casalucensis praedictum Festum Sancti Francisci de Paula celebrare possit die secunda Aprilis, quae est vacua et libera in Calendario Provinciae, vel potius, iuxta leges occurrentiae, celebrare debeat post Dominicam II post Pascha? Et quatenus affirmative ad primam partem:

2. An, si dies secunda Aprilis extra Quadragesimam venerit supradictus Conventus Festum Sancti Francisci de Paula celebrare debeat sub ritu duplici secundae classis cum Octava, vel sine ipsa?

II. Festum Sacrarum Reliquiarum, ante annum 1894, in toto Ordine, sub ritu duplici minori, die decima quinta Martii celebrabatur; at praedicto anno ad ritum duplicem maiorem evectum fuit, et in Do-

minicam postremam Octobris fixe translatum. Interdum adest Neapoli Conventus Sanitatis, qui Indultum habet ab immemorabili, dictum Festum sub ritu duplici primae classis celebrandi. Quaeritur: An iste Conventus praedictum Festum possit etiam nunc celebrare die decima quinta Martii, vel debeat, in ultimam Dominicam Octobris reponere?

III. In aliquibus Conventibus eiusdem Provinciae non raro accidit, ut die Octava Sanctissimi Corporis Christi occurrat Festum Patroni principalis loci, vel Titularis propriae Ecclesiae. Quaeritur: An in secundis Vesperis facienda sit Commemoratio sequentis, nempe Sacratissimi Cordis Iesu, iuxta concurrentiae leges, vel Sanctissimi Corporis Christi?

IV. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis Beneventanae a Calendario eiusdem Dioecesis in Dominica post Octavam Omnium Sanctorum celebranda praescribitur. Hic autem notandum, quod, cum praedicta Dominica fere semper sit Dominica secunda Novembris, accidit, ut Festum Patrocinii Beatae Mariae Virginis numquam tali Dominica celebrari possit. Hinc quaeritur: An Festum Patrocinii Beatae Mariae Virginis debeat tamquam fixum et in perpetuum reponi in prima die libera, seu potius in alia die ad beneplacitum Sanctae Sedis statuenda, vel transferri aut simplificari possit iuxta leges occurrentiae, nempe translatione tantum accidentali?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Quoad 1 et 2: Festum Sancti Francisci de Paula celebretur perpetuo Feria secunda Dominicam secundam post Pascha immediate sequenti, et eiusdem dies Octava commemoretur in die Octava Festi Titularis Ecclesiae.

Ad II. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum n. 3712, Urbis et Orbis, 28 Iunii 1889, et Rubricas Generales Breviarii, Tit. IX, n. 11.

Ad IV. Negative ad primam partem; non expedire ad secundam; affirmative ad tertiam.

Atque ita rescripsit, die 24 Februarii 1911.

4262. ATREBATEN.

Quum Ordinator Calendarii Atrebatensis Dioecesis, de licentia sui Rmi Episcopi, a S. R. C. plurium dubiorum solutionem humillime postulaverit; eadem Sacra Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque diligenter expensa, ad relationem Secretarii, ita iisdem dubiis respondendum censuit:

I. Initium cuiusvis Epistolae beati Pauli Apostoli alicui Feriae assignatum, in qua anticipatur Officium alicuius Dominicae post Epiphaniam, sicuti et Initia antecedentibus Feriis assignata, quatenus sint in sua ipsorum die utcumque impedita, debent omnino in antecedenti Feria vel etiam Dominica recitari, etiamsi aliquando tria simul Initia sic legi contingat, et omitti quoque oporteat Lectiones, alicui Festo semiduplici vel duplici per annum tam minori quam maiori, proprias vel de respectivo Communi per se tributas, prouti casus requirat. Lectiones autem eiusmodi propriae vel de Communi per se assignatae illi ex occurrentibus Festis vel Officiis, in quantum necessitas exigat, adimantur quod habet Lectiones de Communi assignatas, prae altero minus etiam nobili, sed Lectiones primi Nocturni proprias habente; vel quod alteri in concurrentia debet postponi; vel in cuius die Initium aliquod proprie cadit; vel denique quod posteriori tempore occurrit: et si ne hoc quidem pacto omnia recitari et reponi eadem Initia valeant, illa omittantur eo anno Initia, quae alioquin forent posterius perlegenda, si nempe pro omnibus Initiis dies a Festis et Officiis duplicibus primae vel secundae classis libera quomodolibet haberetur. Initia denique quae occurrunt post eam Feriam, in qua integrum alicuius Dominicae post Epiphaniam anticipatur Officium, debent illo anno prorsus omitti, iuxta Rubricas Generales Breviarii Romani sub Tit. XXVI, *De Lectionibus*, n. 8; quia per Officium integre de aliqua anticipata Dominica persolutum, iam nova incoepit hebdomada, infra quam nequeunt ulla praecedentis hebdomadae Initia reponi.

II. Initium cuiusvis Epistolae beati Pauli Apostoli illi alioquin assignatum Sabbato, in quo per integrum Officium, vel per Commemorationem aliqua ex Dominicis post Epiphaniam simul cum Septuagesimae Dominica veniens anticipatur, in una ex

antecedentibus Feriis iugiter perlegatur, prouti sub n. I superius edicitur, non obstante Decreto n. 2503, Urbis, 28 Martii 1775, ad I; atque in eodem Sabbato, si anticipata Dominica solam Commemorationem habeat, Lectiones semper ipsius Dominicae recitentur. Si tamen Festum vel Officium duplex primae aut secundae classis celebretur, Initium Dominicae anticipatae eo quidem anno prorsus omittitur, etsi in Feriis Sabbatum ipsum praecedentibus dies liberi habeantur, quum nequeant omnino impedita Initia intra praecedentem hebdomadam anticipari.

III. In Festo S. Ioannis ante Portam Latinam tamquam proprie historica censeri debet Lectio nona Matutini, quae de glorioso huius S. Apostoli Martyrio mentionem facit: ideoque, iuxta Decretum n. 2735, Ordinis Minorum Capuccinorum, 8 Augusti 1835, ad II, eadem Lectio nona quae praepeditur Homilia Feriae vel Dominicae, vel nona Lectione Festi utcumque simplicis, adiungi debet Lectioni octavae ipsius Festi.

IV. Hymni omnes proprii, qui ad integritatem historiae necessario non pertinent (prouti est Hymnus *Te gestientem gaudiis* ad II Vesperas in Festo SS. Rosarii B. M. V. appositus, tamquam summarium et repetitio ceterorum), si recitari nequeant ad eas Horas, pro quibus designantur, ex praecepto recitentur ad alias eiusdem diei Horas, in quibus alius Hymnus, vel de Communi utcumque desumptus vel iam in eodem recitatus Officio, secus debeat adhiberi; imo, etiamsi Hymnus aliquis proprius, in alia diei Hora minime recitatus, possit, sine ulla Hymnorum coniunctione, ad aliquam Horam antecedentem vel subsequentem amandari. Si autem eiusmodi Hymni proprii, qui ad integritatem historiae necessario non referuntur, nequeunt servari, nisi aliqui coniungantur, tunc de congruo, in privata tantum officii recitatione, Hymni eiusdem metri cum proximioribus uniri valent, prouti Rubricae Gen. Breviarii Romani, Tit. XXVI, nn. 3, 4 et 6, de Lectionibus in privata item Officii recitatione fieri concedunt; quoniam in publica Officii celebratione, non arbitrarium onus, sed necessarium tantummodo est urgendum, atque in annuis Calendarii adnotandum.

V. In Festo S. Elisabeth, Reginae Portugalliae, Viduae, sicuti et in aliis omnibus Officiis etiam votivis sub ritu semiduplici celebrandis, quibus ad Vesperas vel Laudes versus *Ora pro nobis* fuerit assignatus, idem versus pro ipso recurrente Festo vel Officio iugiter asservetur, iuxta normam in similibus casibus generaliter observatam: atque in posterum, hoc in casu, pro Suffragio Beatae Mariae Virginis adhibeatur, tam ad Vesperas quam ad Laudes, versus *Dignare me,* non obstante Decreto n. 1918, Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis, 18 Decembris 1694, ad I.

VI. In Officio Beati Ioannis Mariae Vianney, Confessoris, omnibus Galliarum Ecclesiis concesso, legendum est in VI Lectione *secretiorem locum,* iuxta textum approbatum; non autem *secretiorem locum,* prouti aliquae exhibent editiones.

VII. Postcommunio Missae Lanceae et Clavorum D. N. I. C. pro aliquibus locis concessae, necnon Oratio Officii Votivi et Missae Votivae de Passione D. N. I. C. concludendae sunt: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre.*

Atque ita rescripsit, die 23 Martii 1911.

4263. DECRETUM

SEU DECLARATIO SUPER EDITIONE VATICANA EIUSQUE REPRODUCTIONE QUOAD LIBROS LITURGICOS GREGORIANOS.

Cum postulatum fuerit, an Episcopi possint propriam approbationem donare libris cantus gregoriani, melodias Vaticanae editionis adamussim reproductas continentibus, sed cum signorum rythmicorum indicatione, privata auctoritate additorum?

Sacra Rituum Congregatio, ad maiorem declarationem Decreti n. 4259, 25 Ianuarii vertentis anni, respondendum censuit:

Editionibus in subsidium scholarum cantorum, signis rythmicis, uti vocant, privata auctoritate ornatis, poterunt Ordinarii, in sua quisque Dioecesi, apponere *Imprimatur,* dummodo constet, cetera, quae in Decretis Sacrae Rituum Congregationi iniuncta sunt, quoad cantus gregoriani restaurationem, fuisse servata.

Quam resolutionem Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X, per Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit.

Die 11 Aprilis 1911.

4264. DECRETUM.

Quo facilius in Ecclesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes peragi valeant, Sacra Rituum Congregatio, enixis precibus, tum a R̃mis locorum Ordinariis tum a Superioribus Ordinum seu Congregationum Religiosarum sibi porrectis obsecundans, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, statuit ac decrevit, ut, ad tramitem resolutionis n. 3919, Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci, diei 27 Iunii 1896, ad XVI, tam Calendarium perpetuum quam Calendarium annuale cuiusque Ecclesiae particularis respective redigatur super Calendario Dioecesis vel Ordinis aut Congregationis; ac proinde, sicuti Officia, quae in propria Ecclesia vel Oratorio quotannis impedita sunt, fixe assignari debent diei primae liberae in Calendario perpetuo, ita Officia accidentaliter transferenda in posterum celebranda erunt die, quae prima libera reperitur in Calendario annuali, nulla habita ratione Officiorum, quae iam translata fuerunt, licet minoris nobilitatis: servatis de cetero Rubricis et Decretis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 3 Maii 1911.

4265. DUBIA.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutio expostulata est; scilicet:

Quum Caeremoniale Episcoporum numquam supponat, cantum gregorianum organorum vocibus consociari; quaeritur:

I. An hodiernus usus praedictum cantum adiuvandi organis sustineri possit? Et quatenus affirmative ad I:

II. An etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, liceat organum adhibere solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus?

III. Quibusdam in Brevibus, quibus fit Sacerdotibus potestas, in fine concionum, Benedictionem, cum Indulgentiae plenariae favore, populo impertiendi, edicitur id fieri debere cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam; nunc quaeritur, quinam sint hi ritus et formula adhibendi?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus, quae, iuxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debeant penitus decantari.

Ad II. Affirmative, in casu necessitatis, excepto ultimo triduo Maioris Hebdomadae, post et ante Hymnum Angelicum respectivae Missae.

Ad III. Unicum signum Crucis cum Crucifixo, adhibita formula: « Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Atque ita rescripsit, die 11 Maii 1911.

4266. DECRETUM.

Pluries a Sacra Rituum Congregatione normae traditae sunt typographis pro editione librorum liturgicorum, praesertim per Decreta, n. 4166, 11 Augusti 1905, n. 4178, 14 Februarii 1906, n. 4259, 25 Ianuarii vertentis anni, quod postremum respicit editionem Vaticanam eiusque reproductiones super libris cantum gregorianum continentibus, ac n. 4263, 11 Aprilis 1911. Quo vero eiusmodi normae latius pleniusque compleantur, Sacra eadem Congregatio, ad praecavendos et impediendos abusus, haec quae sequuntur, accurate discussa et perpensa, statuere voluit, atque servanda decrevit:

I. Editiones librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in sacris functionibus peragendis contineant, sive sacras Caeremonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant, sive huius Sacrae Congregationis Decreta in unum collecta referant, sunt vel *Typicae,* vel *iuxta Typicas*.

II. Editiones *Typicas* excudere tantum possunt vel Pontificia Typographia Polyglotta Vaticana, vel alii typographi Pontificii, qui a Sacra Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. Singula editiones typicae folia revisioni huius Sacrae Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. Quaevis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse ty-

picam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

V. Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria huic Sacrae Rituum Congregationi tradent, in Archivio ipsius Sacrae Congregationis maxima cura et studio conservanda.

VI. Quivis typographus, accedente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *iuxta Typicas,* quae nempe adamussim praedictis editionibus typicis respondeant, excutere potest.

VII. R̃mi locorum Ordinarii, diligenti rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praefatae editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et *Imprimatur* apponant.

VIII. Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicuius Dioecesis Propriorum, de quibus editio typica non exstat, si in ipsa Dioecesi cudendae sint, R̃mi locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarent, et *Imprimatur* apponant. Quoad vero editiones Propriorum, tum alienae Dioecesis tum Ordinum Regularium seu Congregationum, R̃mi locorum Ordinarii quorum iurisdictioni typographi subiacent, *Imprimatur* apponant, postquam vel Ordinarius Dioecesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos praedicta Officia seu Propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a Sacra Rituum Congregatione approbatis, Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint.

IX. Inter libros Sacram spectantes Liturgiam, ad effectum praesentis Decreti, sequentes praecipue adnumerandi sunt:

1. Breviarium Romanum
2. Missale Romanum
3. Rituale Romanum
4. Pontificale Romanum

} eorumque excerpta.

5. Martyrologium Romanum.
6. Caeremoniale Episcoporum.
7. Propria tum Officiorum, tum Missarum alicuius Dioecesis, Ordinis seu Congregationis Religiosae.
8. Memoriale Rituum Benedicti Pp. XIII pro minoribus Ecclesiis.
9. Instructio Clementina pro expositione Sanctissimi Sacramenti.
10. Collectio Decretorum Sacrae Rituum Congregationis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 17 Maii 1911.

4267. DECRETUM.

Super legitima interpretatione artic. II, nn. 14 et 34, et art. III, n. 43, in Motu proprio *Inter multiplices,* n. 4154, diei 21 Februarii 1905, Sacrae Rituum Congregationi sequens quaestio proposita fuit:

An Canonicus rite adscriptus Capitulo, quod collegialiter gaudet privilegiis seu insignibus et iuribus ad Protonotarios Apostolicos, vel Supranumerarios, vel ad instar Participantium pertinentibus, ius aliquod acquisierit, quo inter Praelatos Domesticos cum expeditione Brevis recenseatur?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Negative, et adscriptionem coetui Praelatorum Domesticorum unice pendere ex benigna liberalitate Summi Pontificis, attentis, in singulis casibus, omnibus circumstantiis et specialibus meritis personae.

Quam resolutionem, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per Cardinalem eidem Sacro Consilio Praefectum relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit; simulque eiusmodi interpretationem tamquam veram et authenticam declaravit.

Die 24 Maii 1911.

4268. WESTMONASTERIEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum in Ecclesia Metropolitana Westmonasterien., de consensu sui R̃mi Domini Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda humillime proposuit, nimirum:

I. Defectu ministrorum et cantorum, licetne Missam Votivam Sanctissimi Sacramenti, in expositione vel repositione pro Oratione XL Horarum, celebrare sine cantu, et totam functionem sine cantu peragere, simili modo quo fit Feria V in Coena Domini, secundum Memoriale Rituum Benedicti Papae XIII?

II. Licetne legere aut omittere Missam votivam, celebrandam secunda die in Oratione XL Horarum?

III. Estne necessarium Indultum, ut in Oratione XL Horarum expositio ac adoratio suspendatur horis nocturnis?

IV. Quum difficile sit habere thronum expositionis inamovibile, nisi Crux ponatur in eo; quaeritur, utrum liceat super Tabernaculum erigere inamovibile thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione Sanctissimi Sacramenti; an debeat erigi thronus tantummodo propter expositionem, et amoveri post expositionem?

V. Num liceat thronum expositionis construere in muro Altari seiuncto?

VI. Licetne laicis tangere Ostensorium sine privilegio Apostolico, quod requiritur ad tangenda vasa sacra?

VII. Debetne Ostensorium cooperiri velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem SSmi Sacramenti?

VIII. Cuiusnam coloris debet esse stola Presbyteri exponentis, quando Benedictio Sanctissimi Sacramenti immediate sequitur Vesperas solemnes, nec Celebrans cum Pluvialistis recedit a Choro?

IX. Utrum cuilibet Celebranti, an soli Episcopo vel Praelato, liceat genuflexo manere super pulvinari in infimo gradu Altaris?

X. An Decreta, quae prohibent quominus Preces liturgicae cantentur in lingua vernacula, extendantur etiam ad Litanias vel *Pater*, vel *Salve, Regina*, quae recitantur vel leguntur coram SSmo Sacramento exposito?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I, II et III. Ad effectum Indulgentiarum et privilegii Altarium necessarium esse Indultum, ut derogetur formae Clementinae Instructionis. Alias Episcopus utatur iure suo, sed circa Missas Votivas serventur Rubricae et Decreta, nisi exstet vel obtineatur speciale Indultum.

Ad IV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad V. Affirmative, dummodo thronus expositionis haud nimis distet ab Altari, cum quo debet quid unum efficere.

Ad VI. Serventur Decreta.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Eiusdem coloris ac paramenta Celebrantis.

Ad IX. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad X. Dentur Decreta, n. 3530, Neapolitana, 23 Martii 1881, ad I et II; n. 3157, Mechlinien., 5 Septembris 1867, ad VIII, et n. 3537, Leavenworthien., 27 Februarii 1882, ad III.

Atque ita rescripsit, die 27 Maii 1911.

4269. BAIONEN.

Hodiernus Redactor Calendarii Dioeceseos Baionensis, in Gallia, de consensu sui Rmi Episcopi, insequentia dubia pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit, nimirum:

I. Utrum Decreto 8 Maii 1899, Augustodunen. seu Galliarum, extendente Officium et Missam S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis, sub ritu duplici minori, ad cunctas Galliarum Ecclesias, obligatio facta fuerit omnibus Galliarum Dioecesibus illud adoptandi, vel simpliciter haec extensio non sit nisi facultas?

II. Utrum dies 7 Iulii sit quasi natalitia pro Ss. Cyrillo et Metodio, Epp. Conff., iuxta Martyrologium Romanum?

III. Utrum, in Festo Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. utrisque Vesperis carente, Hymnus *Matris sub almae* recitari debeat ad Laudes, iunctis ad Matutinum Hymnis *Bella dum tale* et *Sic Patres vitam?*

IV. Si in tertio Nocturno alicuius Sancti vel Mysterii Lectiones de Homilia excerptae sunt ex operibus eiusdem Sancti, aut sunt historicae circa Mysterium, utrum tres Lectiones debeant in duas redigi, ut fit in Festo S. Hilarii, Ep. Conf. Doct., in casu quo nona Lectio legi debeat de alio Officio eodem die commemorato?

V. Ubi S. Silvester est Patronus vel Titularis, utrum secundae eius Vesperae sumendae sint de Communi Confessoris Pontificis, vel usque ad Capitulum dicendae sint de Nativitate Domini, ut in aliis diebus infra Octavam?

VI. Quum Nuptiae celebratae fuerint tempore prohibito, et Sponsi postea Benedictionem nuptialem petierint, iuxta Decretum S. R. et U. I., diei 31 Augusti 1881, utrum eligendus sit dies in quo Missa votiva pro Sponsis dici possit, ut praetendunt aliqui, innixi super Decretum Generale de Missis votivis, n. 3922, VI, diei 30 Iunii 1896, vel in casu Benedictio nuptialis impertiri possit infra Missam, puta de Festo duplici II classis, cum Commemo-

ratione pro Sponsis, iuxta Rubricam in capite Missae pro Sponsis positam?

VII. Utrum ad impertiendam Benedictionem nuptialem post tempus feriatum coniugibus antea Matrimonio iunctis, necessaria sit praesentia amborum, vel sufficiat solius Sponsae?

VIII. Utrum in Ecclesiis Parochialibus unam tantum Missam habentibus, Parochi debeant, ad normam Decreti n. 3887, diei 21 Februarii 1896, Missam pro populo applicandam iuxta Officium diei celebrare, etiam in Dominicis ad quas iussu Cardinalis Caprara transferuntur Solemnitates Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac praecipui Patroni loci, atque etiam quorundam aliorum Festorum ex peculiaribus Indultis, vel possint per Missam dictarum Solemnitatum oneri suo satisfacere?

IX. Utrum Solemnitates iussu Card. Caprara ad Dominicam proxime sequentem translatae, ceteraeque ex Indulto particulari similiter faciendae, celebrari debeant, an possint, etiam in Oratoriis semipublicis, ubi singulis Dominicis solet Missa cantari?

X. Si extra Expositionem XL Horarum, et Festum SS. Corporis Christi, fieri contingat expositio SS. Sacramenti immediate post Missam, Hostia debeatne intra hanc Missam consecrari, vel accipi possit Hostia iam prius consecrata? Et quatenus affirmative ad secundam partem:

XI. Utrum Hostia iam antea consecrata poni possit in Ostensorio ante purificationem et ablutiones, vel exspectari debeat usque ad expletum ultimum Evangelium?

XII. Utrum Celebrans in Vesperis solemnibus possit stolam induere sub pluviali a principio Officii, quum immediate post Vesperas, quin ipse recedat a Presbyterio, fiat expositio cum Benedictione Sanctissimi Sacramenti?

XIII. Utrum Processio cum SSmo Eucharistiae Sacramento, quae immediate ut supra subsequitur Vesperas cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, cum iisdem fieri debeat, vel albi coloris assumi debeant paramenta?

XIV. In Benedictione Olei Catechumenorum, Feria V Coenae Domini, Rubrica Pontificalis statuit: «Duodecim Sacerdotes reverenter salutant Oleum ipsum, dicentes: Ave, Sanctum Oleum». Haec verba « reverenter salutant » suntne ita interpretanda, ut debeat fieri genuflexio, sicut ad Sanctum Chrisma, vel simplex inclinatio capitis?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae voto, propositis dubiis sedulo expensis ita respondendum censuit:

Ad I. Singulis petentibus Sacra Congregatio reservavit sibi concessionem, iuxta Decretum citatum.

Ad II. Affirmative.

Ad III. In publica recitatione, negative; in privata, ad libitum; iuxta Decretum n. 4262, Atrebaten., ad IV.

Ad IV. Decernendum in casibus particularibus.

Ad V. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Commemoratio autem de Nativitate fiat per antiphonam, versum et Orationem de I Vesperis Circumcisionis.

Ad VI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad VII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, nisi habeatur Apostolicum Indultum.

Ad IX. Solemnitates enunciatas celebrari posse in Oratoriis semipublicis, de quibus agitur in Decreto n. 4007, diei 23 Ianuarii 1899.

Ad X. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad XI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad XII. Affirmative.

Ad XIII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad XIV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 27 Maii 1911.

4270. QUINQUE ECCLESIARUM.

Hodiernus Episcopus Dioeceseos Quinque Ecclesiarum, in Hungaria, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

Pluribus abhinc annis, inscio Episcopo, viget in nonnullis Ecclesiis Filialibus Dioeceseos Quinque Ecclesiarum consuetudo Anniversaria fundata, cum *Libera me Domine,* diebus Dominicis et Festis peragendi, prout sequitur. Primo quidem celebratur Missa cantata de Dominica aut Festo in

colore. Finita Missa, celebrans accedit Sacristiam, depositaque casula et induto pluviali nigri coloris, illico ingreditur Ecclesiam pro Absolutione facienda ante tumulum seu castrum doloris, quod tantum post finem Missae in Ecclesia construitur. Quaeritur: An in casu consuetudo retineri possit, quum dicta Anniversaria diebus Dominicis et Festis ex fundatione sint affixa, et propter distantiam ab Ecclesia Matre et alia officia Sacerdotum, vel etiam ob defectum competentis dotis, in dies feriales vix transferri possint?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: Pro gratia, attenta consuetudine; exceptis tamen duplicibus primae classis, et dummodo Absolutio et Responsorium locum habeant omnino independenter a Missa de die, iuxta Decretum n. **3780**, Romana, 12 Iulii 1892, ad VIII.

Atque ita rescripsit atque indulsit die 31 Maii 1911.

4271. BAIONEN.

Ab hodierno Calendarista Dioecesis Baionensis, praehabito consensu Rmi Episcopi eiusdem Dioeceseos, Sacrae Rituum Congregationi nova quaedam dubia pro opportuna solutione reverenter exposita sunt; videlicet:

I. Utrum laico Missae inservienti ministrari possit Sacra Communio intra Presbyterium et in ora suppedanei Altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali?

II. Utrum Preces post Missam privatam iussu SSmi D. N. dicendae, omitti debeant post Missam votivam lectam de SS. Corde Iesu, prima cuiusque mensis Feria VI celebratam cum privilegiis Missae votivae solemnis pro re gravi?

III. Quum cantantur Vesperae coram Sanctissimo Sacramento exposito, utrum Celebrans possit a principio amictu, alba, stola et pluviali indutus Officium facere, eique Diaconus et Subdiaconus alba, dalmatica et tunica induti assistere a principio Vesperarum, ratione Processionis immediate post Vesperas instituendae, praesertim in Ecclesiis quae pluribus carent pluvialibus pro Assistentibus?

IV. Utrum in Quadragesima, quando Vesperae immediate post Missam solemnem cantantur, Celebrans possit pluviali super albam et stolam indutus Officium facere, cum assistentia Diaconi et Subdiaconi dalmatica et tunica indutorum?

V. Utrum iuxta Decreta, n. **4194**, Dubia. 23 Novembris 1906, ad X, et n. **4198**, Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, 1 Februarii 1907, ad X, Oratio *Deus, cuius misericordiae non est numerus,* in functione Tridui vel Octidui intra annum post Beatificationem vel Canonizationem, cantari debeat ante *Tantum ergo?*

VI. Utrum novendialis Supplicatio quae, ex Litteris Encyclicis Leonis Pp. XIII, *Divinum illud munus,* diei 9 Maii 1897, Festum Pentecostes praecedere debet, incipi debeat Feria VI infra Octavam Ascensionis Domini, ut terminetur in ipsa Vigilia Pentecostes, vel possit iuxta praxim huius Dioeceseos incipi tantum Sabbato, ita ut finem habeat novendialis Supplicatio ipso die Festo Pentecostes?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita Commissionis Liturgicae sententia, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Missa de qua in precibus habeatur uti solemnis, eique applicari potest Decretum n. **3697**, Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci, 7 Decembris 1888, ad VII.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Satis provisum in Decretis citatis.

Ad VI. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 8 Iunii 1911.

4272. MOTU PROPRIO.

DE DIEBUS FESTIS.

Supremi Disciplinae Ecclesiasticae Custodes et Moderatores, Pontifices Romani, si quando christiani populi bonum id ipsis suaderet, sacrorum Canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem ipsi, quemadmodum iam alia, ob mutatas temporum et civilis societatis conditiones, immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex praecepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperanda censemus. Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt, facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes

nanciscuntur, quibus minor est Festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur, quibus est victus labore comparandus.

His de causis, iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, Sanctae Sedi adhibitae sunt, ut Festivitatum de praecepto numerus minueretur.

Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est, festos dies ex Ecclesiae mandato servandos imminuere.

Itaque, Motu proprio, et matura deliberatione Nostra, adhibitoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui ad Ecclesiae leges in Codicem redigendas incumbunt, haec quae sequuntur de festis diebus edicimus observanda.

I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt: Omnes et singuli dies dominici, Festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

II. Dies festi Sancti Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis, et Nativitatis S. Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur, tamquam in sede propria, prior, Dominica insequente diem XIX Martii, immoto permanente Festo, si dies XIX Martii in Dominicam incidat; alter, Dominica quae Festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum antecedat. Festum vero Sanctissimi Corporis Christi, idemque cum octava privilegiata, Dominica post Sanctissimam Trinitatem, tamquam in sede propria, celebrabitur, statuta pro Festo Sacratissimi Cordis Iesu Feria VI intra octavam.

III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus dies festi Patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

IV. Sicubi aliquod Festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis Festis Episcopi conservandum censuerint, S. Sedi rem deferant.

V. Quod si in aliquod ex Festis, quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus; eandemque dispensationem etiam pro Patronorum Festis, hac nostra lege abolitis, concedimus, si tamen solemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus, quos nunc de numero Festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos, ceterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio observandum praeceptum curaturos.

Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 2 mensis Iulii 1911, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

4273. URBIS ET ORBIS.

Evulgato Motu proprio Sanctissimi D. N. Pii Papae X *De diebus festis*, n. 4272, diei 2 Iulii vertentis anni, nonnulli Sacrorum Antistites, ne accidat, ut dies octava S. Ioseph, in Dominicis privilegiatis Quadragesimae occurrens, nullam in Officio et Missa Commemorationem accipiat, et Officium dierum infra Octavam, Tempore Passionis adveniente, saepius omitti debeat, ab ipso Sanctissimo Domino nostro instantissime petierunt, ut ad augendum cultum erga S. Ioseph, Ecclesiae Universalis Patronum, Festum eius, die 19 Martii, sine feriatione et sine Octava recolatur; Festum vero Patrocinii eiusdem iuribus et privilegiis omnibus, quae Patronis principalibus competunt, augeatur, et sub ritu duplici primae classis cum Octava celebretur, prout iam in aliquibus locis et Institutis recoli legitime consuevit; eo vel magis quod Tempus Paschale aptius recolendae

Solemnitati conveniat, et Festum idem in Dominica III post Pascha numquam impediri valeat.

Item Rmi Episcopi, quoad Solemnitatem Sanctissimi Corporis Christi, ab eodem Sanctissimo Domino nostro humillimis precibus postularunt, quod, remanente Feria V post Dominicam Sanctissimae Trinitatis eius Festo, absque tamen feriatione, externa Solemnitas ad insequentem Dominicam transferatur.

Sanctissimus Dominus noster, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, audito Commissionis Liturgicae suffragio, huiusmodi votis clementer deferens, firmo remanente Motu proprio quoad reliqua Festa, statuit et decrevit:

I. Festum Natale S. Ioseph, die 19 Martii, sine feriatione et sine Octava, sub ritu duplici primae classis recolatur, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Confessoris.*

II. Festum Patrocinii eiusdem S. Ioseph, Dominica III post Pascha, sub ritu duplici I classis cum Octava, addita Festi primarii qualitate, recolatur, sub titulo: *Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V. Confessoris, Ecclesiae Universalis Patroni.*

III. Diebus infra Octavam et die Octava Solemnitatis S. Ioseph adhibeatur Officium, uti prostat in Appendice Octavarii Romani.

IV. Festum Sanctissimae Trinitatis, Dominicae I post Pentecosten affixum, amodo sub ritu duplici primae classis recolatur.

V. Festum Sanctissimi Corporis Christi celebretur absque feriatione, sub ritu duplici primae classis et cum Octava privilegiata, ad instar Octavae Epiphaniae, Feria V post Dominicam SS. Trinitatis, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis Sanctissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi.*

VI. Dominica infra Octavam huius Festivitatis, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, recitato Officio cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa solemnis cani potest, uti in Festo, cum *Gloria,* unica Oratione, Sequentia, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola Commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur solemnis Processio cum Sanctissimo Sacramento, praescripta in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, c. XXXIII.

VII. Feria VI post Octavam, celebretur, ut antea, Festum Sacratissimi Cordis Iesu, sub ritu duplici primae classis.

Valituro praesenti Decreto etiam pro Familiis Regularibus et Ecclesiis, ritu latino a Romano diverso utentibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 24 Iulii 1911.

4274. DECRETUM.

Ad quasdam liturgicas quaestiones de diebus festis nuper propositas enodandas, inspecto Motu proprio Sanctissimi Domini nostri Pii Papae X, n. 4272, diei 2 Iulii vertentis anni 1911, una cum subsequenti Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, n. 4273, Urbis et Orbis, diei 24 eiusdem mensis et anni, Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, atque approbante ipso Sanctissimo Domino nostro, haec statuit ac declaravit:

I. Quum Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae in posterum celebrandum sit Dominica immediate antecedente Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac proinde duae Octavae simul occurrere possint; hoc in casu, agatur Officium de Octava Nativitatis S. Ioannis cum Commemoratione Octavae Ss. Apostolorum.

II. Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae affigatur Sabbato ante Dominicam quae praecedit Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli. Quando in hoc Sabbato simul occurrant Vigilia Nativitatis S. Ioannis et Vigilia Ss. Apostolorum, fiat Officium de prima, cum Commemoratione alterius, in Missa tantum. Si vero in hoc Sabbato incidat Festum sive Officium ritus duplicis aut semiduplicis, nona Lectio erit de Vigilia Nativitatis S. Ioannis, et in Missa fiat Commemoratio utriusque Vigiliae.

III. In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in casu praecedenti, dicatur post Nonam Missa de Vigilia Nativitatis S. Ioannis cum Commemoratione Vigiliae Ss. Apostolorum. Si vero occurrat Festum IX Lectionum, dicantur duae Missae Conventuales, una de Officio currenti post Tertiam, altera de Vigilia Nativitatis S. Ioannis post Nonam cum Commemoratione Vigiliae Ss. Apostolorum.

IV. Si Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae incidat in diem 28 Iunii, secundae Vesperae integrae erunt de hac Solemnitate, cum Commemoratione sequentis Festi Ss. Apostolorum, iuxta Rubricas.

V. Quum ex Decreto supracitato, diei 24 Iulii 1911, ad instar Octavae Epiphaniae sit privilegiata Octava Commemorationis Solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., infra hanc Octavam prohibentur etiam, tum Missae votivae pro Sponsis, tum Missae cum cantu de Requie pro prima vice post obitum, vel eius acceptum nuntium; die vero Octava prohibentur Missae privatae de Requie, quae die, vel pro die obitus alias cum exequiali Missa permittuntur.

VI. Missa cum cantu de Requie die vel pro die obitus, aut depositionis, praesente, insepulto, vel etiam sepulto, non ultra biduum, cadavere, vetita est in sequentibus Festis nuper suppressis, nempe Commemorationis Solemnis Sanctissimi Corporis Christi, Annuntiationis B. M. V., Commemorationis Solemnis S. Ioseph, et Patroni loci.

VII. Item praedicta Missa inhibetur in Festis Solemnitatis S. Ioseph, Sanctissimae Trinitatis, et in Dominica in quam transfertur Solemnitas externa Commemorationis Sanctissimi Sacramenti.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 28 Iulii 1911.

4275. DUBIUM.

Expostulatum est a Sacrorum Rituum Congregatione: Utrum liceat, iuxta prudens Ordinarii iudicium, tempore expositionis privatae vel publicae, interiorem partem Ciborii cum lampadibus electricis in ea collocatis illuminare, ut sacra Pyxis cum Sanctissimo Sacramento melius a fidelibus conspici possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni respondendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit, die 28 Iulii 1911.

4276. DUBIUM.

Quum ex Motu proprio Sanctissimi Domini nostri Pii Papae X, n. 4272, diei 2 elapsi mensis Iulii, Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, a die 24 Iunii perpetuo translatum, assignatum fuerit Dominicae ante Solemnia Ss. Apostolorum Petri et Pauli, tamquam in sede propria, nonnulli Rmi Episcopi, paragraphum quartam eiusdem Motus proprii perpendentes, quo cautum est, in locis peculiari Indulto Apostolico utentibus nihil esse innovandum inconsulta Sede Apostolica, huic dispositioni obtemperantes, ipsam Sanctam Sedem adierunt, reverenter postulantes a S. Rituum Congregatione:

Utrum Dioeceses, ubi hucusque Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae quotannis celebratum est die 24 Iunii, cum Apostolica dispensatione a feriatione, possint hunc diem retinere, vel potius debeant sumere praefatam Dominicam in Calendario universali nuper assignatam Nativitati Sancti Praecursoris Domini?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, attento novissimo Motu proprio *De diebus festis*, una cum subsequentibus Declarationibus, propositae quaestioni rescribendum censuit: Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Hanc vero resolutionem Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X ratam habuit, probavit atque servari mandavit.

Die 7 Augusti 1911.

4277. NULLIUS CLUNIEN.

Rmus Dnus Episcopus Dorensis, Quatuor Ordinum Militarium Prior, Cluniae in Hispania, ut Parochorum sibi subditorum tranquillitati consulat, sequens, super Motu proprio *De diebus festis*, n. 4272, Sacrorum Rituum Congregationi dubium enodandum humillime proposuit; scilicet: Utrum Dominica, in quam Solemnitas externa Sancti Thomae a Villanova, Dioecesis Nullius Clunien. Patroni, transfertur, agendum sit Festum cum Officio et Missa et cum Octava eiusdem Sancti Patroni, sicut hucusque factum est die festo, 18 Septembris?

Et Sacra Rituum Congregatio propositae quaestioni respondendum censuit: Negative, et Solemnitas externa celebranda permittitur cum unica Missa solemni propria de Festo Sancti Patroni, servatis Rubricis et Decretis.

Atque ita rescripsit, die 25 Augusti 1911.

4278. FLORENTINA.

Evulgatio Motu proprio « Supremi disciplinae »; n. 4272, die 2 Iulii 1911, Rm̃us Ordinarius Florentinae Archidioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione reverenter proposuit; nimirum:

I. An diebus dominicis, quibus Ordinarius Solemnitatem exteriorem Patronorum transfert, liceat saltem Missam propriam solemnem celebrare ad concursum populi?

II. An liceat Ordinario Festa ex voto vel constituto, auctoritate quoque ecclesiastica interveniente sancita, vel etiam Patronorum, in proximam diem dominicam, tamquam in sedem propriam, transferre, etiam cum Officio et Missa et Octava occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 25 Augusti 1911.

4279. CONSTITUTIO APOSTOLICA.

DE NOVA PSALTERII IN BREVIARIO ROMANO DISPOSITIONE.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in Sacris Litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis, non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius* (Hebr., 13, 15); verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox* (Homil. in Ps. 1, n. 2), atque psalmodia, eius *hymnodiae filia,* ut a Decessore Nostro Urbano VIII appellatur (Bulla *Divinam psalmodiam*), *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni,* quaeque homines. in primis divino cultui addictos, docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat, quibusque verbis decenter* confiteantur (Epist. ad Marcellinum in interpr. Psalmor., n. 10). Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemadmodum laudet eum* (In Ps. 144, n. 1).

Accedit quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur; ... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum* (librorum fructus) *in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet.* Haec iterum Athanasius (Epist. ad Marcell. cit., n. 2), qui recte ibidem addit: *Mihi quidem videtur psallenti, Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet* (Op. cit., n. 12). Itaque Augustinus in Confessionibus: *Quantum,* inquit, *flevi in Hymnis et Canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exaestuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrimae, et bene mihi erat cum eis* (Lib. IX, cap. 6). Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia aut bonitate aut clementia, de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte praedicatur? Cui non similes sensus inspirent illae pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro exspectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores poenitentis animae? Quem non admiratione Psaltes perfundat, cum divinae benignitatis munera in populum Israel atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque caelestis sapientiae dogmata tradit? Quem denique non amore inflammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus (In Ps. 42, n. 1) *vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel laetantem in spe, vel suspirantem in re* audiebat?

Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per Decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus traditam Decessores Nostri, S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde

etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediretur.

Etenim, procedente tempore, continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, caelicolis accensere, et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde fere factum est, ut de dominicis diebus deque Feriis Officia silerent ideoque non pauci neglegerentur Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait: *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitia resultatio* (Enarrat. in Ps. 1, n. 9). De huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non modo hominibus sacri Ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum, et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum, imbecillitati nostrae quam maxime opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus, atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratus* (Regulae fusius tractatae, interrogatio 37, n. 5).

Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus Sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut Clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravis laboranti. non maius imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis, quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae, sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius divini Officii onus Clericis, immo temperatius evaderet. Quapropter, implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes Decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Illi autem, commissum sibi munus e sententia exsequentes, novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent, Nos utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet, cum suis Rubricis et Regulis, eiusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quandam habet cum omni divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea, quae hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim, opportunitatem hanc nacti, nonnulla iam in praesenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis praescribitur: atque imprimis quidem, ut in recitando divino Officio. Lectionibus statutis sacrae Scripturae cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

Itaque, harum auctoritate Litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus, eiusque usum, inde a Kalendis Ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus Ecclesiis Cleri saecularis et regularis, in Monasteriis, Ordinibus, Congregationibus Institutisque Religiosorum, ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine oras canonicas iuxta Bre-

viarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo Officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant, se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque Ecclesiarum Praelatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris Patriarchalium Urbis Basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque Dioecesi, Ecclesia vel Coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cuilibet, et Capitulis ipsis, modo id maior Capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit.

Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes, has Nostras Litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo undecimo, Kalendis Novembribus, in Festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

A. Card. Agliardi
S. R. E. Cancellarius.

Fr. S. Card. Martinelli
S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Plumbi.

VISA
M. Riggi, C. A. *Not.*

4280. DUBIA.

Quum Festum Commemorationis Solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., ex Decreto n. 4273, 24 Iulii vertentis anni, amodo celebrandum sit cum Octava privilegiata, ad instar Octavae Epiphaniae, Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione insequentia dubia proposita fuerunt; nimirum:

I. Utrum, adveniente Festo Commemorationis Solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., continuari adhuc debeant Octavae inchoatae: et an sua Octava gaudeat Festum aliquod duplex primae classis intra hanc Octavam privilegiatam occurrens?

II. An dies octava praefatae Commemorationis Solemnis SSmi Corporis D. N. I. C. excludat duplicia primae classis occurrentia?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, audita Commissionis Liturgicae sententia, reque maturo examine discussa ac perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative ad utrumque.

Ad II. Affirmative, excepto Festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Atque ita rescripsit, die 17 Novembris 1911.

4281. ADRIEN.

Hodiernus compositor Calendarii Adriensis Dioeceseos, haec dubia Sacrae huic Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit:

I. Celebrans et Ministri, qui in Missa solemni diei festi Annuntiationis B. M. V., nec non SS. Natalis D. N. I. C. genuflectunt, quando a Choro cantantur verba *Et incarnatus est*, etc., genuflectere ne debent etiam quando eadem verba simul recitant ad Altare?

II. In vigilia Festi alicuius Sancti, cuius nomen continetur in Canone Missae, Celebrans debet ne caput inclinare, quum idem nomen pronuntiat?

III. Festum S. Stephani Pp. M. insignis Collegiatae Titularis, in tota Civitate Rhodigii iamdiu celebrari solet sub ritu duplici I classis cum octava. Quaeritur utrum in tota eadem civitate *Credo* in Missa recitari possit ac debeat?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito Commissionis

Liturgicae suffragio, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, iuxta Rubricas Missalis de Ritu celebrandi Missam, tit. V, n. 2.

Ad III. Negative, et servetur Decretum n. 2189, Perusina, 23 Martii 1709.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 24 Novembris 1911.

4282. DECRETUM.

Quaedam Festa, quamvis perpauca, ritus duplicis maioris, pro aliqua particulari Ecclesia, transactis temporibus, Octava decorata fuerunt. Quum autem harum Octavarum celebratio novissimis Sanctae Sedis dispositionibus minime congruat, Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, statuit et decrevit: Festa ritus duplicis maioris Octava gaudere nequeunt; et si quae huiusmodi Octavae iam concessae inveniantur, amodo declarantur suppressae.

Atque ita servari praecepit, die 30 Decembris 1911.

4283. ROMANA ET ALIARUM.

Quum ex Constitutione Apostolica «Divino afflatu» SSm̃i Dñi nostri Pii Papae X, n. 4279, diei 1 Novembris 1911, Festum B. M. V. ritus duplicis maioris, aut dies Octava eiusdem Deiparae, si in Dominicam occurrant, amodo simplificari debeant; Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia proposita fuerunt; nimirum:

I. An in praedicto casu conclusiones Hymnorum et versus Responsorii brevis ad Primam esse debeant de ipsa Beata Maria Virgine?

II. Quae Praefatio in casu dicenda sit in Missa?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, nisi dicenda sint propria Temporis, et exceptis Dominicis Adventus.

Ad II. Praefatio Trinitatis, nisi occurrat Praefatio de Tempore aut alicuius Octavae Domini, iuxta Novas Rubricas, tit. X, n. 4.

Atque ita rescripsit, die 30 Decembris 1911.

4284. ROMANA ET ALIARUM.

Accidit saepenumero, ut ad hanc Sacram Rituum Congregationem nonnullae propositae sint quaestiones, quae ad Sacra per primores Ecclesiae Antistites peragenda referrentur.

Censuit saepe saepius Sacra eadem Congregatio per Rescripta seu Decreta, uti in Decretorum authentica collectione videre est, respondere, remisit aliquando ad alias Sacras Congregationes.

Quum vero Sacra Congregatio Caeremonialis, die 23 Maii 1902, duo maximi ponderis emiserit Decreta, alterum pro Rectoribus Ecclesiarum Urbis, alterum ad petitionem Apostolicis Caeremoniis Praefecti (quae tamen utilia et alibi dignoscuntur); ac similiter Sacra Congregatio Consistorialis, die 2 Maii 1910, Declarationem ediderit circa privilegium deferendi pileolum violacei coloris, Episcopis concessum; opportunum Sacrae Rituum Congregationi visum est, eadem Decreta ac Declarationem in propria Decretorum Collectione inserere, ad normam eorum qui Collectionem ipsam adibunt, de quaestione aliqua, pro re nata, sciscitantes.

Die 30 Decembris 1911.

En autem Decretorum et Declarationis textus:

I.

Decretum.

(*Rectoribus Ecclesiarum Urbis*).

Solemne semper Ecclesiae fuit, in Sacris peragendis, splendidiore ritu quandoque uti, qua exteriori pompa sensus hominum perculsi, rei celebrandae magnitudinem intelligerent melius. Tunc vere divinae Christi Sponsae verba regii Vatis aptantur: « Astitit regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate ». Augustiorem autem quum faciant ritum, non modo Templi apparatus et ornamenta reliqua, sed etiam Sacra peragentium excellens auctoritas ac dignitas, idcirco, ad solemniora, haec primores Antistites invitari solent, crebrius quidem Episcopi, rarius S. R. C. Cardinales. Utriusque ordinis decori, maxime vero purpuratorum Patrum, satis lege consultum est, et sua cuique iura, honores, privilegia definita sunt, quum in ceteris, tum etiam in iis, quae ad sacros ritus quosdam splendi-

dius celebrandos pertinent. Quia tamen nostra maxime tempora postulare videntur, ut caveatur sedulo, ne Sacrorum Antistitum maiestas quotidiano usu penes populum vilescat, Sacra Congregatio Caeremonialis censuit, Ecclesiarum Urbis Rectoribus servandas normas constituere, quae sequuntur:

I. Quoniam interest magni, ut Patrum Cardinalium sarta tectaque servetur dignitas, quotquot in Urbe sunt Ecclesiarum Rectores admonentur, ne tam crebro neque tam facile purpuratos Patres invitent, etiamsi de Sacris solemnioribus agatur.

II. In Missis et in Vesperis pontificalibus, praeterquamquod standum erit menti et praescriptis libri Caeremonialis, serventur omnino conditiones quae sequuntur:

1. Ut aequa sit et probanda causa, cur Eñi Patres Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius Festi celebritatem.

2. Ambitus Templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, Caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque Templum e dignioribus sit atque insignioribus.

3. Sacri Ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsit, qui Liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant. Ac maiores quidem Ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero saltem Clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis Cleri.

4. Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum Eñus Vir Sacrum solemne peragit, praeter gregorianum, non alius recipitur cantus, quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et Patrum Cardinalium Choris. Cantores vero, quum numero tum arte, nihil desiderandum relinquant.

III. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem Festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi, quum rariora quaedam Solemnia magno apparatu densaque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana Supplicatione post Beatificationem, aut dierum octo post Canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si Solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia Eñi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris Festi, velit Pontificalia exercere in Ecclesia sui Tituli, aut si cupiat Sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem Diaconis etiam Cardinalibus in propria Ecclesia competit, Ecclesiarum Rectores omnia et singula disponenda curent, iuxta praescripta superius.

IV. Ad Missam privatam in publicis Urbis Ecclesiis ne invitetur Patrum Cardinalium quisquam, sive ex ordine Episcoporum aut Presbyterorum, sive, etiam, posito privilegio, ex ordine Diaconorum, nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta Festi Solemnitas, quae Templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem sacrorum rituum praescriptis et Caeremoniarum regulis.

V. Eadem plane serventur, si quis Pater Cardinalis invitetur ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento. In eiusmodi ritu, ad quem etiam rarius erunt invitandi purpurati Patres, illud curae esto, ut Ministri sacri sint in aliqua Ecclesiae dignitate constituti; inferiores autem Clerici et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero, vel triduanas Supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis), non erunt invitandi quotidie Patres Cardinales; ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

Ceterum ad quaevis Solemnia Ecclesiarum Urbis Rectores ne invitent purpuratos Patres, nisi auditis prius Apostolicarum Caeremoniarum aut Praefecto aut Magistris.

VI. Absolutionis ritus, post Missam de requie ab Episcopo aut Presbytero celebratam, non est a Patre Cardinali ordinis Episcoporum aut Presbyterorum peragendus, nisi quum iusta funebria persolvantur aut Summo Pontifici, aut purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi, solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua Communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum, modo omnia accurate

serventur, quae supra dicta sunt, de Templi conditione, de Ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus.

VII. Haud par est, invitari Episcopos ad Pontificalia sive Missae sive Vesperarum, ubi nulla aequa suppetat ratio verae Solemnitatis, aut ibi non ante fuerit cautum diligenter, ne forte, peragendis iis ritibus, vel angustia loci obstet vel inservientium conditio vel impar numerus. Quapropter Sacra Congregatio monet omnes et singulos Ecclesiarum Urbis Rectores, ut, ad episcopalis dignitatis tutelam, quae circa solemniorem Festi rationem, Sacrorum Ministrorum aliorumque inserventium qualitatem et numerum superius praescripta sunt, ea convenienter aptent iis casibus, in quibus invitare Episcopum cupiant, sive ad Sacra illa Solemnia, sive etiam ad Missae privatae celebrationem, aut ad benedicendum populo cum Augustissimo Sacramento, aut ad huiusmodi alia.

Quae omnia a S. Congregatione Caeremoniali statuta et approbata in Comitiis habitis in Aedibus Vaticanis, die 23 mensis Maii, anno 1902, et per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationi Caeremoniali Praefectum relata ad SS̃mum D. N. Leonem XIII Pont. Max., Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit, die 30 eiusdem mensis et anni.

Aloisius Card. Oreglia a S. Stephano
S. Congr. Caerem. Praefectus.

L. ✠ S.

Ludovicus Grabinski
Secretarius.

II.

Decretum.

De iuribus et honoribus purpuratis Patribus adserendis in actis quibusdam, quae ad ipsorum munus ac dignitatem spectant, R. P. D. Franciscus Riggi, Apostolicis Caeremoniis Praefectus, Sacrae Congregationi Caeremoniali dubia proposuit quae sequuntur:

I. . . . .

II. Haud semel accidit ut Patres Cardinales electi Protectores, in solemnibus possessionis, pro simplici aulaeo, duobus a solo gradibus, usi sint throno proprie dicto, tribus a pavimento gradibus elevato superimposita umbella, seu peristromate. Contigit etiam, ut Cardinali Protectore Templum subeunte, decantata fuerit, quemadmodum in possessu Tituli, Antiphona: *Ecce Sacerdos magnus; Fidelis namque.* Denique ut idem Cardinalis Protector, in Ecclesia publica Confraternitatis aut religiosi Ordinis, palliolum, seu mantelletum, deposuerit.

Ad certam normam pro variis casibus constituendam quaeritur:

1. Utrum Patribus Cardinalibus, qui alicuius Ecclesiae Protectores a Summo Pontifice fuerint renunciati, cum plena in ipsam iurisdictione, memorata signa honoris, in solemni possessionis ritu, competant?

2. Utrum purpurati Patres, electi Protectores Ordinum regularium, Monasteriorum, Confraternitatum aliorumve Institutorum, possint, dum possessionem ineunt, in horum aedis aula maiori, vel in interiore Sacello, aut ad ianuam Templi vel adnexi publici Oratorii, excipi, cum cantu Antiphonae: *Ecce Sacerdos magnus;* vel *Fidelis namque?*

3. Utrum iidem Cardinales Protectores Ordinum regularium, Monasteriorum, Confraternitatum aliorumve Institutorum, possint in interiore aula religiosae domus vel Confraternitatis vel Instituti; aut etiam in Ecclesia vel publico Oratorio, thronum adhibere, triplici cum gradu, superimposita umbella, seu peristromate?

4. Utrum liceat iisdem palliolum deponere, et retecto suppari, seu rocheto et mozzeta, adstare in Ecclesia vel in publico Oratorio, si in alterutro locum habeat actus possessionis?

5. Purpuratis Patribus, qui a Summo Pontifice fuerint dati Protectores regnis. civitatibus, academiis aliisve, competantne peculiaris honoris aliqua signa?

III. Si contigua Ecclesiae aedes propria sit Cardinalis Titularis, eademque inhabitetur a religiosa Familia vel Instituto, subiecto alteri Cardinali, utpote Protectori, utri Purpurato liceat intra aedem ipsam incedere cum mozzeta tantum?

IV. 1. Utrum Cardinalis Protectoris collocari insignia, seu stemmata, possint super ianua domus aut Templi ad religiosam Familiam, ad Confraternitatem aliudve Institutum pertinentium?

2. Item, probandane sit consuetudo in Urbe recepta, ponendi super ianuis Templorum ad Confraternitates pertinentium

insiguia seu stemmata Primicerii, una cum stemmate Cardinalis Protectoris?

Super proposita dubia, auditis tribus Sacrae Congregationis Caeremonialis Consultoribus, Eminentissimi Patres, in Comitiis habitis die 23 mensis Maii, anno 1902, in Aedibus Vaticanis, ita respondendum censuerunt:

I. . . . .

Ad II. 1. Affirmative; 2. Negative, id est excluso cuiusvis Antiphonae cantu; 3. Ad primam partem affirmative: ad secundam negative; 4. Negative; 5. Negative.

Ad III. Competit utrique.

Ad IV. 1. Insignia, seu stemmata Cardinalis Protectoris super ianuas domus rite apponuntur. - Id ubi fieri nequeat, poterunt apponi super ianuas Ecclesiae, sed una cum stemmate Romani Pontificis, et nisi ratio habenda sit potioris iurisdictionis aut patronatus; 2. Negative.

Facta de his, per me infrascriptum Cardinalem S. Congregationi Caeremoniali Praefectum, relatione SSmo D. N. Leoni XIII Pont. Max., Sanctitas Sua omnia adprobavit et confirmavit, die 30 eiusdem mensis et anni.

Aloisius Card. Oreglia a S. Stephano
S. Congr. Caerem. Praefectus.

L. ✠ S.

Ludovicus Grabinski
Secretarius.

III.

Declaratio.

Propositum fuit Sacrae Congregationi Consistoriali dubium, utrum Episcopi, etiam in sacris functionibus, absque speciali indulto, uti possint privilegio deferendi pileolum violacei coloris, concesso a f. r. Pio IX per Apostolicas Litteras 17 Iunii 1867, incipientes *Ecclesiarum.*

Facta hac de re ab infrascripto Cardinali Secretario relatione SSmo Domino nostro, in Audientia diei 22 Aprilis 1910, Sanctitas Sua, de consultu etiam Sacrarum Congregationum de disciplina Sacramentorum ac Rituum, mandavit ut declaretur, eos posse, a die in qua a Summo Pontifice electi sunt, quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperint, idque dum Sacris operantur, non tamen a Praefatione usque ad susceptum Corpus et Sanguinem Christi Domini, ac dum divinis Officiis sacrisque ritibus intersunt.

Die 2 Maii 1910.

C. Card. De Lai
S. Congr. Consist. Secretarius.

L. ✠ S.

Scipio Tecchi
Adsessor.



INDEX GENERALIS

RERUM OCCURRENTIUM

IN DECRETIS SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS

PER SEXTUM VOLUMEN (APPENDICEM PRIMAM)

HUIUS AUTHENTICAE COLLECTIONIS

DIGESTIS

INDEX GENERALIS

RERUM OCCURRENTIUM IN DECRETIS SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS PER VI VOLUMEN (APPENDICEM PRIMAM) HUIUS AUTHENTICAE COLLECTIONIS DIGESTIS

A

Abbates (in genere).

Abbates Regulares diversorum Ordinum.

Absolutio super Tumulum.

Absolutio pro Defunctis, ad devotionem populi pro animabus Defunctorum fovendam, si adsit antiqua consuetudo, fieri potest, extenso panno nigro, loco tumuli; exceptis tamen Duplicibus primae classis, in quibus Absolutio et Responsorium *Libera* etc. neque habere locum poterunt private post absolutas vespere horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiant, numquam post Missam de die, cantatam vel lectam, nisi omnino independenter ab eadem; et si dicatur Officium Defunctorum, fiat Absolutio immediate post ipsum, et ante Missam de die. **4183** *et* **3780** *ad* 8.

Absolutio in cantu immediate post Missam lectam Defunctorum, a Rubricis et Decretis permissam, non prohibetur. Quod si lecta fuerit Missa diei currentis aut votiva, absolutio permittitur, exceptis duplicibus primae classis, dummodo non fiant post Missam, nisi omnino independenter ab eadem. **4215**. *Vide* **3780** *ad* 8 *et* **4183**. Idem ex gratia in casu particulari permissum fuit, attenta consuetudine, pro diebus Dominicis et Festis, cum iisdem clausulis. **4270**.

Vide **Color. Libera me, Domine.**

A cunctis (Oratio).

A cunctis: in hac Oratione in Ecclesia, cuius Titularis est B. V. Maria, poterit continuari praxis immemorabilis nominandi ad litteram N. Patronos principales civitatis et Dioecesis; ita tamen ut nominentur etiam in Officio in Suffragio de Sanctis. **4054** *ad* 5.

A cunctis: in hac Oratione exprimi possunt Sancti Patroni, in Ecclesiis, quae Sanctum Patronum vel Titularem habent. **4055** *ad* 3; et si Patroni sint paris dignitatis liturgicae, in iis nominandis servetur ordo Litaniarum, ita tamen ut nomen Sancti Patroni vel Titularis Ecclesiae ponatur post nomina SS. Apostolorum Petri et Pauli, nisi iuxta Rubricas Sanctis Apostolis, ratione dignitatis, anteponi debeat. **4055** *ad* 2 *et* 4.

A cunctis: in hac Oratione, quando Sacerdos celebrat in Ecclesia dedicata alicui Mysterio Divinarum Personarum, vel in Oratorio quod Titularem non habet, nominari debet Patronus loci, si in loco ubi Missa celebratur hucusque viguerit consuetudo faciendi de Patrono Commemorationem in Suffragiis. **4194** *ad* 9.

Vide **Titularis.**

Adventus vide **Color.**

S. Agnes.

In S. Agnetis secundo Missa, ad Communionem, post verba: *quaerenti bonas margaritas, inventa,* non addatur verbum *autem*. **4241** *ad* 2.

Alba.

In Albarum fimbriis et manicis, regulariter color fundi colorati respondere debet colori vestis et respectivae extremitatis manicarum, quo uti potest unusquisque Celebrans vel Minister. **4186** *ad* 3.

Altare (in genere).

Ab Altari cadavera tribus cubitis distare debent: et tres cubiti sunt fere unum metrum longitudinis. At S. R. C. ex gratia indulsit ut in Dioec. Vicen. celebrari valeat in Altaribus quae non longe distant a sepulturis, et in casu describuntur. **4082** *ad* 2, *et* **3944** *ad* 2.

Super Altari, praeter candelas ex cera, tolerari nequit ut habeatur etiam illuminatio ex *gaz,* et usus praedictus prohiberi debet. **4086**. Idem dicendum de illuminatione electrica, ob paritatem rationis, et sub iisdem circumstantiis. **4097**.

In Altaribus quae extant super cryptam, in qua sunt plura cadavera humata, ita ut Altare separatum sit a loculis mortuorum tantum per cameram lapideam ipsius cryptae, licitum est Missam celebrare, quamvis in linea recta sub Altari sint cadavera in pavimento cryptae. **4100** *ad* 5. *Vide* **3460** *ad* 2.

Super Altarium tobaleas nequeunt adhiberi corollae ligneae, quae Aras circumcingunt. **4213** *ad* 1. Quae corollae ligneae prohibentur non solum tempore solemnium Missarum et Vesperarum, sed etiam quocumque alio tempore, non obstante antiquissima consuetudine. **4253** *ad* 1; imo etiam si corollae praefatae sint ex metallo decenti coopertae, vel metallo totaliter confectae. *Ibidem, ad* 2.

Altaria mobilia ex ligno confecta cum lapide consecrato infixo in medio mensae tolerari possunt in Sacellis sepulcreti dummodo mensa solidis basibus adhaereat, et Altare ipsum in uno tantum loco stabiliter collocetur. **4220** *ad* 2.

Vide **Altare fixum. Candela. Crux** (in genere). **Missa** (in genere).

Altare fixum.

Altare fixum quod minus quam ad medietatem plenum est, et reliqua pars tabulae columnellis marmoreis nititur, quarum bases et partes superiores, seu capitella, sunt aeneae, licet aes non tangat immediate mensam Altaris: consecrari potest, si praefatae partes superiores aeneae columnellarum ad ornatum dumtaxat Altaris extent, ita ut unctiones a Pontificali Romano praescriptae fiant immediate super mensa et stipite lapideo eam sustentante; consecrari nequit, si mensa non sit immediate coniuncta cum stipite lapideo, nam ut altare fixum consecrari possit debet esse lapideum, et ut sit lapideum oportet, ut etiam in eius stipite saltem latera, seu columnellae quibus mensa sustentatur, sint ex lapide; servatis ceteris in Pontificali Romano praescriptis. 4073 *ad* 1. *Vide* 3364 *ad* 2.

Altare fixum quod in Consecratione Ecclesiae consecrari debet, potest esse Altare minus in eadem Ecclesia erectum, si Altare maius consecrari non possit. 4073 *ad* 2.

Altare fixum cuius tabula lapidea stipiti solummodo ex lateribus coctilibus erecto imponitur, non suppositis, uti praescriptum est, saltem columnellis lapideis quibus mensa sustentetur, consecrari non debet; sed si consecratum ex errore fuit, ad S. Sedem recurratur; S. R. C. Episcopo Linciensi de speciali gratia indulsit, ut Altaribus suprascriptis iam consecratis, addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis privatim iterentur, ut mensae cum iisdem stipitibus coniungantur; facta etiam potestate eidem Episcopo delegandi ad hoc aliquem Sacerdotem, si fieri potest in aliqua dignitate constitutum. 4075. *Vide* 3364 *ad* 2 *et* 3829 *ad* 1.

Quoad Altaria quaedam fixa, in quibus quamvis mensa constet ex lapide, huic tamen in extremitatibus adnexa quaquaversus et coniuncta fuit, ante vel post consecrationem ignoratur, corona ex marmore, quare fit ut mensa non sit reapse ex uno lapide: S. Sedes in casu speciali sanavit defectum, quatenus opus fuerit. Quoad alia Altaria, quae sunt quidem ex uno lapide confecta, sed minime innituntur neque super basim lapideam, neque super quatuor saltem columnas lapideas, cum quibus mensa connecti possit per unctionem: S. Sedes in casu speciali indulsit, ut illis quamprimum addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae, cum prolatione verborum formae, in singulis privatе ab Episcopo fiant, ut mensa cuiusque Altaris cum iisdem stipitibus coniungatur. 4145.

Altaria fixa ex duobus lapidibus, coemento coniunctis, constans, non sunt valide consecrata, sed consideranda sunt ut execrata; et si commode Altarium consecratio cum mensa ex unico et integro lapide fieri nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur, ad instar Altaris portatilis. 4191 *ad* 1. *Vide* 2862 *ad* 1, 3725 et 3750. Invalide consecratum fuit Altare maius fixum constans ex tribus lapidibus coemento coniunctis, ita ut media maior pars sit ex marmore, duae aliae laterales partes ex petra arenaria; et media maior pars ex marmore nequit adhiberi tanquam Altare portatile. 4191 *ad* 2.

Altari fixi titulus nequit commutari cum alio titulo, auctoritate tantum Ordinaria, absque Indulto Apostolico; neque loco imaginis tituli collocari potest super Altare alia imago. 4191 *ad* 3. Imagines in vitris fenestrarum (licet retro post Altare) depictae nihil cum Altari commune habent, et tituli imago super Altare absolute non praecipitur. Si tamen quaedam esset apponenda Altari fixo imago, tituli apponatur. *Ibidem ad* 4.

Altaris fixi in casu speciali consecratio valida declaratur. 4204.

Altare uti fixum consecrari potest, si undequaque per se stat, et cuius mensa marmorea sustentatur a quatuor columnellis item marmoreis; subtus vero est omnino vacuum, nec destinatur ad recipiendam arcam ligneam paramentis asservandis: dummodo quatuor columnellae talem soliditatem exhibeant, qua Altare nullimode moveri possit. 4225 *ad* 1. et in casu unctio Chrismatis, praescripta in fronte Altaris, fiat, in modum Crucis, in fronte, seu in medio spissitudinis anterioris mensae. *Ibidem ad* 2.

Quoad Altaria uti fixa consecrata, quorum mensa ex pluribus lapidibus simul iunctis constat: S. Sedes gratiam sanationis in casu particulari concessit, dummodo sepulcrum sit integrum ex lapide. 4227 *ad* 1. Quoad similia Altaria cum mensa item ex pluribus partibus composita, sed in cuius medio extat lapis quadratus, vulgo *Pietra Sacra,* S. Sedes respondit: Orator acquiescat. *Ibidem ad* 2. Altaria consecrata uti fixa, quorum mensa in medio nititur super basi ex muro vel ex coctis lateribus, quae in centro continet Sacras Reliquias, ad normam iuris reducantur, vel per

parvum lapidem consecratum, vel (si nullum in Ecclesia consecrata sit Altare fixum) per totius mensae cum stipitibus Consecrationem. *Ibidem ad* 3.

Vide **Consecratio Altaris.**

Altare portatile vide **Altare** (in genere). **Altare fixum. Consecratio Altaris.**

Anniversaria pro Defunctis (in genere).

In Anniversariis stricte sumptis, quae fundata sunt extra diem vere anniversariam ab obitu vel depositione, potest sumi Oratio *Deus indulgentiarum, Domine.* **4096** *ad* 3.

In Anniversario seu pro Officio generalissimo Omnium Defunctorum Ordinis Seraphici et pro Anniversario Omnium Parentum ritus duplex est retinendus; et alia tria Anniversaria, sic vocata, in Ordine celebrari solita, fieri possunt sub ritu duplici. **4141** *ad* 8.

Anniversarium fundatum pro anima sua a Ven. Servo Dei Francisco Iosepho Rudigier, commutatur in Missam solemnem de SS. Trinitate pro felici exitu Causae Beatificationis et Canonizationis, postquam Summus Pontifex signavit Commissionem Introductionis eiusdem Causae. **4184.**

Anniversarium pro Defuncto Episcopo.

Quoad Anniversarium pro Defuncto Episcopo casus specialis resolvitur. **4223.**

Anniversarium electionis seu translationis Episcopi.

Anniversarium electionis seu translationis Episcopi, ad effectum Missae seu Collectae respondentis, iuxta Caerem. Episc., lib. 2, cap. 25, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum est a die publicationis Consistorialis; quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enunciationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium computandum est; tandem dies anniversarius electionis seu translationis Episcopi Coadiutoris cum futura successione, relate ad Missam ipsam seu Collectam, cessante Coadiuti munere et adveniente Coadiutoris successione, item a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum, quibus nominatus fuit Coadiutor cum futura successione, computandus est. **4254.** Si Sedes Cathedralis ad Archiepiscopalem evehitur, et qui Episcopus erat evehitur ad dignitatem Archiepiscopalem, celebrandum est Anniversarium evectionis ad Archiepiscopatum. **4258.**

Annuntiatio B. Mariae V. vide **Et incarnatus est.**

Apostoli.

SS. Apostolorum omnium Commemoratio, quae die 29 Iunii fit, ex Apostolico Indulto, in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa: facienda est etiam, eodem die 29 Iunii, in primis Vesperis Commemorationis S. Pauli Apostoli in Ecclesia propria, sub ritu duplici primae classis celebrandae, post Commemorationem S. Petri et ante alias Commemorationes. **4059** *ad* 1.

Aspersio Aquae benedictae.

Aspersio Aquae benedictae nequit dari Choro per contactum ; Oratio post aspersionem dici debet ante Altare ab eo qui fecit aspersionem; Celebrans et Ministri, si ex Rescripto S. Sedis in Sacristia sistunt, dum Sacrista vel Caeremoniarius facit aspersionem, aspergendi non sunt, sed ad Ecclesiae ingressum, iuxta morem, accipiant Aquam benedictam. **4100** *ad* 2. *Vide* **2013** *ad* 2, 3, 4 *et* **1122.**

Si ad aspersionem Aquae benedictae Celebrans, ob specialia locorum adiuncta, a latere Evangelii et a pedibus Altaris (sese ad aspergendum vertens) non elongetur, genuflexionem (si SS. Sacramentum in Tabernaculo reperiatur inclusum) ac reverentiam, ad Altare reversus omittit, ad mentem Decreti 4027 ad 2 et 3. **4198** *ad* 4.

Vide **Benedictiones** (in genere). **Praelati Episcopo inferiores. Sabbatum Sanctum.**

Asteriscus.

Ad asteriscum in Officio pausa omnino est servanda, etiamsi sine cantu fiat; non obstante quacumque in contrarium consuetudine. **4067** *ad* 5.

B

Baptismus.

In Baptismo administrando usus instrumenti cuiusdam ad ungendos pueros baptizatos non permittitur, nisi necessitatis causa: non obstante consuetudine; et serventur Rituale et Decreta. **4077** *ad* 8. *Vide* **3051** *ad* 2, *et* **3276** *ad* 1, 3 *et* 4.

S. Barnabas.

S. Barnabae Apostoli Festum et Officium in occurrentia et concurrentia cum Festis et Officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, ceteris paribus, est praeferendum ratione dignitatis Apostolicae. **4080**.

S. Bartholomaeus.

S. Bartholomaei Apostoli Festum, etiam ab iis qui Calendario urbis Romae proprio ex Rescripto utuntur, celebrari debet die 24 vel 25 Augusti, prout in Dioecesi vel regione, ubi versantur, moris est; et hoc ex causa feriationis, quae, licet reducta, omnimodam uniformitatem ab universo eiusdem Dioecesis vel regionis Clero, etiam circa diem, in celebrando Festo requirit. **4236** *ad* 2.

S. Bedas Venerabilis.

Pro Festo S. Bedae Venerabilis Lectiones pro universali Ecclesia approbatae, debent recitari etiam utentibus Breviario Monastico, licet iampridem aliae Lectiones concessae fuerint pro Ordine S. Benedicti. **4159** *ad* 1.

Benedicere.

Benedicendi consuetudo servari potest; qua Sacerdos superpelliceo et stola indutus, post Litanias et Preces ad Altare recitatas, ascendit super gradus Altaris et benedicit populum, signum Crucis super illum formans, his verbis: *Benedictio Dei omnipotentis*, etc., ut fit post Communionem datam fidelibus extra Missam. **4081** *ad* 1.

Benedictiones (in genere).

Benedictio domorum, Sabbato Sancto praescripta, nequit ob extensionem paroeciae fieri horis vespertinis Feriae VI in Parasceve, neque obtineri potest relativum Indultum; sed in casu Benedictio domorum poterit fieri durante hebdomada Octavae Paschatis. **4108** *ad* 1 *et* 2. *Vide* **3645** *ad* 2.

Benedictio domorum in Sabbato Sancto est de iuribus parochialibus. **4108** *ad* 3.

Benedictio cum Indulgentia plenaria, si in Brevi edicitur ut in fine concionum fiat cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam, fiat cum unico signo Crucis cum Crucifixo, adhibita formula: *Benedictio Dei* etc. **4265** *ad* 3.

Benedictio campanae vide **Campana**.

Benedictio Fontis Baptismalis.

Quoad Benedictionem Fontis Baptismalis Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes Parochus, qui, deficiente Clero, duas Parochias regit, vel filialem habet cum Fonte baptismali de iure, et nullum invenit Sacerdotem cui Benedictionem Fontis in secunda Ecclesia praefata committat: posita vera necessitate deficientiae Sacerdotis, super quo conscientia Parochi onerata maneat, idem Parochus de benedicta Aqua ex principali Paroecia asportet in aliam. **4057** *ad* 1.

Benedictio Fontis Baptismalis, eaque absoluta, effusio Aquae in piscinam, illicita est in Ecclesia Cathedrali, quae non sit Parochialis, nec habeat Parochum cum proprio territorio; non obstante prisca consuetudine. **4250** *ad* 1.

Vide **Candela**.

Benedictio nuptialis.

Benedictio nuptialis, prout in Missa pro Sponso et Sponsa, nequit impertiri extra Missam, non obstantibus specialibus adiunctis. **4232**.

Si Benedictionem nuptialem Sponsi petierint cessato tempore prohibito, quo nuptiae celebratae fuerunt, non est necessario eligendus dies in quo Missa votiva pro Sponsis dici possit, sed in casu Benedictio nuptialis impertiri potest infra Missam, puta de Festo duplici II classis, cum Commemoratione pro Sponsis. **4269** *ad* 6.

Ad Benedictionem nuptialem impertiendam post tempus feriatum coniugibus antea Matrimonio iunctis, necessaria est praesentia amborum, nec sufficit solius Sponsae. **4269** *ad* 7.

Benedictio cum SS. Sacramento vide Expositio et Repositio SS. Sacramenti.

Benedictus.

Benedictus in Missa solemni cani nequit ante elevationem, sed canendum est peracta elevatione. 4243 *ad* 6.

Breviarium.

In Breviario Romano nova Psalterii dispositio; Constitutio Apostolica Pii Pp. X. 4279.

C

Cadavera vide Exequiae. Sacerdos.

Calendarium.

Calendarium Romano-Seraphicum possunt adhibere non solum Tertiarii utriusque sexus, divinum quotidie recitantes Officium: sed id ex instituto competit etiam Tertiariis Officium Deiparae parvum aliasque Preces dumtaxat persolventibus; idemque Calendarium adhibeatur in horum Ecclesiis et Oratoriis. 4132 *ad* 1. Eodem Calendario uti possunt Sacerdotes Tertiarii, etiamsi alicui Ecclesiae canonice mancipati sint, dummodo Choro non teneantur. *Ibidem ad* 2. Ibidem Sacerdotes Tertiarii alicui Ecclesiae canonice adiuncti, in Festis Patroni principalis, Tituli ac Dedicationis Ecclesiae, tam propriae quam Cathedralis, necnon quibus diebus debent Missam applicare pro populo, tenentur in Officio et Missa sequi Calendarium Dioecesis, prouti Fratres Primi Ordinis; ac deinde, recurrente iuxta Calendarium Minoriticum aliquo Officio, secundum Ordinem dioecesanum iam recitato, nequeunt se conformare Calendario Romano-Seraphico: sed habita ratione huiusmodi Officiorum de praecepto, debent, prouti fit in Primo Ordine, impeditorum Festorum repositionem seu translationem (si translationis iure gaudeant) disponere. *Ibidem ad* 3.

Si Calendario Congregationis Religiosae, ad quam pertinent Moderatores et Directores Seminarii, ex Indulto alumni omnes Seminarii se conformare tenentur: omnes Sacerdotes qui, studiorum causa, sunt alumni Seminarii se conformare tenentur praefato Calendario, etiamsi plurimi ex praefatis alumnis (specialem cathegoriam constituentes) certae vivendi disciplinae, minus strictae, subiecti sint, et extra Seminarium (secus ac reliqui alumni) in Ecclesiis diversis Missam celebrent; exceptis tamen Presbyteris beneficiatis, qui tenentur sequi Calendarium propriae Ecclesiae. 4194 *ad* 8.

Calendario Monialium exemptarum, non vero dioecesano, standum est in Ecclesia parochiali, ad cuius monasterium praefatae Moniales de licentia Episcopi se receperunt: quum in Choro Ecclesiae Officium divinum ipsae publice peragant. 4233.

Calendarium urbis Romae proprium ex Rescripto sequentes, quomodo Officia quaedam ordinare debeant indicatur. 4236 *ad* 1 *et* 2, *et* 3694 *ad* 1.

Calendarium Regularium nequit adhiberi in Sacello Nosocomii, licet Nosocomium extructum fuerit a Parocho Regulari, eius administratio, iuxta statuta suae fundationis, penes Parochum pro tempore Ecclesiae Regularis resideat, et unus ex Regularibus quotidie ibidem Missam celebret. 4248 *ad* 1.

Calendarium Regularium recte adhibetur in Ecclesia municipali, quae fuit adnexa Ecclesiae Parochiali Regulari, dummodo sit filialis praefatae Ecclesiae Parochialis, vel Ordini aut Congregationi Regulari sit concredita. 4248 *ad* 2.

Calendarium Regularium nequit adhiberi in Sacello principali publico vel semipublico domus Sororum scholis addictarum, licet Regulares ibidem sacras functiones peragant, et tam Sororum quam puellarum in ipsa domo degentium curam spiritualem habeant; in alio autem Sacello eiusdem domus, utpote privato, recte adhibetur in casu Calendarium Regularium. 4248 *ad* 3. Vide 3862 *et* 3910.

Calendarium Regularium in Missis sequendum est in Ecclesia Parochiali quam Regulares administrant, si Paroecia sit Monasterio vel Domui Religiosae incorporata, aut eiusdem Monasterii seu Domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, vel Communitas apud ipsam Parochialem Ecclesiam divina peragat Officia, secus item in Missis Calendarium dioecesanum semper servetur; iuxta Decr. 4051 ad 2 et 3 et 4248. 4252.

Calendarium cuiusque Ecclesiae particularis respective redigatur super Calendario Dioecesis vel Ordinis aut Congregationis. 4264, servatis tamen novis Rubricis de translatione aut repositione. 4279. *Vide* 3919 *ad* 16.

Vide Missa in aliena Ecclesia vel Oratorio publico.

Campana.

Pro campana ad usum sacrum benedicenda brevior ritus approbatur. Haec Benedictio ab Episcopo vel ab aliis facultatem habentibus facienda est; et quod attinet ad Ecclesias consecratas, in Benedictione signi vel campanae curandum omnino est ut servetur ritus Pontificalis Romani. **4211.** *Vide* 3770.

Candela.

Candelae super Altaribus ponendae, attenta asserta magna difficultate, vel veram ceram apum habendi, vel indebitas cum alia cera commixtiones eliminandi, poterunt licite non esse omnino et integre ex cera apum, sed poterunt esse commixtae cum alia materia seu vegetali seu animali. Episcopi tamen pro viribus curent, ut cereus paschalis, cereus in Aqua baptismali immergendus, et duae candelae in Missis accendendae, sint ex cera apum, saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaria ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re Parochi aliique Rectores Ecclesiarum et Oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati Sacerdotes, Missam celebraturi, de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur. **4147.** Quoad illuminationem electricam, **4097**, **4206** *et* **4210** *ad* 1, aut ex gaz. **4086.**

Candelae Altaris ita sunt accendendae, ut incipiatur ab illa, quae Cruci proximius reperitur, in cornu Epistolae, postea, servato ordine, reliquae duae in eodem cornu existentes; ac deinde accenduntur reliquae candelae in cornu Evangelii extantes, incipiendo item ab ea, quae Cruci propior est, usque ad ultimam in eodem cornu oppositam. In extinguendis candelis ordo invertitur, atque incipitur a cornu Evangelii, a candela, quae a Cruce remotior est, ad illam, quae propior; dein vero a parte Epistolae, eadem regula et eodem ordine servato. **4198** *ad* 9. In Matutinis Tenebrarum in extinguendis cereis servetur Caerem. Episc., lib. 2, cap. 22, n. 11. *Ibidem.*

Praeter candelas praescriptas, sive in Missa, sive in Benedictionibus cum SS. Sacramento, aliae candelae ex *stearina* intra ambitum Altaris tolerari nequeunt, non obstante consuetudine et peculiaribus circumstantiis; et standum Decretis, praesertim recentioribus, ad rem datis, nn. 4097 et 4147. **4257** *ad* 5. *Vide* **2865** *et* **3376** *ad* 3.

Vide Altare (in genere). **Expositio et Repositio SS. Sacramenti. Lux electrica. SS. Sacramenti asservatio.**

Canonici quoad associationem vide Episcopus quoad Missam aliasque functiones.

Canonici honorarii.

Canonici honorarii aequiparandi sunt Canonicis titularibus, quoad usum insignium, iuxta 3393 et 4154. **4187.**

Canonici quoad Officium et Missam aliasque functiones ecclesiasticas.

Canonicus Theologus, Sacram Scripturam populo explicaturus, debet Benedictionem ab Episcopo pontificaliter celebrante vel adsistente petere, prout praescribitur in Caerem. Episc. de Canonico concionatore inter Missarum solemnia. **4208.**

Canonici Regulares.

Canonicorum Regularium familia, quae regitur auctoritate Abbatis Congregationis, nequit in propria Ecclesia erigere et servare continuo Thronum cum baldachino; et serventur Decreta. **4062** *ad* 3.

Cappellanus vide Clericus.

Capuccini (Fratres Minores).

Capuccini non tenentur ad observantiam Caeremonialis Episcoporum quoad materiam, saltem ex aurichalco aut cupro aurato, tum candelabrorum, tum Crucis Altaris, sed observent Constitutiones Ordinis a S. Sede approbatas. **4115** *ad* 1.

Vide **Ordo Minorum S. Francisci.**

Cardinalis.

Cardinalibus ordinis presbyteralis ac diaconalis, episcopali charactere non insignitis, conceditur usus Crucis pectoralis. **4160.**

Pro Cardinalium decore, normae in Officiis sacris ab iis persolvendis statuuntur. **4284**, **I** *et* II.

Carmelitae Antiquae Observantiae vide Ritus.

Cathedralis.

Cathedralis Ecclesiae Festum Titulare, etiam extra ipsam Cathedralem, est Festum primarium. **4249** *ad* 2. Idem dicatur dė Anniversario Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etiam extra ipsam Cathedralem: quum haec

Ecclesia omnibus e Clero sit propria aut ratione Beneficii, aut ratione subiectionis, etiam pro Regularibus. *Ibidem ad* 3.

Celebrans.

Non Celebranti cuilibet, sed soli Episcopo vel Praelato, licet genuflexo manere super pulvinari in intimo gradu Altaris, 4268 *ad* 9.

Cereus Paschalis.

Cereus Paschalis Sabbato Sancto ita poni debet, durante Praeconio paschali, ut Crux non populum respiciat, sed latus Epistolae, in quo Celebrans reperitur; sed post Praeconium Crux eadem semper populum respiciat. 4198 *ad* 7.

Vide **Candela.**

Chorus.

In Choro tamquam praesentes habeantur, mutato officio, Dignitates seu Canonici, Beneficiatl, aliique Chorales omnes, qui sive conficiendis Processibus, tum Ordinariis, tum Apostolicis, in Servorum Dei ac Beatorum Causis, operam navant, sive uti testes vocati fuerint: et ideo omnia percipiant emolumenta, etiam eventualia. 4140. Indultum concessum quibuscumque Choro addictis, qui operam praestant conficiendis Processibus tum Ordinariis tum Apostolicis, in Causis Servorum Dei, vel adsunt uti testes, est intelligendum de diebus in quibus assistunt iisdem Processibus, iuxta Decreta, ac terminos et sensum Decretorum. 4216. Inter emolumenta ab iisdem percipienda comprehenduntur etiam *falle,* non obstante antiqua et immemoriali consuetudine. 4237.

Dum in Choro canitur *Prima,* nequit celebrari una Missa lecta in Altari maiori, quod est etiam chorale, non obstante consuetudine; et serventur Rubricae. 4144 *ad* 1.

Vide **Missa (in genere). Missa coram SS. Sacramento exposito. Missa solemnis. Officium quoad recitationem tam privatam, quam in Choro persolvendam. Reliquiae quoad Benedictionem et Expositionem. Vesperae quoad ritum.**

Clericus.

De Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani ministrante. 418I.

Clerici prima tantum Tonsura initiati, ad mentem Decr. 4181, tangere possunt vasa sacra et lintea sacra, ac Calicem praeparare in sacristia, absque speciali Indulto. 4194 *ad* 1.

Color.

Coloris rosacei paramenta adhiberi possunt Dominica III Adventus et Dominica IV Quadragesimae, non tantum in Missa solemni, sed etiam in Missis privatis et in Officio de Dominica. 4084 *ad* 3.

Color violaeeus adhibendus est in Missa votiva de Fidei Propagatione, in Dioecesibus et a personis quibus concessa est. 4116.

Color panni emortualis esse debet niger, ornamenta autem eius sobria sint oportet. 4165 *ad* 5.

Vide **Paramenta.**

Commemoratio (in genere).

Commemoratio Festi simplicis primarii debet praecedere Commemorationem Festi simplicis secundarii occurrentis. 4120 *ad* 1.

Commemoratio SS. Sacramenti omittitur in Missa privata durante Expositione ex causa privata. 4120 *ad* 7.

Communio (in genere).

Communio Christifidelibus ministranda est tantummodo a tempore ad tempus quo Missa celebrari permittitur: non vero ultra praedictum tempus, nempe usque ad occasum solis. In die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel Iubilaeum, Communio ministrari potest a tempore ad tempus quo in illa Ecclesia Missae celebrantur; vel ad formam Rubricae, vel ad formam Indulti eidem Ecclesiae concessi. 4136 *ad* 1. *Vide* 2572 ad 23.

Communio nequit administrari, etiam data rationabili causa, a Sacerdote, sacris vestibus Sacrificii induto, ante vel post Missam solemnem aut cantatam aut etiam Conventualem. 4177 *ad* 3.

Communio administrari potest in Oratoriis privatis, per Indultum obtentis, iis omnibus Christifidelibus, qui Missae adsistunt; et haec facultas inclusa intelligitur Indultis Oratorii privati; salvis iuribus parochialibus. 4201.

Communio administrari potest intra presbyterium et in ora suppedanei Altaris laico Missae inservienti, etiamsi non sit indutus habitur clericali. 4271 *ad* 1.

Communio extra Missam.

Post Communionem ante Missam (non de Requie) administratam, Benedictio dari debet, cum formula solita *Benedictio* etc., etiamsi certo constaret, communicantes ante Missam usque ad eiusdem finem esse mansuros, ideoque Benedictionem recepturos. 4257 *ad* 7. *Vide* 3792 ad 10.

Communio infirmorum.

Communionem infirmo distribuens Sacerdos semper dicere debet *Misereatur tui* etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione, aut ad implendum praeceptum paschale. Intra Missam vero, si Sacerdos in Altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri* etc. Minister infra Missam, in casu, *Confiteor,* et Celebrans *Misereatur,* dicere debent ad Altare more solito, non vero prope infirmum. 4193 *ad* 4.

Vide **Viaticum.**

Communio intra Missam.

Communio in Missis de Requie solemnibus sive cantatis, iuxta praxim Urbis, distribui non solet, sed ubi ex rationabili causa distribuenda foret, Diaconus dicet *Confiteor* tantum alta voce, non cantando. 4104 *ad* 2. Alias in Missis solemnibus dicatur alta voce vel cantetur, iuxta consuetudinem; sed in Missa pontificali canatur. *Ibidem.*

Vide **Communio** (in genere). **Episcopus quoad Missam aliasque functiones.**

Conclusio Hymnorum.

Conclusio Hymni in secundis Vesperis Festi SS. Simonis et Iudae Apostolorum, debet esse *Iesu, tibi sit gloria,* si in iisdem Vesperis facienda sit Commemoratio Officii praedicta conclusione propria praediti, et in crastina die celebrandi. 4078 *ad* 2.

Conclusio Hymni propria, in concurrentia duorum Festorum, nempe Domini nostri et B. Mariae V., habentium conclusionem propriam: de illo Festo recitanda erit, de quo Vesperae integrae dicuntur, immo, si agatur de diversis mysteriis Domini, etiam de quo fit a Capitulo. 4079 *ad* 3.

Conclusio Orationum.

Conclusio Orationis Missae votivae de Passione D. N. I. C. et Postcommunionis Missae Lanceae et Clavorum D. N. I. C. dicenda est: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre.* 4262 *ad* 7.

Concurrentia.

In concursu Festi S. Laurentii martyris cum Festo SS. Iusti et Pastoris, dupl. II classis in Hispania: S. Laurentius debet habere Vesperas integras cum Commemoratione praedictorum Martyrum. 4057 *ad* 4.

In concursu Festi Sanctae Familiae Nazarenae cum Festo SSñae Coronae Spineae, Vesperae dividantur iuxta Rubricas. 4068.

In concursu Commemorationis solemnis S. Ioseph cum Festo S. Benedicti apud Benedictinos, Vesperae erunt de S. Ioseph cum Commemoratione S. Benedicti. 4074 *ad* 2.

In concursu Festi duplicis cum die infra Octavam, Commemoratio sequentis diei infra Octavam (de qua fiet Officium) primo loco habeatur, et ante alias Commemorationes. iuxta Decr. 3843; et Commemoratio diei infra Octavam concurrentis sumatur e primis Vesperis. 4219 *ad* 1.

In concursu Festi duplicis vel semiduplicis, quod Feria VI post Octavam Ascensionis recolitur, cum Festo ob Vigiliam Pentecostes simplificando, fiat primo loco Commemoratio concurrentis Vigiliae, sumendo eamdem Commemorationem e primis Vesperis 4219 *ad* 2.

In concursu duorum Ecclesiae Doctorum, quorum eadem est Oratio *Deus, qui populo tuo,* si fiat Commemoratio Sancti Doctoris Episcopi, potius eligenda est Oratio *Exaudi,* de Communi Confessorum Pontificum. 4238 *ad* 2.

Confraternitates vide **Praecedentia.**

Consecratio Altaris.

Consecrari Altare iterum debet, si eiusdem Reliquiae non lapide, sed caemento obtectae sunt; sed interim ex speciali gratia S. R. C. permisit in Dioecesi Vicen. celebrationem Missae in enunciatis Altaribus, simulque indulsit ritum formulamque breviorem, pro nova Consecratione ab Episcopo, vel per se, vel per simplices Sacerdotes delegandos peragenda, cum substitutione operculi lapidei, ubi opus est, alteri ex caemento. Reliquiae autem, quae in praedictis Altaribus inveniun-

tur, licite apponi possunt in nova eorum consecratione, si nullum dubium de earum authenticitate exoriatur. 4082 *ad* 1. *Vide* 3585.

In Consecratione Altarium, loco calcis et sabuli, quae a Pontificali Romano indicantur, adhiberi potest gypsum, caementum, vel quid simile; et in casu Oratio analoga est immutanda. 4165 *ad* 1.

Pro valida Consecratione Altaris fixi aut portatilis sufficit, ut in sepulchro includantur Reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel unius solummodo Martyris; et non est ad validitatem necessarium, ut in sepulcro deponantur Reliquiae plurimorum Martyrum. 4180 *ad* 3.

In Consecratione Altaris, cuius mensa habebat sex Cruces, nempe quatuor in angulis, quintam in medio, et sextam supra lapidem quo clauditur sepulcrum Reliquiarum, signandae erant cum Aqua et ungendae cum sacris Oleis primae quinque Cruces, non vero primae quatuor et sexta. 4244 *ad* 2. Hoc valet etiam pro Altaribus portatilibus. *Ibidem ad* 3. At respondetur Oratori ut acquiescat in casu, quo signatae fuerunt cum Aqua primae quinque Cruces mensae Altaris, at cum sacris Oleis tantum primae quatuor et sexta, omissa quinta. *Ibidem ad* 1.

In Consecratione Altarium portatilium Episcopus consecrans potest adiuvari a Sacerdotibus in Crucibus ex incenso formandis et candelis imponendis. 4244 *ad* 4.

Vide **Altare** (in genere). **Altare fixum.**

Consecratio Ecclesiae.

Consecratio Ecclesiae constructae ex ligno, etiamsi perpulchre interius exteriusque ornatae, vetita est; et dicta Ecclesia benedicatur solemniter iuxta Rituale Romanum. 4094.

Consecratio Ecclesiae, constructae vel construendae ex materia quae *caementum armatum* nuncupatur, licita est, adhibita forma et ritu Pontificalis Romani: dummodo duodecim Crucium loca, et postes ianuae principalis, sint ex lapide. 4240.

Conventuales (Fratres Minores) vide **Ordo Minorum S. Francisci.**

Sanctissimi Corporis D. N. I. C. Commemoratio solemnis.

Ante SS. Corporis D. N. I. C. solemnem processionem, impedito Episcopo, nequit Canonicus senior celebrare Missam lectam, sed tenetur cantare. 4062 *ad* 2.

SS. Corporis D. N. I. C. solemnitas externa celebrari potest in Ecclesiis particularibus Archidioecesis Compostellanae, iuxta quoddam Indultum. 4152.

Vide **Processio cum SS. Sacramento.**

Credo.

Credo. in Missa recitari debet, etiam quando Reliquiae insignes Sanctorum, de quibus Festum agitur, in Ecclesia non exponuntur. 4186 *ad* 2.

Credo in Missa Conventuali de Duplici vel Semiduplici, extra Dominicam, omittitur, quando diebus infra Octavas B. Mariae V., praefato Officio duplici vel semiduplici impeditis, Missa de Octava (loco votivae de Immaculata ex privilegio concessae) solemniter, vel in cantu, vel Conventualis instar celebretur: quum in Missa Conventuali de Duplici vel Semiduplici Commemoratio Octavae per se excludatur, ne bis solemniter fiat de eodem Officio occurrente, et *Credo* in Missa Conventuali de Duplici vel Semiduplici tantummodo ratione Octavae requiratur; hinc de Octava in casu nulla ratio habenda est. 4192 *ad* 2. *Vide* 4116 *ad* 2. *et* 2319 *Reliqua dubia ad* 26.

Credo dicendum est in Festis etiam secundariis Patronorum Dioecesis, Patroni principalis, Titularis Ecclesiae, et Fundatoris Ordinis seu Congregationis regularis, si ritu saltem duplici minori gaudeant. 4192 *ad* 4. *Vide* 2484 *et* 3249 *ad* 1.

Credo dicendum est apud Regulares, sicut in Festo, ita et infra Octavam Patroni principalis, quae apud eosdem Regulares iam alio titulo seu causa celebratur; ita nempe ut apud eosdem Regulares debeat per totam Octavam Nativitatis S. Ioannis Baptistae in Missa *Credo* recitari, si ipse Sanctus sit praecipuus loci Patronus, vel etiam si de ipso Reliquia insignis asservetur. 4212.

Vide **Et incarnatus est. Missa cantata. Missa votiva** (in genere). **Octava** (in genere). **Titularis.**

Crux (in genere).

Crux collocetur inter candelabra, numquam ante ostiolum Tabernaculi. Potest etiam collocari super ipsum Tabernaculum, non tamen in throno ubi exponitur SS. Sacramentum. 4136 *ad* 2.

S. Crucis Lignum seu Reliquia.

Cum S. Crucis Reliquia Processio, quae in Ecclesia Cathedrali de Queretaro fit diebus solemnibus intra muros Ecclesiae immediate ante Missam Conventualem, continuari potest, sed Canonicus Celebrans pluviali indutus deferat S. Reliquiam, et cum ea, non prope Ecclesiae ianuas, sed reversus ad Altare maius populum benedicat; neque canatur Hymnus Vesperarum occurrentis Festivitatis, neque Versiculus et Oratio Beatae Mariae Virginis. 4100 *ad* 1. *Vide* 2324 *ad* 1.

S. Crucis Reliquia et Reliquiae Sanctorum nequeunt in eadem theca includi atque exponi super parvo throno, corona in parte superiore ornato; et Reliquia S. Crucis includatur et exponatur in theca separata. 4186 *ad* 1.

S. Crucis Reliquia exposita, quoad reverentias servanda sunt Decreta 2324, 2722 et 3201 ad 7, non obstante longaeva consuetudine. 4243 *ad* 1.

Vide **Feria VI in Parasceve.**

SS. Cyrillus et Methodius.

Pro SS. Cyrillo et Methodio dies 7 Iulii est quasi natalitia. 4269 *ad* 2.

D

Dedicatio Ecclesiae.

Festum Dedicationis Ecclesiarum obligatio celebrandi, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, per Decretum Cardinalis Caprara imposita omnibus Ecclesiis Gallicanis, extenditur ad omnes regiones decursu temporis Galliae subiectas, sine ulla praevia concessione S. Sedis, vel expressa declaratione Praelati ecclesiastici, sive sint Ecclesiae consecratae, sive tantum benedictae, iuxta Decretum Cardinalis Legati Caprara pro reductione Festorum, d. 9 Apr. 1802 et Decr. 3863 *ad* 3. 4155 *ad* 1. Praefata autem lex urget etiam illos Sacerdotes, qui, in regionibus Galliae subiectis degentes, proprio Calendario gaudent, diverso a Calendario Vicariatus vel Dioecesis: nisi Indultum obtentum fuerit a S. Sede, celebrandi Aniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis sive Societatis, die diversa ab illa in qua Clerus saecularis celebrat Dedicationem omnium Ecclesiarum. *Ibidem ad* 2. *Vide* 3861 *ad* 1 *et* 3925 *ad* 5.

Vide **Cathedralis.**

De profundis vide Exequiae.

Diaconus.

Diaconus et Subdiaconus tenentur se Celebranti conformare quotiescumque hic se signat vel inclinat, tempore quo aliquid cantat vel clara aut submissa voce profert in Missa solemni iuxta Rubricam, quod ad *secreta* non pertineat; nempe ad Confessionem, ad Introitum, ad *Gloria* et *Credo,* ad Epistolam et Graduale, ad Evangelium, ad *Sanctus* et *Benedictus,* excepto quando Celebrans recitat *Confiteor,* et etiam excepto Subdiacono patenam sustinente ad *Benedictus.* 4057 *ad* 5.

Diaconus deferre debet librum Evangeliorum in medio Altaris; ita enim interpretanda sunt verba Rubricae: « Delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare ». 4077 *ad* 3.

Diaconus, ratione ministerii sui, potest, etiam praesentibus Sacerdotibus, et extra casum necessitatis, SS. Sacramentum de uno Altari ad alterum deferre. 4194 *ad* 3.

Vide **Missa solemnis.**

Dignitas prima.

Dignitati primae vel unicae non competit, quando celebrat loco et vice Episcopi absentis vel impediti, ius habendi Presbyterum assistentem cum pluviali; et servetur in omnibus Decretum 3865. 4102.

Dominica Palmarum.

Dominica Palmarum Celebrans, completa ramorum distributione, debet pro ineunda Processione incensum ponere in cornu Epistolae, ubi iam reperitur, cum ibi Orationem ultimam recitarit; neque debet se prius ad medium Altaris pro thuris Benedictione conferre. 4198 *ad* 1. Eadem die, postquam dictum fuerit *Procedamus in pace,* Celebrans postquam e suppedaneo in planum descenderit debet, ad Altare conversus, debitam ei reverentiam facere. *Ibidem ad* 2.

Vide **Missa solemnis.**

Dominicani.

Dominicani non debent genuflectere coram Episcopo dioecesano, dum in eorum Ecclesiis as-

sitit ad sacras functiones: quum in ritu Ordinis Praedicatorum Ministri et Clerus inferior non genuflectant ad Crucem, sed caput profunde inclinent. 4251 *ad* 1.

Dominicani possunt in Processionibus Crucifixi imaginem ad se conversam tenere, etiam in Processionibus in quibus intervenit Episcopus dioecesanus. 4251 *ad* 2.

E

Elevatio SS. Sacramenti in Missa.

Ad Elevationem SS. Sacramenti, sive sub una sive sub altera specie, cantores omnino sileant, et cum ceteris Sacramentum adorent; non obstante contraria consuetudine. 4071 *ad* 1. *Vide* 3827 *ad* 3.

Episcopus quoad Missam aliasque functiones.

Episcopo celebranti lotio manuum, a Caeremoniali Episcoporum praescripta ante et intra Missam, non est facienda etiam post Missam. 4056 *ad* 2.

Ad Episcopi aulam accedere debent Dignitates et Canonici, dicta *Prima* in Choro (vel *Sexta*, Feria V *in Coena Domini* et Feria VI *in Parasceve*), et Episcopum associare ad Ecclesiam Cathedralem, quoties Missam pontificalem est celebraturus; iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta. 4057 *ad* 8.

Episcopus extraneus, vel titularis, nequit, inconsulto Ordinario dioecesano, atque in Titulo Cardinali Titulari, Missam et Vesperas pontificales celebrare sedens in faldistorio, cum ornamentis pontificalibus, licet non utatur baculo pastorali. 4124.

Quando aliquis Episcopus vicinior invitatur a Vicario Capitulari ad Missam et Vesperas, ut pontificali ritu concelebret, iste nequit illi concedere Thronum aut saltem baculum pastoralem. At baculus adhibendus est, quando eius usus ex Rubrica requiratur, uti in Consecratione Ecclesiarum. 4171.

Si Episcopo in Missa lecta Clericus ministret, servetur Decr. 4181 *ad* 3, 4, 5, 6, 7. Non obstantibus consuetudinibus et privilegiis. *Ibidem in fine.*

Episcopus, qui attentis circumstantiis locorum, obtinuit Indultum Thronum conscendendi rochetto et mozetta tantum indutus: dum eo Indulto utitur, non habet (non obstantibus praefatis circumstantiis locorum) assistentiam Canonicorum; incensum non imponit nec benedicit; non benedicit Subdiaconum post Epistolam, nec Diaconum ante Evangelium cantandum, nec librum Evangeliorum osculatur; semel tantum thurificatur, post oblata; pacem accipit a Diacono Evangelii; in fine Missae populum non benedicit. 4195 *ad* 1. *Vide* 650, 3110 *ad* 21 *et* 22, 2195 *ad* 2, *et* 2089 *ad* 5.

Episcopus, qui Sacram Communionem extra Missam distribuit, post eam debet benedicere populo more solito, dicendo: *Sit nomen Domini* etc., et efformando tres Cruces. 4195 *ad* 2.

Episcopus Celebrans, post Horam *Tertiam,* quae praecedit Missam pontificalem, dicto per Chorum *Benedicamus Domino,* debet omittere versum *Fidelium animae.* 4219 *ad* 3.

Episcopus, iuxta Caeremoniale Episc., lib. 2, cap. 25, n. 13, Feria VI *in Parasceve,* legit ex libro Prophetiam sine candela accensa; haec verba intelligenda sunt ita, ut Palmatoria nullo modo, neque extincta, adhibenda sit. 4257 *ad* 6.

Pro Episcoporum decore, normae pro Officiis sacris ab iis explendis statuuntur. 4284, I *ad* 7.

Episcopus, quomodo in sacris Officiis uti possit pileolo violacei coloris declaratur. 4284, III.

Vide **Celebrans. Dominicani. Praecedentia.**

Et incarnatus est.

Et incarnatus est etc.: ad haec verba Celebrans et Ministri, in Missa solemni diei festi Annuntiationis B. M. V. et Natalis D. N. I. C. debent genuflectere, non solum quando a Choro canuntur, sed etiam quando eadem verba simul recitant ad Altare. 4281 *ad* 1.

Exequiae.

Quum Exequiae super cadavera persolvuntur sub vesperas, thus adhibendum est circa feretrum, si Exequiae solemnius, nempe adhibito pluviali, persolvantur. Quando cadavera sub vesperas ad Ecclesiam deferuntur, sed Exequiae persolvi debent post Officium vel Missam, quae serius, vel etiam die sequenti habebuntur; delato cadavere ad Ecclesiam, post ℟. *Subvenite* dicatur *Kyrie, eleison* etc., *Pater noster,* etc., ℣℣. et Oratio *Absolve* ut in Missali «Ritus celebrandi Missam», Tit. XIII, n. 4 in fine. 4081 *ad* 4.

In Exequiis, antequam cadaver efferatur, debet tantum recitari, non vero cani, Psalmus *De profundis.* 4095 *ad* 1.

In Exequiis, seu in associationibus cadaverum Societates catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis nequeunt praecedere Clerum cum Cruce, sed debent sequi feretrum. 4109.

In Exequiis in Dioecesi Firmana serventur Acta Synodi Dioecesanae anni 1900, quae tantummodo referunt *Decretum super Exequiis,* n. 3854; non obstantibus antiqua consuetudine et Actis Synodalibus a. 1773 et 1845. 4129.

Exequiae pro Defuncto, cum effertur corpus, non possunt expleri in Ecclesiis, in iis Festis in quibus Missa praesente cadavere prohibetur; et huiusmodi funera transferenda sunt ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen (non obstante consuetudine) ab emortuali aeris campani sonitu. 4130 *ad* 1. *Vide* 3570 *ad* I, et 3946. Neque aliqua exceptio, pro rerum adiunctis, ab hac regula dari potest, neque in iis casibus, ubi necessitas moralis funera ecclesiastica cum aliqua solemnitate peragendi se proderet; et Rmus Ordinarius pro sua prudentia provideat, ut praescripta Ritualis Romani et Decreta S. R. C. observentur. 4130 *ad* 2.

Vide Color. Sacerdos.

Expositio et Repositio SS. Sacramenti.

In Expositione quotidiana SS. Sacramenti post Orationem *Deus, qui nobis* addi nequit Oratio pro Defuncto vel Defunctis, in quorum levamen Sacrum peractum sit vel Preces recitatae. 4058 *ad* 1.

In Expositionis SS. Sacramenti quotidianae Sacello, quod duabus constat Cappellis ex adverso positis cum transitu per medium, nequeunt celebrari Missae de *Requie* in Altari ubi non extat Expositio. 4058 *ad* 2.

Expositione SS. Sacramenti in Altari maiori perdurante, in aliis Altaribus licet exponere Reliquias Sanctorum, quorum ea die Festum recurrit, omissis tamen Benedictione et osculo Reliquiarum, quamdiu Sanctissimum Sacramentum manet expositum. 4059 *ad* 2.

In Expositione SS. Sacramenti nequit continuari praxis, licet immemorabilis, iuxta quam in Expositione velum extensum in Tabernaculo Expositionis plicatur; et ipsum in Repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in Expositione, aut relaxatione in Repositione; quae omnia a Sacristia vel Acolytho peraguntur. 4077 *ad* 1.

Quoad Expositionem SS. Sacramenti non est probandus usus, iuxta quem ante Missam solemnem, post cereos accensos, in throno Expositionis Ostensorium cum SS. Sacramento collocatur, super quod velum explicatur ad cooperiendum, donec, vel incepta Missa, et *Aufer a nobis* dicto, Sacerdos thurificet: in cuius thurificationis actu, praevia eiusdem veli plicatione, media chordulae cuiusdam distensione a Sacrista vel Acolytho facta, Expositio absque ullo cantu fit. 4077 *ad* 2 *et* 1.

Exposito SS. Sacramento, ℣. *Dominus vobiscum* dici nequit ante Orationes, quibus Litaniae B. M. V. vel Hymni in Sanctorum honorem concluduntur; licet non immediate, sed post cantum *Tantum ergo* et Orationem *Deus, qui nobis,* detur Benedictio cum eodem SS. Sacramento; et contraria consuetudo servari nequit. 4081 *ad* 7.

Expositio SS. Sacramenti publica seu solemnis, quae fit de licentia Ordinarii, nequit fieri cum Pyxide collocanda in throno Tabernaculi. 4096 *ad* 7.

Expositio SS. Sacramenti, quae fit cum Pyxide intra Tabernaculum, si sit permanens et ex causa publica, impedit Missas de Requie. 4096 *ad* 8. Vide 2390 *ad* 4.

Etiam exposito SS. Sacramento servandus est usus canendi singulis Sabbatis post Completorium Ant. *Salve, Regina* per Canonicum Hebdomadarium, pluviali indutum, ante Altare maius; inde recitando in Choro Matutinum cum Laudibus. 4100 *ad* 3.

Expositione SS. Sacramenti durante ex causa privata, in Missis privatis omnino omittenda est Commemoratio SS. Sacramenti. 4120 *ad* 7

In Expositione SS. Sacramenti, assistens, collocata Hostia in Ostensorio, genuflectat unico genu antequam eam in throno collocet; item Celebrans, accepto velo humerali et conscenso suppedaneo, genuflectat unico genu priusquam Ostensorium pro impertienda Benedictione apprehendat; idem fiat in similibus casibus. 4141 *ad* 7.

Exposito SS. Sacramento cum flectendum est utrumque genu ad SS. Sacramentum adorandum addatur capitis et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda. 4179 *ad* 1.

In Expositione SS. Sacramenti, cum Expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat, et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, ceteri, qui genuflexi adsunt, si in casibus expositis vigeat consuetudo se inclinandi, adorent cum capitis et modica humerorum inclinatione. 4179 *ad* 2. Nullam reverentiam debet facere Celebrans, antequam surgat, recitaturus Orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento* etc. Inclinationem mediocrem faciant Celebrans ac Ministri, surrecturi ad imponendum incensum. Nullam reverentiam faciant: Celebrans, antequam surgat, ad Altare ascensurus ut populo benedicat; Expositor, antequam surgat, ascensurus ad Altare ad deponendum e throno SS. Sacramentum; Acolythus, antequam surgat, iturus ad abacum ad velum accipiendum; sed si idem Acolythus transeat ante Altare, genuflectat in medio. *Ibidem ad* 3. Nullam reverentiam faciat Celebrans, postquam Benedictione impertita ab Altari descendit, et genua flexit in infimo gradu. *Ibidem ad* 4. Nequit servari mos ut secundo thus imponatur post cantatam Orationem *Deus, qui nobis etc. Ibidem ad* 5. Sacerdos, qui SS. Sacramentum exposuit, et ab Altari descendit, ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat, et ponat incensum in thuribulo. *Ibidem ad* 6. Dum Celebrans canit Orationem *Deus, qui nobis* etc., Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo, iuxta Caerem. Episc., lib. 2, cap. 33, n. 27. *Ibidem ad* 7. Celebranti in impertienda Benedictione cum SS. Sacramento ministrare possunt, loco Diaconi et Subdiaconi, duo Clerici pluvialibus induti, si Benedictio cum SS. Sacramento fiat immediate post Vesperas solemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab Altari: dummodo alter Sacerdos vel Diaconus exponat et reponat SS. Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat. Diacono et Subdiacono dalmatica et tunicella indutis in Benedictione SS. Sacramenti, nequeunt adiungi duo vel quatuor Clerici induti pluviali. *Ibidem ad* 8.

In Expositione SS. Sacramenti cum Pyxide, haec nequit in superiore parte Tabernaculi poni, ut a populo videri possit, sed intra Tabernaculum manere debet. 4180 *ad* 2.

In Expositione nempe in functione Benedictionis SS. Sacramenti, praeter Orationem de eodem, alia cantari potest, priusquam canetur *Tantum ergo,* si tunc aliae dictae sint Preces; secus, non licet, nisi aliter Apostolica Auctoritate statutum fuerit. 4194 *ad* 10 *et* 4271 *ad* 5. Vide 4198 *ad* 10.

Quoties exposito SS. Sacramento canitur Hymnus *Te Deum* in omnibus functionibus, expresse per Rubricas et Decreta non directis, ac datur in fine cum eodem Sanctissimo Benedictio: Versiculi *Benedicamus Patrem* etc., *Benedictus es* etc., *Domine exaudi* etc., cum Oratione *Deus, cuius misericordiae* dici debent ante Hymnum *Tantum ergo;* et duo Hymni non sunt coniungendi et absolvendi cum solo Versiculo *Panem de coelo* et duabus Orationibus SS. Sacramenti et actionis gratiarum, sub una conclusione. 4198 *ad* 10 *et* 4271 *ad* 5.

Cum SS. Sacramentum exponitur pro Benedictione, si Expositio fiat in Pyxide, incensatio non requiritur. Quoad Expositionem vero in Ostensorio, duplex incensatio requiritur, una post expositum SS. Sacramentum, altera ad stropham *Genitori,* etsi inter expositionem et *Tantum ergo* nullae interponantur Preces; quo in casu non fit nova thuris impositio. 4202 *ad* 1. Quum SS. Sacramentum a mane usque ad vesperas manet expositum, Celebrans, qui cum Ministris accedit ad Altare Expositionis, post praescriptam reverentiam et antequam aliquid canatur, non debet facere incensationem. *Ibidem ad* 2.

Dum exponitur SS. Sacramentum pro functione Benedictionis, vel postquam expositum fuerit, non licet statim canere primam stropham *Tantum ergo,* usque ad *Genitori,* inde Litanias Lauretanas cum relativa Oratione, ac tandem alteram stropham *Genitori* etc., non obstante consuetudine. 4213 *ad* 2.

Quando coram SS. Sacramento publice exposito functio peragitur, dum, ante Hymnum *Tantum ergo,* cantantur alii Hymni, vel Antiphona *Regina coeli,* tempore paschali, vel Canticum *Magnificat* per anni decursum, Sacerdos celebrans et Ministri stare debent, non vero manere genuflexi. 4224.

Coram SS. Sacramento solemniter exposito, possunt generatim a Cantoribus Hymni decantari in lingua vernacula, dummodo non agatur de Hymnis *Te Deum* et aliis quibuscumque liturgicis Precibus, quae nonnisi latina lingua decantari debent. 4235 *ad* 8, 3537 *ad* 3 *et* 4268 *ad* 10.

Quoad Expositionem SS. Sacramenti et Benedictionem in fine Expositionis impertiendam standum Rubricis, Decretis et praxi univer-

sali, non obstante generali ac vetusta locorum consuetudine ac peculiaribus circumstantiis. 4257 *ad* 3.

In Expositione SS. Sacramenti solemni, numerus cereorum statuendus est ab Ordinario, servatis Decretis. 4257 *ad* 4.

Si Expositionis thronum inamovibilem difficile sit habere, nisi Crux ponatur in eo: non licet super Tabernaculum erigere talem inamovibilem thronum, seu parvum ciborium fixum pro Expositione SS. Sacramenti; sed debet in casu erigi thronus tantummodo propter Expositionem et amoveri post Expositionem. 4268 *ad* 4.

Expositionis thronum licet construere in muro ab Altari seiuncto, dummodo thronus Expositionis haud nimis distet ab Altari, cum quo debet quid unum efficere. 4268 *ad* 5.

In Expositione, stola Presbyteri exponentis debet esse eiusdem coloris ac paramenta Celebrantis, quando Benedictio SS. Sacramenti immediate sequitur Vesperas solemnes, nec Celebrans cum Pluvialistis recedit a Choro. 4268 *ad* 8.

Si Expositio SS. Sacramenti (extra Expositionem XL Horarum et SS. Corporis Christi) fiat immediate post Missam, non oportet ut Hostia intra hanc Missam consecretur, sed accipi potest Hostia iam prius consecrata. 4169 *ad* 10, et Hostia iam antea consecrata poni nequit in Ostensorio ante purificationem et ablutiones, sed expectari debet usque ad expletum ultimum Evangelium. *Ibidem ad* 11.

Vide **Aspersio Aquae benedictae. Diaconus. Lux electrica. Missa coram SS. Sacramento exposito. Ostensorium. Processio cum SS. Sacramento. Reverentia. Vesperas quoad ritum.**

Expositio Sanctissimi Sacramenti occasione Orationis XL Horarum.

Expositio SS. Sacramenti in forma XL Horarum, quum non sit consuetudo, illicita est pro una tantum die in suffragium alicuius Defuncti loco Officiorum de Requie. 4062 *ad* 1.

Exposito SS. Sacramento ob exercitium XL Horarum, in quo forma Instructionis Clementinae stricte non observetur, quum nocte SS. Sacramentum in Tabernaculo recondatur licet cantica in lingua vernacula canere, nisi agatur de textibus proprie liturgicis et de functionibus insuper stricto sensu liturgicis; non licet autem celebrare Missas de Requie, diebus per Rubricas et Decreta permissis, in Altaribus, licet lateralibus, et in Sacellis Ecclesiae, in qua in Altari maiori praefata Expositio perdurat. 4235 *ad* 7 *et* 3537 *ad* 3.

In Expositione SS. Sacramenti pro Oratione XL Horarum, normae praescribuntur, si Missae solemnes votivae praescriptae non canantur, sed legantur, et si Expositio horis nocturnis suspendatur. 4268 *ad* 1, 2, *et* 3.

F

S. Familia.

In S. Familiae Festo ad Matutinum ante Lectiones dicendae sunt apud Carmelitas Antiquae Observantiae Benedictiones communes, non vero propriae Festorum B. M. V. 4175 *ad* 1. Pro iisdem Carmelitis, de Antiphona ad *Nunc dimittis,* in Completorio eiusdem Festi. *Ibidem ad* 2.

Feria.

Feria II post Dominicam III Quadragesimae quando occurrit cum Festo SS. Perpetuae et Felicitatis, quum *Postcommunio* eiusdem Feriae et SS. Martyrum sit eadem, in Missa de Sanctis, *Postcommunio* Feriae sumatur ex Missa Feriae proxime sequentis. 4107.

Feria IV Cinerum.

Feria IV Cinerum Missa exequialis celebrari nequit in Ecclesiis parochialibus, ubi unicus est Sacerdos. 4076 *ad* 6.

Feria V in Coena Domini.

Feria V in Coena Domini in Missa organa pulsari possunt per integrum Hymnum Angelicum. 4067 *ad* 6.

Feria V in Coena Domini tolerari nequit ut Altare maius Ecclesiae sit Altare Sepulcri; necnon ut in ipso Altari Sepulcri Ostensoria, Calices et Ciboria ornati causa exponantur. 4077 *ad* 10.

Feria V in Coena Domini tolerari nequit ut, contra Decretum R̃mi Episcopi, imago San-

ctissimi Redemptoris demortui, vel Deiparae Virginis Perdolentis, in Altari separato ab illo, in quo SS. Sacramentum in dicta Feria publice expositum manet, venerationi fidelium exhibeatur. 4112.

Feria V in Coena Domini, post Vesperas, imago Virginis Perdolentis sita in Sacello extructo in parte separata Ecclesiae, nequit remanere discooperta, cum candelis vel lampadibus accensis, neque potest ante ipsam collocari simulacrum SS. Redemptoris demortui, dum in alio Ecclesiae Sacello, licet remoto, Expositio SS. Sacramenti, vulgo *Sepolcro* perdurat: non obstante antiqua consuetudine, ad populi devotionem satisfaciendam; id autem licitum erit Feria VI in Parasceve, post Missam Praesanctificatorum. 4197 *ad* 1.

Feria V in Coena Domini non licet benedicere tantum partem sacrorum Oleorum, eamque immediate miscere cum oleis non benedictis, et servetur Decr. 2883 ad 3, non obstante antiqua, etiam immemoriali consuetudine. 4245.

Feria V in Coena Domini, in Benedictione Olei Catechumenorum, duodecim Sacerdotes salutando debent facere genuflexionem, sicut ad Sanctum Chrisma, non simplicem inclinationem capitis. 4269 *ad* 14.

Vide **Missa coram SS. Sacramento exposito. Processio cum SS. Sacramento.**

Feria VI in Parasceve.

Feria VI in Parasceve, post Orationes potest et debet per Celebrantem discooperiri vel imago Crucifixi, vel Lignum seu Reliquia S. Crucis. 4081 *ad* 5.

Feria VI in Parasceve, post Missam Praesanctificatorum removenda sunt ornamenta Altaris in quo SS. Sacramentum Feria quinta praecedente fuit reconditum. 4081 *ad* 6.

Feria VI in Parasceve ad Processionem. Hymnus *Vexilla* in Ecclesiis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, quoad cantum sit iuxta ritum monasticum. 4126 *ad* 4, quoad textum iuxta Breviarium Romanum. 4159 *ad* 5.

Feria VI in Parasceve oscula omittenda sunt; similiter Diaconus non osculetur Calicem aut Patenam. 4193 *ad* 3.

Feria VI in Parasceve, in Processione, quae, post expletas functiones liturgicas, fit cum Reliquia SS. Crucis, pluviale et dalmaticae seu tunicellae sint coloris nigri; velum humerale et umbella vel baldachinum (supposita consuetudine illis utendi) sint coloris violacei. 4197 *ad* 2. Quoad reverentias erga S. Crucis Reliquiam expositam, non obstante consuetudine, servanda sunt Decreta 2324, 2722 et 3201 ad 7. 4243 *ad* 2.

Feria VI in Parasceve Sacerdos, dum *Improperia* et reliqua canuntur, legere eadem tenetur, iuxta praxim ubique receptam, et normam communiter exigentem ut Sacerdos legat quidquid in Choro concinitur. 4198 *ad* 5.

Feria VI in Parasceve dici debent tono ad Missam solemnem ordinariam consueto verba sive Orationes: *Incensum istud* etc., *Perceptio Corporis tui* etc., *Panem coelestem* etc., *Corpus Domini nostri Iesu Christi* etc., et *Quod ore* etc. 4198 *ad* 18.

Vide **Benedictiones (in genere). S. Crucis Lignum seu Reliquia. Episcopus quoad Missam aliasque functiones. Feria V in Coena Domini. Processio cum SS. Sacramento.**

Feriatio.

Feriatio, licet reducta, omnimodam uniformitatem ab universo eiusdem Dioecesis vel regionis Clero, etiam circa diem, in celebrando Festo requirit, hinc Festum S. Bartholomaei Apostoli, etiam ab iis qui Calendario urbis Romae ex Rescripto utuntur, celebrari debet die 24 vel 25 Augusti, prout in Dioecesi vel regione, ubi versantur, moris est. 4236 *ad* 2.

Vide **Festum.**

Festum.

De Festis diebus, Motu Proprio Pii Pp. X. 4272. Decretum Urbis et Orbis. 4273. Decreta ad quasdam quaestiones enodandas de eodem subiecto. 4274. 4276, 4277, 4278 et 4280.

Vide **Exequiae.**

S. Franciscus de Paula.

Si S. Franciscus de Paula impeditur in aliquo loco Regionis Neapolitanae, quominus Dominica II post Pascha celebrari possit, celebretur perpetuo non die 2 Aprilis, sed Feria II post Dominicam praefatam; et tunc etiam Octava desinit Dominica III post Pascha. 4261 *ad* 1.

G

Gaz vide Altare (in genere).

Genuflectere.

Genuflectere utroque genu non debent Canonici, ante Altare in quo Missa celebratur transeuntes, a consecratione usque ad Communionem; sed genu dexterum tantum usque in terram ab iis flectendum est. 4135 *ad* 1.

Genuflectere non debet Sacerdos, qui, sive ad Altare procedat Missam celebraturus, sive redeat celebrata Missa, transit ante aliud Altare in quo tunc Missa celebretur, et est inter consecrationem et communionem; at dexterum genu flectat si ultro, scilicet nulla facta inquisitione, tempus inter consecrationem et communionem advertatur; si autem elevatur Sacramentum, utrumque genu flectat, et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale; si vero ministratur Communio, utrumque genu flectat, detecto capite SS. Sacramentum adoret, et surgat. 4135 *ad* 2.

Genuflectant unico genu Ceroferarii, qui ab Altari discedunt post consecrationem, cum intortitia in sacristiam referunt, et cum statim ad loca sua prope Altare redeunt. 4135 *ad* 3.

Genuflectere in infimo Altaris gradu, non vero in plano, debet Celebrans recedens ab Altari ad abacum, ut alia sumat paramenta, et ab abaco ad Altare revertens, singulis Dominicis diebus post aspersionem: si Sanctissimum Sacramentum in Tabernaculo reperiatur inclusum. Idem fiat post Processionem in Festo Purificationis ac Dominica Palmarum, quando Celebrans, assumptis paramentis, ad Altare, in quo SS. Sacramentum asservatur, Missam incoepturus pervenit. 4198 *ad* 3.

Vide **Expositio et Repositio SS. Sacramenti. Reverentia.**

Grammofono.

Grammofono vulgo dictae machinae usus vetatur in Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia magistri organi vel cantorum, etiam laicorum, pro cantu stricte liturgico Gregoriano, partium variabilium aut invariabilium Missae solemnis, Hymnorum et aliorum Canticorum. 4247.

H

Hebdomada sancta.

In Hebdomadae sanctae Feria IV, V et VI, non obstante antiqua consuetudine, tolerari nequit, ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum instrumento *Harmonium* et aliis sine strepitu, *a corda,* instrumentis, *violini, viole, contrabassi* nuncupatis; neque tolerari potest in casu sonus tantum instrumenti *Harmonium.* 4111 *ad* 1 *et* 2. *Vide* 3804 *ad* 2 *et* 4044 *ad* 1. Praedictum Decretum 4111 habendum est tamquam Decretum Generale, seu Urbis et Orbis, ita ut ubique obliget, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, etiam immemoriali: quum Decretum Rubricas respiciat universam Ecclesiam spectantes, et in casu provisum etiam per 4121 et 4131. 4156 *ad* 2. *Vide* 4265 *ad* 2.

Vide **Dominica Palmarum. Feria V in Coena Domini. Feria VI in Parasceve. Sabbatum Sanctum.**

Hymnus.

Hymnus Vesperarum, qui iam in Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae dictus est, non coniungitur cum Hymno Matutini diebus infra Octavam si horum Vesperae non dicantur. 4078 *ad* 1.

Hymnus « Pater superni luminis » ex Vesperis S. Mariae Magdalenae Poenitentis, dicendus est ad Matutinum, omisso Hymno *Nardo Maria pistico* iuxta Breviarum monasticum, quando praefatum Festum caret utrisque Vesperis. 4126 *ad* 2.

Hymni in Officio Commemorationis Passionis D. N. I. C., deficientibus propriis Vesperis, sunt transponendi; et si Officium utrisque Vesperis careat, ad Matutinum dicatur Hymnus *Moerentes,* omisso Hymno *Aspice,* utpote minoris momenti, iuxta Decretum 4126 ad 2. 4159 *ad* 4.

De Hymnorum propriorum coniunctione vel omissione, regula generalis. 4262 *ad* 4. *Vide* 4269 *ad* 3. — Vide **Conclusio Hymnorum.**

I

S. Iacobus Apostolus.

In S. Iacobi Apostoli Officio proprio Hispaniae concesso, in II Vesperis dicatur Versiculus *Annuntiaverunt*, non vero *Nimis honorati.* 4104 *ad* 3.

Immaculata Conceptio B. M. V.

In Immaculatae Conceptionis B. M. V. Missa votiva, in Secreta dicatur: *Quam in Commemoratione Immaculatae Conceptionis.* 4167 *ad* 1. Die 14 Augusti loco praefatae Missae votivae (ubi ex privilegio concessa est) dicatur Missa de Vigilia Assumptionis B. M. V., et die 7 Decembris dicatur Missa de Vigilia Immaculatae, utraque in colore violaceo. *Ibidem ad* 2.

De Immaculata Conceptione B. M. V. Missae votivae privilegium, Ordini Min. Capuccinorum concessum, et extensum ad Ecclesias et Oratoria Religiosarum Congregationum, quae in Horis canonicis Calendario praefati Ordinis legitime utuntur: afficit etiam eas Congregationes quae praefati Ordinis Calendario utuntur quoad Missam, sed loco Horarum canonicarum recitant Officium parvum B. M. V.; iuxta Decr. 4132 ad. 4185.

De Immaculata Conceptione B. M. V., Missa votiva (singulis diebus infra Octavam eiusdem Mysterii et singulis Sabbatis per annum Ordini Minorum concessa) dici nequit, si eodem die agatur Commemoratio Officii de eadem B. Maria V. trium vel novem Lectionum ad ritum simplicem redacti; sed celebrari debet, pro votiva, Missa Officii de B. Maria V. ad instar simplicis redacti, iisdem iuribus ac privilegiis pro Votiva concessis. 4192 *ad* 2.

Immaculatae Conceptionis B. M. V. de Lourdes seu Apparitionis Missa propria, pro die 11 Februarii approbata, celebrari potest diebus quibus Missas votivas privatas celebrare permissum est. 4238 *ad* 1.

Vide Credo. Missa votiva (in genere). Missa votiva solemnis et cantata. Octava (in genere).

S. Ioachim.

S. Ioachim Festum die 20 Martii ex gratia celebrandum conceditur in iis locis, ubi Festum Assumptionis, si occurrat infra Hebdomadam, Dominica subsequenti cum integro Officio ac Missa tamquam in sede propria, uti in Borussia, ex Decr. 4142, a Regularibus quoque recolitur. 4236 *ad* 3.

S. Ioannes Chrysostomus.

S. Ioannes Chrysostomus Oratorum sacrorum coelestis Patronus declaratur et constituitur. 4222.

S. Ioannes Damascenus.

S. Ioannis Damasceni Festum, etiam ubi die 13 Maii recolebatur, recolendum est die 27 Martii, et hac impedita, die prima insequente libera: postquam per Decr. 3734 ad Ecclesiam universam extensum est. 4079 *ad* 2.

B. Ioannes Maria Vianney.

In B. Ioannis Mariae Vianney Officio, legendum est in sexta Lectione *secretiorem lucum,* non vero *secretiorem locum.* 4262 ad 6.

S. Ioseph, Sponsus B. Mariae V.

S. Ioseph Commemoratio solemnis aequiparatur Festis solemnioribus, in quibus, Episcopo impedito vel absente, prima Dignitas Capituli, functiones quae ad Episcopum pertinent peragit, et Missam Conventualem decantat, ad normam Caeremonialis Episcoporum. 4061.

L

Laudes.

In Laudibus et Vesperis persolvendis Celebrans nequit manere in habitu chorali usque ad Capitulum, et tunc tantum assumere pluviale; et servetur Caeremoniale Episcoporum, non obstante contraria consuetudine. 4054 *ad* 7.

Lectiones I Nocturni.

Lectiones I Nocturni sint de Scriptura occurrente in Duplicibus infra secundam classem,

exceptis quibusdam peculiaribus Lectionibus. 4076 *ad* 1 *et* 3923. Vide tamen novas Rubricas approbatas per Decr. 4279.

Lectiones I Nocturni « *A Mileto* » legendae sunt in ritu monastico in Festo S. Thomae Cantuariensis, licet incidat in Dominicam; non vero *Initium Epistolae ad Romanos*. 4126 *ad* 3.

Lectiones I Nocturni « *Beatus vir* », non vero *Iustus*, legendae sunt intra quadragesimale tempus in Festis Confessorum non Pontificum, qui post aetatem quadraginta annorum vita excesserint. 4141 *ad* 4.

De Lectionibus I Nocturni apud Carmelitas Antiquae Observantiae. 4175 *ad* 3.

Lectiones I Nocturni in Festis S. Francisci Xaverii, S. Antonii Patavini et S. Aloisii Gonzagae, si ad Commune Confessorum recurrendum sit, sumendae sunt e secundo loco. 4249 *ad* 4.

De Lectionibus I Nocturni legendis, quando sunt Initia alicuius libri; imo et de Initio legendo illius Dominicae, cuius Officium vel Commemoratio anticipatur. 4262 *ad* 1 *et* 2.

Lectio nona.

Lectio nona de Sancto, qui antea in aliquo loco celebrabatur sub ritu duplici, et dein ad ritum simplicem, iuxta Calendarium universale, redactus est, non debet esse composita ex Lectionibus historicis, quae legebantur in Festo duplici eiusdem Sancti, sed recitanda est prout de hoc Sancto extat in Breviario Romano. 4065 *ad* 1.

Lectio nona Festi, quod antea in aliquo loco celebratur sub ritu duplici, et dein ad ritum simplicem redactum est, nequit esse composita ex Lectionibus secundi Nocturni quae antea legebantur in Festo duplici; sed omittenda est, nisi agatur de Festo, quod in Breviario Romano nonam Lectionem historicam assignatam habeat. 4065 *ad* 1 *et* 2.

Lectio nona in Festo S. Ioannis ante Portam Latinam, si impediatur, adiungi debet Lectioni octavae, quum sit historica. 4262 *ad* 3.

Utrum Lectio nona alicuius Sancti vel Mysterii, si impediatur, Lectioni octavae unienda sit (vel utrum septima, octava et nona Lectiones debeant in duas redigi), quando Lectiones de Homilia, in Festo Sancti vel Mysterii assignatae, excerptae sint ex operibus eiusdem Sancti, vel sunt historicae circa Mysterium, decernendum est in casibus particularibus. 4269 *ad* 4.

Libera me, Domine.

Libera me, Domine etc. Hoc responsorium nequit cani aut recitari submissa voce in Festo duplici I classis; et servetur Decretum 3780 *ad* 8. 4095 *ad* 3.

Vide **Absolutio super tumulum.**

Liberiana Basilica.

In Basilica Liberiana, in qua Canonici episcopali dignitate insigniti, si in ingressu inter Canonicos Diaconos vel Subdiaconos relati fuerint, ad primum canonicatum presbyteralem vacantem ascendunt: Canonicus dignior non est idem ac Canonicus senior. 4114 *ad* 1. Absente Eño Archipresbytero, eiusque Vicario, Preces ante et post Capitulum recitare spectat ad digniorem, iuxta Constitutiones Capitulares, et Decr. 1299. *Ibidem ad* 2. Absente Vicario, ad digniorem spectat praebere Celebranti Candelam benedictam die Festo Purificationis B. Mariae Virginis, et Palmam benedictam Dominica Palmarum, eidemque imponere sacros Cineres Feria IV Cinerum. *Ibidem ad* 3. Si Eminentissimus Archipresbyter pergit in Chorum ut pontificaliter celebret, consocietur a Diacono et Subdiacono Canonicis, qui illi in Missa assistent: secus a duobus Canonicis, ex praesentibus, dignioribus, non Episcopis. *Ibidem ad* 4. Servari potest consuetudo ut Canonici iuniores obviam eant Cardinali Poenitentiario Maiori ad Patriarchalem Basilicam Liberianam, Feria IV Maioris Hebdomadae, accedenti cum suo tribunali ad audiendas sacramentales Confessiones. *Ibidem ad* 5. Continuari potest similis usus cum Legatus Maior Regni Hispanici ipsam Basilicam adit pro audienda Missa de S. Ferdinando III Rege Conf. *Ibidem ad* 6. Licet Constitutiones Capitulares habeant: « Quotiescumque Missa solemnis in Pontificalibus celebratur, munus Assistentis Decanus Capituli, vel, eo impedito, antiquior in presbyteratus ordine Canonicus gerere debet »: si Decanus Capituli non sit ex ordine presbyterali, nequit hoc munere fungi. *Ibidem ad* 7. Spectat ad Canonicum digniorem, vel Secretarium, iuxta consuetudinem, obsequentem sermonem habere ad novum Cardinalem Archipresbyterum; spectat autem ad seniorem ex ordine presbyteriali officium exequiale peragere cum corpus Cardinalis Archipresbyteri defuncti ad Basilicam deducitur. *Ibidem ad* 8. Non prius Beneficiatus hebdomadarius intonare

incipiat *Domine, labia mea,* vel *Deus, in adiutorium,* quam Vicarius, vel, ipso absente, dignior Canonicus det ei signum id faciendi. *Ibidem ad* 9.

Libri Liturgici.

Libri Liturgici quinam sint, et normae in ipsorum editione servandae. 4266. *Vide* 4166, 4178. 4259 *et* 4263.

Lingua Slavica.

De Linguae Slavicae usu in Sacra Liturgia resolutio cuiusdam dubii. 4063. Decretum circa interpretationem Decreti n. 3999 diei 5 Augusti 1898. 4090. Decretum de usu linguae slavonicae in sacra Liturgia. 4196.

Litaniae.

In Litaniis Ss. Nominis Iesu, post obsecrationem: *Per Ascensionem tuam, libera nos, Iesu,* addi potest, ab iis Dioecesium Ordinariis, qui optarent, invocatio: *Per Sanctissimae Eucharistiae institutionem tuam, libera nos, Iesu.* 4153.

Lux electrica.

Lux electrica vetita est, non solum una cum candelis ex cera super Altari, iuxta 4097, sed etiam loco candelarum vel lampadum quae coram SSmo Sacramento vel Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis Ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica ad prudens Ordinarii iudicium permittitur: dummodo species non habeatur theatralis, ad mentem Decr. 3859. 4206 *et* 4210 *ad* 1. Non licet, tempore Expositionis privatae vel publicae, interiorem partem Ciborii cum lampadibus electricis in ea collocatis illuminare, ut sacra Pyxis cum SSmo Sacramento melius a fidelibus conspici possit. 4275.

Vide **Altare** (in genere). **Candela.**

M

B. Maria Virgo.

B. Mariae Virginis Festa ritus duplicis maioris, et Octavae Festorum eiusdem B. M. V., in Dominicam occurrentes, simplificantur: sed conclusiones Hymnorum, et versus Responsorii brevis ad Primam, debent esse de ipsa B. Maria V., nisi dicenda sint propria Temporis, et exceptis Dominicis Adventus. 4283 *ad* 1; at dicitur Praefatio Trinitatis, nisi occurrat Praefatio de Tempore aut alicuius Octavae Domini, iuxta novas Rubricas, tit. X, n. 4. *Ibidem ad* 2.

Vide **Immaculata Conceptio B. Mariae V. Refugium peccatorum titulo B. M. V. Festum. Rorate, Rosarium. Salve, Regina.**

Minister in Missa privata vide **Missa** (in genere). **Missa privata.**

Missa (in genere).

Ut Missam in Altari in navi erecto navigantes celebrare valeant, Episcopi nequeunt facultatem concedere Sacerdotibus suae Dioecesis. 4069 *ad* 1. *Vide* 2945. Item Episcopi, in quorum Dioecesi adsint portus maris, nequeunt praefatam facultatem Sacerdotibus suae vel alienae Dioecesis concedere. 4069 *ad* 1 *et* 2.

Missam in navi celebrare, absque speciali Indulto Apostolico, nequeunt Missionarii Apostolici, vi huius tituli. 4069 *ad* 3. Indultum concessum Antistitibus Dioeceseon totius Americae, Oceaniae atque Australiae cum Romam petunt, ac etiam in reditu. 4221.

Missam in navi celebrare, absque speciali Indulto Apostolico, nequeunt Sacerdotes, qui privilegio fruuntur celebrandi ubique. 4069 *ad* 4.

Quoad Missam, si Cappella locum fixum habeat in navi, uti publica habenda est: secus neque publica est, neque privata, sed habetur uti Altare portatile. 4069 *ad* 5.

In Missa post sacrosancti sumptionem Sanguinis et ante ablutionem, servetur Rubrica Missalis, licet quaedam consecrati Vini particulae in Calice maneat. 4077 *ad* 4.

In Missis nequit continuari aut tolerari usus pelvis et urcei cum aqua pro manuum lotione in Missis cantatis, vel digitorum extremitatum lotione in Missis privatis, ad *Lavabo.* 4100 *ad* 4.

Ut in Missis lectis tertius cereus accendatur in Canone, Ordinarius praecipere potest Sacerdotibus, tam saecularibus quam Regularibus, etiamsi in Dioecesi, sicut et in universa regione, mos illum accendendi in oblivionem

ac desuetudinem iamdulum abierit; ex Rubrica Generali Missalis, tit. XX, et accedente auctoritate Ordinarii, non obstat Decr. 4029 *ad* 2, quo statuitur posse servari consuetudinem non accendendi praefatum cereum. 4141 *ad* 6.

Cum in Missa nominatur Sanctus, die eius festo, exposita eius Reliquia loco Altari principe, inclinatio facienda erit versus Reliquiam, ad mentem Decr. 3767 *ad* 25. 4172 *ad* 3.

Missae inserviens Minister, in Altari ubi Sanctissimum Sacramentum non asservatur, unicum genu flectere debet accedens ad Altare, et quoties ante medium Altaris transibit aut ab eo recedet. 4193 *ad* 1. Minister, tam in porrigendo quam in recipiendo, osculetur utramque ampullam vini et aquae, quin tamen osculetur manum Celebrantis. *Ibidem ad* 2.

Pro Missa ab aliis celebranda, ut hostiam super Patena collocent, potest permitti aliis; dummodo qui id peragit prima saltem Tonsura sit initiatus, iuxta Decr. 4194 *ad* 1, vel alias privilegium Apostolicum obtinuerit vasa sacra tangendi; sed consulendum Celebranti, ut ipse Calicis instructionem et alia secundum Rubricas exequatur. 4198 *ad* 15.

Missae celebratio in Sacellis sepulcreti nequit permitti, si non habentur praescripta distantia Altarium a loculis. 4220 *ad* 1.

Ut Missa retineatur, quae Officio iam concesso respondet, in casu speciali statuitur. 4235 *ad* 6.

In Missa, in Vigilia alicuius Sancti, cuius nomen continetur in Canone Missae, Celebrans debet caput inclinare cum idem nomen pronuntiant. 4281 *ad* 2. Infra Octavam alicuius Sancti Octavam habentis, cuius nec Officium recitatur nec fieri Commemoratio per accidens potest, caput inclinare debet, quando dicti Sancti nomen occurrit in Missa. 4116 *ad* 1.

Vide **Candela. Celebrans. Clericus. Communio** (in genere). **Communio infirmorum. Genuflectere. Octava** (in genere).

Missae applicatio.

Si Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulto Apostolico, pro peculiari aliqua intentione applicari possit, dummodo stipendium ad commune aerarium dioecesanum deferatur: in Ecclesiis parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario celebranda est de die currente, nec potest esse cum cantu de Requie in die vel pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere. 4256.

Missam pro populo applicandam debent parochi iuxta Officium diei celebrare, in Ecclesiis parochialibus unam tantum Missam habentibus, etiam in Dominicis ad quas iussu Card. Caprara quaedam Festa transferuntur, neque possunt per Missam Solemnitatum traslatarum oneri suo satisfacere, nisi habeatur Apostolicum Indultum. 4269 *ad* 8. *Vide* 3887.

Missa cantata.

Missa cantata vel solemnis,quae Officio diei non est conformis non oportet ut celebretur immediate post aliquam Horam canonicam; exceptis tamen Missis quae vel per Rubricas praecipiuntur, vel ad Commemorationes in Officio diei factas referantur, quae immediate post respectivam Horam celebrentur. 4053 *ad* 4.

In Missa cantata servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 28, ita ut cum organum alternatim pulsatur, intelligibili voce pronuntietur quod per organum figuratur cantari. 4054 *ad* 9.

In Missa cantata, absente vel deficiente sacri concentus schola, quae relativas Missae partes cantabiles et Vesperarum psalmos, uti quandoque et Matutini, exequi solet, Canonici et Mansionarii tenentur a seipsis supplere saltem in cantu Gregoriano. 4067 *ad* 4.

In Missa cantata, quum Diaconus a cornu Epistolae Sacerdoti assistit ad Elevationem, permitti nequit Acolytho Sanctissimum a parte Evangelii thurificare. 4077 *ad* 11.

Missae cantatae plures eadem die et de eodem Officio non sunt prohibitae in Ecclesiae Cathedrali quae Officium chorale non persolvit, quia Capitulo caret. 4077 *ad* 12. *Vide* 3921.

Tempore Missae cantatae ad *Gloria* etc. locus sessionis Celebrantis et Ministrorum; quaestio. 4165 *ad* 3 *et* 4. Absente Episcopo, iuxta Caerem. Episc., lib. 2, cap. 3, n. 4, debetur pulvinar et tapete in Missis et Vesperis pro Hebdomadario Canonico. 4172 *ad* 2. *Vide* 2079 *ad* 7.

Si in Missa cantata sine Ministris Clericus inserviat, servetur Decr. 4181 *ad* 3, 4, 5, 6. Non obstantibus consuetudinibus et privilegiis. *Ibidem, in fine.*

In Missa cantata, quando organum pulsatur, si *Graduale, Offertorium, Communio* et *Deo gratias* (post cantum *Ite, missa est*) non cantentur, recitanda sunt voce alta et intelligibili; at est laudabilis, ut illae, organo cessante vel comitante, cantentur, adhibitis libris authenticis cantus Gregoriani. **4189** *ad* 1 *et* 2.

In Missa cantata et in Vesperis cum cantu, non obstante vetusta consuetudine, permitti aut tolerari nequit pro Celebrante et Ministris sedes cameralis, instructa brachiis ac fulcimento pro humeris loco scamni oblongi. **4214**. *Vide* **2289** *ad* 3 *et* 4, **2621** *ad* 6, **3104** *ad* 4, **3804** *ad* 11, *et* **4165** *ad* 3 *et* 4.

In Missa cantata nequit, neque in Ecclesiis minoribus, continuari praxis immemorabilis, ut Celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad Offertorium illudque conficiat, dum a Cantoribus Symbolum decantatur; et serventur Rubricae et Decreta. **4242**.

Vide **Benedictus. Clericus. Communio** (in genere). **Missa solemnis.**

Missa Conventualis quoad obligationem et cantum.

Pro Missa Conventuali Mansionariis legitime impeditis non licet sibi substituere Sacertem, qui non sit de gremio Ecclesiae Cathedralis. **4067** *ad* 7.

Duae Missae una de Festo et altera de Feria dicendae sunt in Cathedralibus et Collegiatis, in Festo Expectationis Partus B. M. V. si incidat in Feriam IV Quatuor Temporum etsi praefatae duae Missae quamdam identitatem habeant. **4070** *ad* 4.

Si una tantum Missa celebretur in Ecclesiis Monialium Officium divinum habentibus, dicatur Missa Conventualis de Rogationibus cum Processione coniuncta, non vero de Duplici vel Semiduplici in Rogationibus occurrente; item, quando, ex praecepto Rubricarum peculiarium Breviarii Romano-Seraphici, Officium Defunctorum in Choro persolvitur, et una Missa celebratur in iisdem Ecclesiis, dicatur Missa Conventualis de Requie, non vero de Duplici vel Semiduplici. **4141** *ad* 5.

Missa Conventualis quoad Ritum.

In Missa Conventuali plana omittenda non est in Duplicibus secundae classis Commemoratio Simplicis, si postea alia Missa cantetur. **4177** *ad* 2, *et* **2740** *ad* 7.

Missae Conventuales sine cantu considerari possunt veluti solemnes quoad Preces in fine Missae ex mandato Summi Pontificis dicendas. **4177** *ad* 2, *et* **3697** *ad* 7.

Vide **Communio** (in genere). **Missa votiva solemnis et cantata. Praefatio.**

Missa Conventualis quoad tempus.

Missa Conventualis celebrari debet immediate post canonicam Horam a Rubrica et Decretis designatam, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere nequeat. **4053** *ad* 3.

Missam Conventualem quamlibet post Sextam et Nonam celebrandi consuetudo tolerari nequit. **4067** *ad* 2.

Missa in aliena Ecclesia vel Oratorio publico.

Missae in Oratoriis, quae ex peculiaribus circumstantiis Sanctimoniales habent in suarum domorum interioribus, loco habendi Ecclesiam vel Oratorium publicum, debent esse conformes Officio eorumdem Oratoriorum. **4072** *ad* 1.

Missae in Ecclesiis Missionum, quae Conventum Monialium S. Clarae adnexum habent, quarum Chorus, modo consueto, vel per crates cum Ecclesia communicat, non sunt legendae iuxta Calendarium Monialium. **4120** *ad* 9.

Missae celebrandae sunt iuxta Calendarium Regularium in Ecclesiis tum parochialibus vel annexis, tum talibus, quae a fidelibus, peregrinationis causa, pio animo frequentari solent, quae, licet in possessionem Regularium haudquaquam transierint, et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab Episcopo tamen Sacerdotibus Regularibus ad longum vel indefinitum tempus concreditae sunt, ut hi in iisdem functiones sacras peragant, et fidelium curae per Verbi divini praeconium et administrationem Sacramentorum ex officio deserviant; hinc in praedictis Ecclesiis etiam Episcopus et Parochus parochiae saecularis eiusque Vicarius, atque Beneficiatus, propter Beneficium Ecclesiae canonice adscriptus, in dicenda Missa se directorio Regularium accommodare tenentur. **4150**. *Vide* **3862** *et* **4051** *ad* 2.

Missa iuxta Calendarium Regularium celebranda est in Ecclesia, quae ante erectionem Monasterii fuit Ecclesia parochialis, et aliquot ab hinc annis in possessionem Monasterii legitime venit; et ad idem tenetur etiam Sa-

cerdos saecularis, qui est Beneficiatus vicinae cuiusdam Ecclesiae, et ex pia dispositione et fundatione ultimi Parochi Ecclesiae, quae nunc Monasterio pertinet, in hac Ecclesia monastica Missam celebrare, fidelium Confessiones excipere aliasque sacras functiones peragere debet. 4151. *Vide* 3862, 4051 *ad* 2 *et* 4150.

Vide **Calendarium.**

Missa ferialis.

Missa de Feria, dicenda diebus 19 et 25 Martii spectat ad eumdem Hebdomadarium cui pertinet ceteris diebus Missam ferialem celebrare. 4067 *ad* 1.

In Missis Feriarum Adventus etc. genuflectere debent omnes in Choro, dicto per Celebrantem *Sanctus,* usque ad *Pax Domini* inclusive; et hoc servandum est etiamsi praefatae Missae celebrentur sine cantu. 4089 *ad* 1.

Missa privata.

Dum Missae privatae inserviunt, omnes qui vestem talarem induunt, sint vel non sint tonsurati, debent superpelliceum induere: nisi pro laicis alicuius Familiae Religiosae obstent specialia statuta approbata. 4194 *ad* 2.

Infra Missam privatam nequeunt cantari a choro musicorum lingua vernacula Preces et Hymni liturgici v. g. Introitus, Communio, Hymnus *Lauda, Sion.* 4235 *ad* 8.

Vide **Expositio et Repositio SS. Sacramenti.**

Missa de Requie cantata seu solemnis.

In Missis de Requie, anniversariis *late sumptis,* non sufficit ut Sequentia *Dies irae* legatur tantum a Celebrante; sed debet etiam cantari a Choro. 4054 *ad* 6.

In Missis de Requie solemnibus sive cantatis, iuxta praxim Urbis, Communio distribui non solet, sed ubi ex rationabili causa distribuenda foret, Diaconus dicet *Confiteor* tantum alta voce, non cantando. 4104 *ad* 2.

In Missa de Requie cantata vel solemni vel instar Conventualis habenda, in diebus ritus simplicis et ferialis, plures usque ad septem pro Celebrantis lubitu nequeunt addi Orationes. 4157 *ad* 9.

In Missa de Requie oscula omittenda sunt; similiter Diaconus non osculetur Calicem et Patenam. 4193 *ad* 3.

In Missa de Requie nequeunt pulsari organa, quando Chorus silet. 4243 *ad* 5.

Vide **Benedictus. Clericus. Communio** (in genere). **Oratio. Paramenta.**

Missa exsequialis vel de Requie in die obitus seu depositionis.

Missa exequialis celebrari nequit Feria IV Cinerum in Ecclesiis parochialibus, ubi unicus est Sacerdos. 4076 *ad* 2.

Missa de Requie et Officium, servatis Rubricarum regulis, cantari potest in Ecclesia aliena et apud Regulares, quando fideles id petant pro propinquis vel amicis defunctis, postquam funeralia in Ecclesia parochiali persoluta sunt, vel diebus 3, 7, 30 aut anniversario a depositione, etiamsi Missa exequialis in Ecclesia parochiali non celebretur. 4085. *Vide* 3494.

Unica Missa de Requie praesente cadavere canenda est, iuxta Decr. 2915 ad 11, non obstante privilegio, alicui Dioecesi concesso, in qualibet hebdomada duas Missas de Requie canendi. 4118.

In Missa exequiali solemni, si post Elevationem et *Benedictus,* usque ad orationem Dominicam, aliquid modulari libeat, quod concinitur, ad Sacramentum pertineat, iuxta Decr. 3827 ad 3; in casu speciali S. Sedes concessit, ut continuari possit consuetudo canendi *Pie Iesu, Domine, dona eis requiem sempiternam,* et *Iesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum,* prohibito cantu *Miseremini mei* etc., ex libro Iob. 4239.

Vide **Exequiae. Missae applicatio.**

Missa de Requie, nuntio primo de obitu alicuius accepto.

Missa de Requie cum cantu quae ex Decr. 3755 ad 3 permittitur pro prima tantum vice post obitum, ut in die obitus, die quae prima occurrat, non impedita a Festo duplici I vel II classis vel a Festo de praecepto: prohibetur Feria IV Cinerum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV, V. VI, et Sabbato infra Octavas Paschatis et Pentecostes, quae dies excludunt Duplicia I classis; iuxta Decr. 3922. III, 2. 4096 *ad* 5, *et* 4235 *ad* 3.

Missa de Requie privata.

Missae de Requie, exposito SS. Sacramento in Sacello Expositionis quotidianae, quod Sacellum duabus constat Cappellis ex adverso positis cum transitu per medium, nequeunt

celebrari in illo Altari Sacelli in quo non extat expositio. **4058** *ad* 2.

Missae de Requie privatae, quae concessae sunt praesente, physice vel moraliter, cadavere, die vel pro die obitus, celebrari possunt in Altaribus in navibus erectis. **4069** *ad* 6. *Vide* **2945** *et* **4069** *ad* 1-5.

Circa Missas de Requie privilegium, concessum Sacellis sepulcreti, et Ecclesiae vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, non favet Sacellis, Ecclesiis et Oratoriis publicis sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, quod sepulcretum tamen hodie quacumque ex causa derelictum est, ita ut Defuncti in eo non amplius sepeliri soleant. **4096** *ad* 1. Praefatum privilegium neque favet Ecclesiae parochiali, quae circumiacens habet coemeterium. *Ibidem ad* 2.

Missae de Requie privatae, quae permittuntur in die vel pro die obitus in Ecclesiis et Oratoriis publicis, praesente, physice vel moraliter, cadavere: permittuntur etiam in Oratoriis semipublicis, et pro istis non requiritur (secus ac statutum est pro Ecclesiis et Oratoriis publicis) ut funus cum Missa exequiali in cantu fieri debeat. **4096** *ad* 4.

Missae de Requie lectae, Decr. 3822 concessae, dum corpus Episcopi in aula domus expositum manet, permittuntur iis diebus, quibus Missam lectam de Requie celebrare licet in die vel pro die obitus, praesente, physice vel moraliter, cadavere. **4096** *ad* 6. Vide novas Rubricas quoad dies quibus praefatas Missas celebrare licet. **Tit. X, n. 5.**

Missae de Requie, quae celebrantur pro Summo Pontifice, Episcopo Ordinario vel Imperatore, etc., nullo gaudent speciali privilegio diebus per Rubricas vel Decreta impeditis. **4119** *ad* 2.

Missae lectae de Requie, exceptis diebus prohibitis, celebrari possunt in Oratoriis privatis domus, omnibus et singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, quamdiu cadaver praesens est in domo; non vero in Oratoriis semiduplicis, quae, deficiente Ecclesia vel Oratorio publico, horum locum teneant. In Oratoriis publicis et Ecclesiis Seminariorum, Collegiorum et religiosarum Communitatum praefatas Missas non licet nisi semel tantum celebrare, in uno ex tribus diebus, ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus, dum cadaver praesens est in domo, Ecclesiis vel Oratoriis publicis praedictis adnexa. **4192** *ad* 1 *et* **4235** *ad* 1 *et* 2.

In Missa de Requie omnia oscula omittenda sunt. **4193** *ad* 3.

Vide Expositio et Repositio SS. Sacramenti. Expositio SS. Sacramenti occasione Orationis XL Horarum. Oratio.

Missa coram Sanctissimo Sacramento exposito.

In Missa cum SSmo Sacramento exposito permitti nequit ut Celebrans et Ministri per longiorem pergant ad sedendum, sed serventur Rubricae, ut in aliis Missis solemnibus. **4077** *ad* 6.

Missam Conventualem coram SS. Sacramento exposito (quoad processionaliter per Ecclesiam gestatur, dictis in Choro, post Missam, Sexta et Nona) mos canendi, qualibet tertia Dominica mensis, continuari potest, de licentia tamen Ordinarii. **4104** *ad* 1.

In Missa coram SS. Sacramento Feria V in Coena Domini, vel alias, quando Subdiaconus allaturus est Calicem ad abacum, tenetur genuflectere, antequam a mensa recedat, imo Calicem ipsum accipiat, et etiam per medium transiens, super infimo gradu; in reditu autem non debet genuflexionem post Celebrantem, Postcommunionem canentem, peragere. **4172** *ad* 4.

In Missa solemni coram SS. Sacramento exposito, Celebrans, postquam dixit in initio *Oramus te,* et ad Offertorium *Veni, Sanctificator,* non debet cum Ministris rursus genuflectere, antequam aliquantulum se retrahat versus cornu Evangelii, in thuris impositione. **4194** *ad* 5. In eadem Missa, Subdiaconus, qui accepta Patena post oblationem Calicis, genuflectit in suppedaneo ad dexteram Diaconi, non debet iterum genuflectere, cum venerit ante infimum gradum. *Ibidem ad* 6. *Vide* **4027** *ad* 2.

Missam coram SS. Sacramento exposito Sacerdos celebrans, si Missale ad aliud Altaris cornu transfert, non debet genuflexionem agere dum transit ante medium, sed tantum caput inclinet; sed genuflectit quando revertitur ad medium, *Munda cor meum* dicturus. **4198** *ad* 12.

In Missa solemni, dum Celebrans incensat Sanctissimum Sacramentum solemniter expositum, Chorus non tenetur genuflectere. **4243** *ad* 4.

Missa solemnis.

Missa solemnis vel cantata, quae Officio diei non est conformis, non oportet ut celebretur immediate post aliquam Horam canonicam; exceptis tamen Missis quae vel per Rubricas praecipiuntur, vel ad Commemorationes in Officio diei factas referantur, quae immediate post respectivam Horam celebrentur. **4053** *ad* 4.

In Missa solemni non sustinetur praxis qua Corporale non explicatur a Diacono tempore praescripto in Ritu servando in celebratione Missae (tit. VI, 7), sed a Sacrista antequam Missa inchoetur; et serventur Rubricae ac Decreta, etiam quando Symbolum locum non habet. **4054** *ad* 1.

Missae solemnes Feriarum Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, de Requie, aliaeque per annum nequeunt celebrari sine ceroferariis, sine thurificatione, duobusque tantum Cereis accensis in Altari; et contraria consuetudo servari nequit. **4054** *ad* 2.

In Missa solemni servetur Caeremoniale Episcoporum, lib. 2, cap. 8, n. 45, relate ad locum quem Subdiaconus occupare debeat tempore quo Diaconus in pulpito canit Evangelium. **4054** *ad* 3.

In Missa solemni nequit retineri praxis qua Canonicus celebrans, lecto Graduali vel Tractu, vadit ad scamnum, ubi sedens et coopertus imponit incensum, dat benedictionem Diacono Evangelium cantaturo, ibique manet quin legat Evangelium usque dum Diaconus incipiat cantum ipsius; et serventur Rubricae, non obstante praesumpto privilegio. **4054** *ad* 4.

In Missa solemni Celebrans in Dominica Palmarum, dum legit verba: *In nomine Iesu omne genu flectatur* etc., et post *Emisit Spiritum* (ac ad similia in aliis Missis), non debet genuflectere; sed prosequi debet, quin genuflectat donec praedicta verba a Subdiacono vel Diacono cantentur. **4057** *ad* 6.

In Missa solemni in Ecclesiis, in quibus habetur alternativa Chori respectu Canonicorum, in aspersione Aquae benedictae, thurificatione et pacis osculo, incipi potest vel a parte in qua sedet dignior ex praesentibus, vel ab ea parte cui Hebdomada contingit et cui apposita est Tabella Chori, prouti fert consuetudo Ecclesiarum. **4057** *ad* 7.

In Missis solemnibus «*Confiteor*» dicatur alta voce vel cantando, iuxta consuetudinem, ante distributionem SS. Eucharistiae. **4104** *ad* 2. Secus ac in Missa pontificali, in qua cantari debet. *Ibidem.*

Missam solemnem Canonici celebrantes in Ecclesia Cathedrali adhibere nequeunt duo Missalia, unum in cornu Epistolae et aliud in cornu Evangelii; et serventur Rubricae. **4144** *ad* 2.

Pro Missa solemni Celebrans, quando est Canonicus, nequit induere paramenta in aula capitulari, Diacono et Subdiacono sumentibus vestimenta in Sacristia; non obstante consuetudine; et standum Decretis 2703 et 3937, quibus statuitur, quod Beneficiati Cathedralis, qui Diaconi et Subdiaconi munia exercere debent, possunt et debent indui paramentis sacris in eadem mensa, in qua planeta vel pluviali se induit Celebrans, etiam si hic sit Canonicus vel Dignitas. **4243** *ad* 8.

In Missa solemni dum canitur Evangelium a Diacono, nequeunt Ceroferarii se sistere a lateribus Clerici, qui in cornu Epistolae et versus Subdiaconum sustinet Crucem processionalem, sed debent se sistere a lateribus Subdiaconi; non obstante consuetudine. **4250** *ad* 2.

In Missa solemni diei festi Annuntiationis B. M. V. et Natalis D. N. I. C., Celebrans et Ministri debent genuflectere, non solum quando a Choro cantantur verba: *Et incarnatus est* etc., sed etiam quando eadem verba simul recitant ad Altare. **4281** *ad* 1.

Vide **Benedictio. Clericus. Communio** (in genere). **Diaconus. Episcopus quoad Missam aliasque functiones. Et incarnatus est. Missa cantata. Neo-Sacerdos. Subdiaconus.**

Missa votiva (in genere).

In Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex, eo die integrum Officium et Missam habens, debet, ratione Duplicis, omitti Oratio tertia de Tempore; imo et Collectae ad omnem Votivam omittendae sunt, cum commemoratur Festum duplex, si hoc, iuxta Rubricas, Collectas non admittat. **4157** *ad* 2.

In Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex, eo die integrum Officium ac Missam obtinens, nequeunt post tertiam Orationem et Collectam aliae pro Celebrantis lubitu adiungi Orationes, intra septenarium numerum; neque in iisdem Oratio pro Defunctis valet recitari. **4157** *ad* 2.

In Missa votiva Symbolum adhiberi debet, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis, eo die

ad instar Simplicis redacti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat. 4157 *ad* 7.

In Missa votiva respondente Officiis ad instar Simplicis redactis, quae ritum duplicem alias obtinerent, excluditur secunda et tertia Oratio de tempore, et solum admittuntur Commemorationes occurrentes et Collectae, si iuxta Rubricas et Decreta admittendae sint; quia est Missa festiva Officii duplicis, licet per accidens simplicis. 4192 *ad* 2.

In Missa privata votiva (dummodo haec permittatur) facienda est, et quidem penultimo loco, Commemoratio pro Defunctis, die in qua, iuxta tit. V, n. 1 vel 2 Rubricarum Missalis, in Missa de Feria vel Simplici Commemoratio pro Defunctis est facienda. 4235 *ad* 5.

Vide **Color. Missa votiva solemnis et cantata. Praefatio. Rorate. Rosarium.**

Missa votiva solemnis et cantata.

In Missa votiva quae, ob speciale privilegium a S. Sede obtentum, canitur et legitur de aliquo Sancto, die non propria nec assignata, ut in die festo, Commemoratio Officii currentis omittatur si Missa votiva sit solemnis, et altera Missa lecta de eodem Officio currenti celebretur, vel saltem idem Officium in alia Missa Commemorationem assequatur; Commemoratio Officii currentis fiat semper si Missa votiva sit lecta. 4059 *ad* 3.

Missa votiva cantata celebrari potest post Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam; sed servari quoque potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam; excepta tamen Missa votiva pro re gravi, vel cum populi concursu, quae post Nonam omnino cantari debet, iuxta Rubricas. Quoad Missas de Requie servetur Rubr. Miss. tit. XV, n. 3. 4157 *ad* 1. *Vide* 3059 *ad* 12 *et* 3914 *ad* 4.

In Missa votiva, cantata vel solemni vel Conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis eo die occurrentis (quia nempe de alterutro vel una Missa Votivam praecesserit vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari): Orationum numerus et qualitas ita debent ordinari, perinde ac si duplex vel Semiduplex non occurreret. 4157 *ad* 4.

In Missa votiva tonus festivus seu solemnis reservari dumtaxat debet in casu, in quo eadem Votiva respondeat Officio duplici vel semiduplici (quamvis per accidens simplici) ipsius Personae. 4157 *ad* 5. In aliis casibus adhibendus est tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto hymno Angelico et *Ite, missa est* in Missis Deiparae votivis. *Ibidem ad* 6.

In Missis votivis (non de Requie) Conventualibus et cantatis, in diebus ritus simplicis et ferialis, quando dici possunt ad libitum aliquae Orationes, non pro lubitu Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae. 4157 *ad* 9.

Vide **Praefatio.**

Missa votiva de Sacr. Corde Iesu.

Missa votiva de Sacr. Corde Iesu, indulta per Decr. 3712, dici nequit Feria VI, quae prima in Ianuario mense occurrit, quando in illam diem incidit Vigilia Epiphaniae. 4084 *ad* 1.

Missa votiva de Sacr. Corde Iesu, indulta per Decr. 3712, dici nequit in Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos adest, qui Missam Conventualem Officio convenientem celebrare debet. 4093 *ad* 1. Neque celebrari potest diebus festis de praecepto, in Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos adest, qui applicare tenetur pro populo. *Ibidem ad* 2. Neque dici potest in Festo Purificationis B. M. V., attento mysterio, ob quod Festum Purificationis B. M. V. aequiparatur Festo Domini. *Ibidem ad* 3.

Missa votiva lecta de Sacr. Corde Iesu, prima cuiusque mensis Feria VI celebrata cum privilegiis Missae votivae solemnis pro re gravi, habeatur uti solemnis, eique applicari potest Decr. 3697 ad 7, quod permittit ut Preces post Missam privatam iussu Summi Pontificis dicendae omitti possint. 4271 *ad* 2.

Moniales vide **Calendarium. Missa in aliena Ecclesia vel Oratorio publico.**

Mulier.

Mulieribus et puellis quo pacto cantus in Ecclesiis permittantur. 4210 *ad* 2, *et* 4231.

Musica.

De Musica Sacra Motu Proprio SS. D. N. Pii Papae X. 4121. Epistola eiusdem ad Eminentissimum Card. Vicarium, de Musices sacrae instauratione. 4125. Decretum Urbis et Orbis quo Motu Proprio 4121 omnibus observandum praecipitur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis. 4131. Motu Proprio de editione

Vaticana librorum liturgicorum Gregorianum cantum continentium conficienda. **4134.** Explanatio dubii super usu instrumentorum musicorum. **4156** *ad* 1. Decretum seu Instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium. **4166.** Decretum de editione iam perfecta. **4168.** Declaratio circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium. **4178.** Decretum de typica editione Vaticana Gradualis Romani. **4203.** Declarationes de cantu virorum et puerorum, puellarum et mulierum. **4210** *ad* 2 *et* **4231.** Decretum seu Litterae ad Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ordinarios, de editione typica Vaticana Gradualis Romani. **4217.** Declaratio quoad quaedam instrumenta musica. **4226.** Instructio pro editoribus Propriorum singularum Ecclesiarum cum cantu Gregoriano. **4229.** Instructiones circa cantus concinnandos atque edendos, Officia propria alicuius Ecclesiae vel Instituti respicientes. **4234.** De prohibito cantu Precum liturgicarum lingua vernacula. **4235** *ad* 7 *et* 8, **3537** *ad* 3, *et* **4268** *ad* 10. De vetito cantu tempore Elevationis SS. Sacramenti. **4071** *ad* 1. De cantu post Elevationem et *Benedictus*. **4239.** Usus *Grammofono* prohibetur loco cantus liturgici Gregoriani. **4247.** Decretum seu Declaratio super editione Vaticana eiusque reproductione quoad libros liturgicos Gregorianos, et super signis rythmicis. **4259** *et* **4263** De modo servando in expetenda approbatione Propriorum alicuius Dioecesis vel Ordinis ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis. **4260.** De cantu adiuvando, associando vel sustinendo cum sono organi. **4265** *ad* 1 *et* 2. *Vide* **4054** *ad* 9, **4067** *ad* 3 *et* 6, **4189** *ad* 1 *et* 2, *et* **4243** *ad* 5. De editione librorum liturgicorum. **4266.**

Vide **Hebdomada sancta. Missa cantata. Missa votiva solemnis et cantata.**

N

Nativitas Domini.

In Nativitatis Domini Nocte Missa Conventualis incipienda est dicto. ℣ *Benedicamus Domino* et ℟. *Deo gratias,* praecedentis Horae canonicae, iuxta Rubricam specialem in Nativitate Domini; neque addendum est *Fidelium animae* etc. et *Pater noster.* **4120** *ad* 8.

Vide **Et incarnatus est.**

Neo-Sacerdos.

In Neo-Sacerdotis prima Missa cantata, tolerari potest usus, ut praeter Ministros in Missa solemni adhiberi consuetos, duo inserviant laici, quos Patrinos vocant, qui in parte et a latere Presbyterii stant, et quorum Officium praecipue est, aquam odoriferam ad manuum lotionem ad *Lavabo* Neo-Sacerdoti effundere. **4257** *ad* 1. Consuetudo ut Neo-Sacerdos, absoluta sua prima Missa, Benedictionem genuflexus recipiat a parentibus, et ipse eisdem benedicat, continuari potest, non tamen in Presbyterio et in Ecclesia, sed in sacristia vel alibi; et postquam Neo-Sacerdos deposuerit sacra paramenta. *Ibidem ad* 2.

O

Occurrentia.

In occursu Festum secundarium, ceteris paribus, postponendum est primario, etiamsi ante Decreta Generalia « de Festis primariis et secundariis », dd. 27 Iunii 1893 et 22 Augusti 1893, Festa secundaria praelationem in Calendario perpetuo alicuius Dioecesis habuerint. **4091.**

In occurso S. Isidori Agricolae et S. Ioannis Baptistae de la Salle, ob specialia adiuncta in Hispania S. Isidorus praeferendus est. **4092.**

Octava (in genere).

Si dies Octava Patroni aut Dedicationis Ecclesiae in perpetuum impediatur per Festum I vel II classis, serventur Rubricae et Decreta. **4074** *ad* 5 *et* 6.

De die infra Octavam Missa, quae a Sacerdote in propria Ecclesia, die non impedita, celebratur, habet *Credo,* si illa Octava *Credo* habeat, et si de ea in Officio Commemoratio recitata ab eodem Sacerdote fuit; idem applicandum est si idem casus occurrat in cele-

branda Missa in Ecclesia aliena; idem extendendum est ad quamlibet Missam de die infra Octavam, sive sit privata, sive solemnis, sive privilegiata. **4115** *ad* 2.

Infra Octavam alicuius Sancti Octavam habentis, cuius nec Officium recitatur nec fieri Commemoratio per accidens potest, caput inclinari debet, quando dicti Sancti nomen occurrit in Missa. **4116** *ad* 1.

Diei infra Octavam SS. App. Petri et Pauli Commemoratio praecedere debet Commemorationem diei infra Octavam Dedicationis propriae Ecclesiae **4120** *ad* 3.

Die Octava S. Thomae Cantuariensis in Anglia legi possunt in III Nocturno Lectiones Homiliae *Audistis,* ut in Dominica II post Pascha. **4120** *ad* 6.

De Octava Titularis, quod die 30 Decembris recolitur, nihil fit, iuxta Rubricas et Decretum 3876 ad 1. **4139** *ad* 2.

Octavae Duplicium maiorum abolentur. **4282**.

Octava Commemorationis solemnis SS. Corporis D. N. I. C.

Infra Octavam SS. Corporis D. N. I. C. in Cathedr. Tropien., continuari potest usus, ut quotidie mane post Nonam fiat Processio cum SS. Sacramento, et Missa Conventualis post Tertiam canatur coram SS. Sacramento exposito. **4079** *ad* 5.

Si in die Octava S. Corporis D. N. I. C. de eadem Officium non celebretur, in secundis Vesperis fit Commemoratio sequentis, nempe SS. Cordis Iesu, non vero de die Octava simplificata. **4261** *ad* 3.

S. Odilo.

S. Odilonis Officium et Missa non sunt concessa cunctis Galliarum Ecclesiis, sed S. Sedes reservavit sibi concessionem singulis petentibus. **4269** *ad* 1.

Officia (in genere).

Officiorum partes propriae, in Festis, non autem infra Octavam et in die Octava, debent in casu impedimenti loco illarum poni quae vel de Communi accipiuntur vel sunt iam in iisdem Officiis recitatae; ita ut v. gr. in Festo particulari primis Vesperis carente, Antiphonae in hisce Vesperis propriae ponendae sint in secundis Vesperis, omissis Antiphonis, quae secus ex Laudibus forent repetendae. **4141** *ad* 1.

Vide **Commemoratio** (in genere). **Concurrentia. Occurrentia.**

Officium Defunctorum.

Officia Defunctorum permitti possunt ante Missam parochialem, absque tumulo, diebus Dominicis et festis non solemnioribus, stante consuetudine inveterata, quae auferri absque perturbationibus nequit. **4052**.

In Officio Defunctorum quod quibusdam diebus vespere canitur in Choro, non est permittendum ut sedeat in scamno Presbyterii Celebrans paratus Alba et Pluviali inter Diaconum et Subdiaconum, sacris indumentis, uti ad Missam, etiam paratos. **4054** *ad* 8.

In Officiis Defunctorum, extra diem obitus, seu depositionis defuncti, sumi debet semper Nocturnum, quod feriae occurrenti respondet, sint onera adimplenda fixa vel adventitia, **4095** *ad* 2. *Vide* **3691** *ad* 3, *et* **3764** *ad* 5.

In Officiis Defunctorum potest legile Chori et scamnum Celebrantis ac Ministrorum nigro aut violaceo panno, etiam serico, contegi. **4172** *ad* 1.

In Officio Defunctorum, nequeunt pulsari organa cum canuntur Lectiones Matutini. **4243** *ad* 5.

Vide **Missa exequialis, vel de Requie in die obitus seu depositionis.**

Officium quoad recitationem, tam privatam quam in Choro persolvendam.

In Officio servetur Caeremoniale Episcoporum, lib. 1, cap. 28, ita ut, cum organum alternatim pulsatur, intelligibili voce pronuntietur quod per organum figuratur cantari. **4054** *ad* 9.

In Officio psalmi possunt ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a Choro, alter vero recitetur sub organo, clara ac distincta voce, ab uno ex Mansionariis; dummodo et organa non sileant, et insufficiens habeatur Choralium numerus. **4067** *ad* 3.

In Officio, absente vel deficiente sacri concentus schola, quae relativas Missae partes cantabiles et Vesperarum psalmos, uti quandoque et Matutini, exequi solet, Canonici et Mansionarii tenentur a seipsis supplere saltem in cantu Gregoriano. **4067** *ad* 4.

In Officio ad asteriscum pausa omnino est servanda, etiamsi sine cantu fiat; non obstante quacumque in contrarium consuetudine. **4067** *ad* 5.

Post Officium chorale, *Pater, Ave* et *Credo* stantes vel genuflexi recitare debent Chorales, uti stantes, vel genuflexi finalem Antiphonam recitare tenentur. **4070** *ad* 2.

In Officio, quotiescumque recitantur in Choro Preces feriales tempore Quadragesimae, debent omnes, Hebdomadario excepto, genuflexi manere etiam in Commemorationibus Sanctorum simplicium et in Oratione Suffragii de Sanctis. **4089** *ad* 2.

Officium proprium in Festo et per Octavam S. Ioannis Baptistae de la Salle, concessum Congregationi Fratrum Scholarum Christianarum, qui ad Horas Canonicas non tenentur, recitare debent Cappellani fixi, qui, a Rm̃o Ordinario designati, sunt addicti domibus eiusdem Congregationis ad obeunda munera ministerii sacerdotalis, dummodo ratione Beneficii ad aliud Officium non adigantur; alii vero Sacerdotes, licet vices Cappellani gerant, nec tenentur nec possunt recitare praefatum Officium proprium. **4106**.

In Officio, nempe in Matutinis et Vesperis solemnibus servari debet consuetudo immemorabilis, ut Dignitates et Canonici, etiam Praebendati, pluviale induant. **4123** *ad* 1. Iidemque debent Officianti assistere pluvialibus induti, in Matutinis et Vesperis solemnibus, dum Altare thurificatur. *Ibidem ad* 2.

In Officii privata recitatione, Matutinum pro insequenti die incipi potest hora secunda pomeridiana, neque exigitur ut servetur ordo tabellae Directorii Dioecesani, omni tempore. **4158** *ad* 1. At nequit etiam in publica seu chorali recitatione Officium incipi hora secunda pomeridiana. *Ibidem ad* 2. Hora recitandi Matutinum annumerari potest ad libitum aut ex meridiano locali, aut ex meridiano circulo officiali dicto *Greenwik,* qui quidem anticipat horam circuli localis (Placentiae in Hispania) per tertiam horae partem, plus minusve. *Ibidem ad* 3.

In Officio Hebdomadarius nequit uti stola, non obstante perantiqua consuetudine. **4162** *ad* 1. *Vide* **1275** *ad* 3. Hebdomadarius nequit manere in habitu chorali usque ad Hymnum, et tunc assumere pluviale, non obstante eadem consuetudine; sed quando iuxta Caerem. Episc. sunt assumenda pluvialia, servetur idem Caerem., lib. 2, cap. 3, n. 1, 2, 3 et 4. **4162** *ad* 2. Pluvialia in Vesperis solemnibus nequeunt assumi et deponi in Choro, et servetur Caerem. loco cit. *Ibidem ad* 3. Qui assistunt Hebdomadario, tempore thurificationis, debent esse iidem, qui ab initio parati fuerunt, et nequeunt esse duo alii Beneficiati, simplici habitu chorali induti, ac servetur Caerem. loco cit., n. 10. *Ibidem ad* 4. Non obstante consuetudine, ut, absente Episcopo, praeter duos Beneficiatos, etiam duo Canonici in Festis solemnioribus induantur pluvialibus, ad fungendum munere assistentium in Vesperis: Canonici in casu ad id non tenentur, iuxta Decr. 1391 ad 3. *Ibidem ad* 5.

Vide **Chorus.**

Oratio.

In Oratione quando plures Patroni aeque principales et paris liturgicae dignitatis nominandi sunt, servetur ordo Litaniarum. **4055** *ad* 2.

Circa Orationes pro Ecclesia et pro Papa id retinendum est ut, si alterutra vi Rubricae, altera ex praecepto Ordinarii praescribatur, utraque in Missa dici debeat. **4070** *ad* 1.

In Oratione Missae de *Requie* quae legitur pro *uno* et *una* Defunctis, dicatur *famuli et famulae tuae* quando non exprimuntur nomina; secus dicatur *famulorum tuorum.* **4074** *ad* 7.

Oratio in Officio et Suffragio de S. Michaele Arch. dicenda in Ecclesiis Congr. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae determinatur. **4159** *ad* 2.

Vide **Anniversaria pro Defunctis** (in genere). **Conclusio Orationum. Missa votiva** (in genere). **Missa votiva solemnis et cantata. Postcommunio.**

Oratoria.

In Oratorio novo, a Regularibus proprie dictis in aedibus Monasterii erecto, simul cum Altari sive fixo sive portatili, Missa celebrari potest, quin ab Episcopo Ordinario licentia petatur; sufficit necessitas vel utilitas Communitatis religiosae, de licentia Superioris Generalis aut Provincialis, iuxta Decr. 4007; relate ad alias Communitates, quae non sint Regularium proprie dictorum, servetur Decr. 3484 ad 2, quod exigit ut pro erectione alterius Oratorii (praeter Cappellam seu principale Oratorium) facultas a S. Sede obtinenda est. **4190** *ad* 1. At neque Regulares proprie dicti possunt, sine Indulto, Missam celebrare in Oratoriis erectis in domibus, quae extra Monasterium sita sunt, sed ad eius peculium pertinent, licet ibidem unus vel plures Patres per aliquod tempus sive oecono-

miae sive sanitatis causa versentur. *Ibidem ad* 2.

Oratorii privati Indultis intelligitur inclusa facultas Sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui Sacrificio Missae adsistunt; salvis iuribus parochialibus. 4201.

Vide **Calendarium. Missa in aliena Ecclesia vel Oratorio publico. Missa de Requie privata. Solemnitas. Titularis.**

Ordinatio.

Post Ordinationem, quando Neo-Ordinati recitant Nocturnum ab Episcopo impositum, sufficit ut dicant Psalmos, cum respectivis Antiphonis, ad tale Nocturnum, iuxta Decr. 4042 ad 1, spectantes; neque addendi sunt Psalmus *Venite, exsultemus,* Hymnus et Lectiones. 4117.

In Ordinatione peragenda, Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, vel diebus Dominicis, ex Indulto Apostolico, pronuntianda sunt ante singulas Orationes super Ordinatos verba *Flectamus genua,* iuxta Pontificale Romanum. 4164.

In Ordinationis Missa, quae Sabbatis Quatuor Temporum debet esse de Feria, non est facienda Commemoratio Simplicis vel Simplificati occurrentis, excepto Sabbato Pentecostes, et quando Officium fuerit de Feria. 4194 *ad* 7.

Ordo Minorum S. Francisci.

Ordo Minorum S. Francisci, sicut et ceteri Regulares, recitare tenentur Officium Patroni Dioecesis, cuius dies est vel erat de praecepto festivus pro tota Dioecesi, licet recitent Officium Patroni praecipui loci; et hoc sensu interpretanda sunt Indulta Ordini concessa. 4053 *ad* 1.

Ordinis Minorum Fratres in tota Aegypti regione Festum S. Marci Evangelistae sub ritu duplici primae classis, addita, ob peculiaria adiuncta, Octava, celebrent, licet observantia huius obligationis iamdiu intermissa fuerit. 4060 *ad* 2.

In universo Fratrum Minorum Ordine Festa Dedicationis Basilicarum Assisiensium, de Portiuncula nempe atque de S. Francisco, uti Festa primaria haberi debent. 4120 *ad* 2.

In Ordine Minorum, in Festo Translationis S. Francisci atque Inventionis S. Clarae, silente Breviario, Hymni proprii, qui sunt ordine historico exarati, debent in casu impedimenti transponi, vel pro casuum diversitate coniungi. 4120 *ad* 5.

Vide **Anniversaria pro Defunctis** (in genere). **Calendarium. Immaculata Conceptio B. M. V. Processio quoad ordinem et ritum. Regulares quoad Officium.**

Ostensorium.

Ostensorium debet cooperiri velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem SS. Sacramenti. 4268 *ad* 7. Serventur Decreta relate ad tangendum a laicis Ostensorium. 4268 *ad* 6.

P

Palla.

Palla Calicis, quae in parte superiori potest esse cooperta panno serico, aut ex auro vel argento et acu depicto, non tamen nigri coloris, nec cum aliquo mortis signo: in parte inferiori, qua Calix cooperitur, non habeat linum Cruce munitum et subsutum ad modum pallae, inamovibile; sed palla subnexa, proprie dicta, sit linea, munda et facile amovibilis. 4174 *ad* 2.

Palmatoria vide **Episcopus quoad Missam aliasque functiones. Praelati Episcopo inferiores.**

Paramenta.

In paramentis nigris, tam Altaris, quam Celebrantis et Ministrorum, librorum et faldistorii repraesentari nequeunt calvaria cum ossibus decussatis Defunctorum; et servetur Caerem. Episc., lib. 2, cap. 11, n. 1. 4174 *ad* 1.

Vide **Color.**

Patronus vide **Credo. Ordo Minorum S. Francisci. Regulares quoad Officium.**

Pentecostes.

Ante Pentecosten novendialis Supplicatio, a Leone Pp. XIII praescripta, incipi debet Fe-

ria VI infra Octavam Ascensionis Domini, non obstante praxi incipiendi Sabbato. 4271 *ad* 6.

SS. Perpetua et Felicitas.

SS. Perpetuae et Felicitatis Festo occurrente in Feria II post Dominicam III Quadragesimae, in Missis de iisdem Sanctis, Postcommunio Feriae (quum sit eadem cum Postcommunione Festi) sumatur ex Missa Feriae proxime sequentis. 4107.

Si SS. Perpetua et Felicitas sint Titulares cuiusdam Ecclesiae, amodo recolantur die sexta Martii, non vero die septima, nempe natali, prout fiebat antequam sub ritu duplici ab universa Ecclesia recolerentur. 4246.

Vide **Postcommunio.**

Postcommunio.

Postcommunio pro die infra Octavam Omnium Sanctorum sumenda est ex Vigilia eorumdem, quando in Missa diei eadem *Postcommunio occurrit,* quum bis recitari nequeat. 4070 *ad* 6.

In Postcommunione Festorum S. Ildephonsi Ep. Conf. et S. Helladii Ep. Conf., dicendum est *et Doctor egregius,* si dicti Sancti concessi sint uti Doctores; secus negative; neque sufficit concessio Missae *In medio,* cum prima Oratione propria, ut putentur concessi uti Doctores. 4126 *ad* 5.

Ad Postcommunionem in Missa *Me expectaverunt,* si fuerint plures Martyres, sive Virgines sive non Virgines, post verba *Martyribus tuis,* addatur *N. et N.,* uti in Orationibus praecedentibus. 4241 *ad* 1.

Vide **Conclusio Orationum. Feria. Oratio.**

Praecedentia.

Praecedentia inter duos Episcopos, in eodem Consistorio electos, illi competit qui prius in Consistorio propositus et confirmatus fuit. 4133.

Ex eo quod praecedentia loci in Processionibus eucharisticis competit Confraternitati Sanctissimi Sacramenti, eidem etiam prae ceteris Confraternitatibus ius adest sustinendi hastas baldachini sub quo Venerabilis Eucharistia deducitur, necnon portandi ad utrumque baldachini latus lucernas elatas. 4143 *ad* 1. Et ab Ordinario mos permitti nequit, cuius vi aliae Confraternitates in Titularis sui Festo Processionem cum Sanctissima Eucharistia peragentes consuevere hastas baldachini, et utrinque lucernas elatas portare, data de cetero loci praecedentia Confraternitati SS. Sacramenti. *Ibidem ad* 2.

De praecedentia Tertii Ordinis super Sodalitates laicas; et de praecedentia Confraternitatis SS. Sacramenti super alias Sodalitates in Processionibus cum SS. Eucharistia, reservata iugiter praecedentia cuiusvis Tertii Ordinis Fratribus; licet nec Tertiarii nec Confratres *sacco* induantur, ex usu generali, sed scapulari, numismate, etc. ornentur. 4173 *ad* 1 *et* 2.

Praeconium Paschale.

Praeconium Paschale canendum est versus aquilonem, prout fit ad cantum Evangelii, nisi cantetur in ambone. 4057 *ad* 3.

Praeconium Paschale eodem loco ac Evangelium in Missa cani debet, et Diaconus cum reliquis Ministris lineam rectam efforment, omnesque ad librum faciem convertant, latera dextera Altari obversa tenentes; facie Crucifixi Celebrantes respiciente, iuxta Caerem. Episc., lib. 2, cap. 27, n. 10. 4198 *ad* 8.

Vide **Cereus Paschalis.**

Praeeminentia.

Praeminentia Decani super Clerum Decanalem in Dioecesi Gnesnen. et Posnanien. licite et valide praescripta fuit ab Archiepiscopo; agitur de praecedentia non in Choro, Capitulo et sacris Functionibus, sed in Congregationibus Cleri et in officiis ad Ordinarium spectantibus, a quo Decani sunt specialiter delegati, iuxta vigentem et communiter receptam consuetudinem. 4128.

Praefatio.

Praefatio communis, non vero de Octava, dicenda est in Missa votiva Conventuali, quando alia celebretur de die infra Octavam, vel eius fiat Commemoratio in Missa de Officio occurrente. 4116 *ad* 2.

Praeintonatio.

Praeintonatio Hymni *Gloria in excelsis* in Missis solemnioribus, quae fit a duobus cantoribus, permittenda est, ubi adsit longeva consuetudo, quae difficulter eliminare possit. 4144 *ad* 3.

Praelati Episcopo inferiores.

De Praelatis Episcopo inferioribus Motu Proprio Pii Pp. X diei 21 Febr. 1905, seu de Protonotariis Apostolicis de numero Participantium, Supranumerariis, ad instar, Titularibus seu Honorariis; de ceteris Praelatis Romanae Curiae; de Dignitatibus, Canonicis et aliis qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur. 4154. Declaratio super dicto Motu Proprio. 4182. Dubia circa quaedam privilegia seu insignia Praelatorum propria. 4199, 4238 *ad* 4, *et* 4267.

Praelati Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae non aspergantur ritu quodam ex consuetudine inducto, sed iuxta ritum in universa Ecclesia receptum. 4159 *ad* 6.

Praelati Episcopo inferiores, seclusa Rubrica peculiari per Apostolicam Sedem confirmata, Benedictionem a digniore persona expetant per verba *Iube, domne,* eaque accepta, Lectiones per se legant, prouti in Decr. 1108 ordinatur. 4159 *ad* 7.

Si Praelatio in Missa lecta Clericus ministret, servetur Decr. 4181 *ad* 3, 4, 5, 6, 7. Non obstantibus consuetudinibus et privilegiis. *Ibidem, in fine.*

Pro Praelato Provinciali vel Generali, qui celebrent in Ecclesiis sibi respective subiectis, et ab Ordinarii locorum iurisdictione exemptis, potest servari antiquissimus usus, ut Clericus thuriferarius genuflexus eisdem thuribulum exhibeat; nisi tamen Missa vel Officium vel functio coram Sanctissimo exposito celebretur. 4198 *ad* 19.

Praelatis Regularibus, privilegium habentibus, licet uti palmatoria, etiam quando celebrant coram Episcopo dioecesano, dummodo tamen Episcopus non assistat throno. 4251 *ad* 3.

Vide **Abbates** (in genere). **Abbates Regulares diversorum Ordinum. Canonici Regulares. Celebrans.**

Processio quoad ordinem et ritum.

In Processione, quae die prima Augusti fit ad annuntiandam sive incipiendam Indulgentiam Portiunculae, potest deferri Reliquia S. Francisci, recitando vel cantando aliquem Hymnum in honorem eiusdem Sancti; tabula autem cum inscriptione Indulgentiae plenariae non deferatur in Processione, sed affigatur, si placet, ante portam Ecclesiae 4177 *ad* 4.

In Processionibus Sanctorum, laici, sive adulti sive pueri, sine *sacco,* aliquo tamen catholico signo exornati et intortitia manu ferentes, possunt procedere vel ante sodales Confraternitatum *sacco* indutos, vel post statuam seu Sacras Imagines. 4188 *ad* 1. Idem servetur etiam in Processionibus poenitentialibus. *Ibidem ad* 2.

Quoties Processio pro gratiarum actione locum habuerit, post Hymnum *Te Deum* dici debent omnes versiculi cum tribus Orationibus in Rituali Romano designati. 4198 *ad* 11. *Vide* 2956 *ad* 3.

In Processionibus intra claustra peragendis, nequit retineri antiquissimus usus, ut candelabra a duobus in habitu chorali Religiosis deferantur, qui Acolythorum vices cum Crucifero expleant; et Acolythi superpelliceum induant, utpote officium suum exercituri erga Crucem, quae in Processionibus delata locum Altaris obtinet. 4198 *ad* 16.

Vide **S. Crucis Lignum seu Reliquia. Dominica Palmarum. Dominicani. Feria VI in Parasceve. Statua.**

Processiones Rogationum.

Qui ad Processiones Litaniarum tenentur, Sancti Marci videlicet et Rogationum, nequeunt, Processione peracta, relinquere Ecclesiam; sed debent expectàre donec Celebrans Preces post Litanias dicendas concludat; et consuetudo contraria est eliminanda. 4251 *ad* 4.

Processio cum SS. Sacramento.

Post Processionem, SS. Sacramento reportato ad Altare, aut Feria V et VI Maioris Hebdomadae, allato Calice SSñam Eucharistiam continente, Celebrans non debet supremum Altaris gradum ante suppedaneum conscendere, ut Ostensorium et Calicem Diacono, vel alteri Sacerdoti, si absque Ministris celebraverit, stando porrigat; sed debet in plano ante ultimum Altaris gradum consistere, ac tradito SSño Sacramento vel Calice, genuflexionem simplicem in plano praemittens, utrumque genu flectere in infimo gradu Altaris, sicque genuflexus illic manere, usque dum tempus thuris imponendi adfuerit. 4198 *ad* 13. Diaconus, aut alius Sacerdos, qui post Processionem accipit de manu Celebrantis Ostensorium, aut Feriis V et VI Maioris Hebdomadae Calicem cum SS. Sacramento, genuflexionem utroque genu peragere debet in plano, ante gradus Altaris, et inclinatione capitis Sanctissimum adorare, antequam Ostensorium vel Calicem a Celebrante recipiat. *Ibidem ad* 14.

Post Processionem, cum SS. Sacramento, in ianua Ecclesiae Benedictionem impertiendi consuetudinem servari posse, attentis expositis, responsum fuit. 4257 *ad* 8. *Vide* 3225, *et* 1784.

Processio cum SS. Sacramento, quae immediate subsequitur Vesperas cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, quin Celebrans ante Processionem recedat a Presbyterio, cum iisdem paramentis fieri debet. 4269 *ad* 13.

Vide **Praecedentia. Tertiarii. Vesperae quoad ritum.**

Puellae.

Puellis ac mulieribus quo pacto cantus in Ecclesiis permittitur. 4210 *ad* 2, *et* 4231.

Purificatio B. M. V.

In die Purificationis B. M. V., Celebrans, completa candelarum distributione, debet pro ineunda Processione incensum ponere in cornu Epistolae, ubi iam reperitur, cum ibi ultimam Orationem recitarit; neque debet se prius ad medium Altaris pro thuris Benedictione conferre. 4198 *ad* 1. Eadem die, post *Procedamus in pace,* Celebrans postquam e suppedaneo in planum descenderit debet, ad Altare conversus, debitam ei reverentiam facere. *Ibidem ad* 2.

Q

Quadragesima vide Color. Feria IV in Cinerum. Vesperae quoad ritum.

R

Reconciliatio.

Reconciliare Ecclesiam benedictam, ubi violata fuerit, nequit iure suo simplex Sacerdos sine ulla Ordinarii sui delegatione; et servetur Rituale Romanum, quod, tit. VIII, cap. 28, habet: « Ecclesiae violatae reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat ». 4138.

Refugium peccatorum titulo B. M. V. Festum.

Refugium peccatorum titulo B. M. V. Festum, cum Officio et Missa de Communi, cum prima tantum Oratione propria, si tempore paschali celebretur, adhibeatur Missa B. M. V. de tempore paschali a Pascha ad Pentecosten, sed cum Evangelio *Loquente Iesu,* de Missa B. M. V. a Pentecoste ad Adventum. 4064.

Regulares quoad Missam.

Regulares Sacerdotes, qui utuntur parvo caputio et pileo, possunt uti bireto, dum procedunt ad Altare celebraturi, et in reditu ad sacristiam, praesertim si regula et consuetudo non obstent. 4056 *ad* 1.

Apud Regulares familias, iis non exceptis quae ex privilegio S. Sedis peculiarem Liturgiam sequuntur a Romana difformem, Sacerdotes in Missa aliisque divinis Officiis amictum super nudum caput imponere debent, et nequeunt ipsum amictum caputio superimponere. 4169.

Vide **Calendarium. Credo. Missa in aliena Ecclesia vel Oratorio publico. Missa de Requie privata.**

Regulares quoad Officium.

Regulares recitare tenentur Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis, non obstante contraria consuetudine. 4053 *ad* 2.

Regulares Minoritae, Hierosolymis et proximioribus locis, Ecclesiae Concathedralis Titularem sub ritu Regularibus competenti celebrare debent, licet Titularem Cathedralis celebrent. 4060 *ad* 1.

Regulares, qui Festa quaedam Patronorum secundariorum loci, a quadraginta annis in proprio Calendario absque Indulto Apostolico inseruerunt, et detecto antiquo errore post triginta octo annos, eadem Festa e Calendario expunxerunt, neque possunt neque debent ipsa Festa in proprio Calendario restituere. 4087.

Regulares et Religiosi, nisi Calendario Cleri saecularis localis utantur, non tenentur ad Officia loci quo degunt, licet alicui Regno vel Dioecesi concessa fuerint cum clausula praeceptiva pro universo Clero saeculari et regulari, exceptis Festis Titularium et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis ac Patronorum. 4105 *ad* 1.

In Regularibus Ordinibus, qui Breviarium diversum a Romano adhibent, si sub aliquo titulo colitur Deipara Virgo tamquam Patrona, nequit in Suffragiis Sanctorum Commemoratio de eadem fieri, si eiusdem Officium parvum in Choro recitatum fuerit. **4126** *ad* 1. Simile Decretum, pro casu quo idem Officium parvum ex instituto etiam privatim recitatur. **4159** *ad* 3.

Regulares in corpore Breviarii sui approbati restituere debent ac servare Rubricas peculiares insertas, ac dein privato nomine expunctas; quia privato nomine nihil expungi potest, quod auctoritate S. Sedis ordinatum est. **4141** *ad* 2.

Regulares degentes in loco ubi primum erat Conventus, non tenentur Officium Titularis Ecclesiae conventualis, clausae et etiam in alios usus conversae, celebrare sub ritu duplici primae classis cum Octava, et in Suffragio de Sanctis Commemorationem de eodem Titulari peragere; sed unice tenentur ad Officium et Commemorationem in Suffragio de Patrono seu Titulari Provinciae Regularis, quatenus ex Rubrica vel Indulto Apostolico habeatur, uti in Decreto 3210. **4170.**

Regulares et generatim Religiosi, utentes Calendario approbato, non tenentur Festum Patroni praecipui Dioecesis sub ritu duplici primae classis sine Octava celebrare, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius loci, sed tenentur solummodo deficiente Patrono proprio loci: nisi Patronus Dioecesis celebretur vel celebratus fuerit cum feriatione, quo in casu ad utrumque celebrandum tenentur. **4200** *ad* 1 *et* **4053** *ad* 1. Iidem tenentur celebrare sub praefato ritu Festum Patroni praecipui regni aut ditionis, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus propriae Provinciae, si liquido constet de concessione Apostolica. **4200** *ad* 2.

Si in Regularium Calendario Festum SS. Reliquiarum ex die ex. gr. 15 Martii ad diem mobilem translatum perpetuo fuit, in toto Ordine huic translationi conformari Regulares debent, etiamsi dictum Festum in aliquo loco die 15 Martii sub ritu duplici primae classis celebratum hucusque fuerit. **4261** *ad* 2.

Vide **Dedicatio Ecclesiae. Titularis. Translatio Festorum.**

Reliquiae quoad Benedictionem et Expositionem.

Quando cum Reliquiis Sanctorum datur Benedictio, genuflectendum est ab omnibus in Choro, etiam a Canonicis. **4243** *ad* 3.

Vide **S. Crucis Lignum seu Reliquia. Expositio et Repositio SS. Sacramenti. Missa** (in genere).

Reliquiae quoad Officium et Missam vide Credo.

Responsorium.

Responsorium apud Benedictinos post Lectionem XII Festi plurimum Confessorum non Pontificum, sumatur de relativo Communi, mutato numero singulari in pluralem, et reticitis nominibus, si plures quam tres vel quatuor fuerint Confessores. **4074** *ad* 3.

Responsoria primi Nocturni Dominicae, in qua primo ponuntur, si in Dominica impediantur, alia die, in Officio feriali, ante alia Responsoria recitanda sunt. Cum autem nonnulla initia habeant eadem Responsoria, non debent toties iterari Responsoria uniformia primi Nocturni, quoties reponitur initium uniuscuiusque libri, sed sufficit, ut impedita semel reponantur infra eam hebdomadam, in qua primum de Feria fieri contingit. **4238** *ad* 3.

Reverentia.

Reverentia, cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad Altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem), talis sit ut flexioni genuum addatur inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda. **4179** *ad* 1.

Reverentiae exposito SS. Sacramento faciendae statuuntur. **4179** *ad* 1-6.

Vide **S. Crucis Lignum seu Reliquia. Dominicani. Expositio et Repositio SS. Sacramenti. Genuflectere. Missa coram SS. Sacramento exposito. Reliquiae quoad Benedictionem et Expositionem.**

Ritus.

Ritus Romani Sacerdotes, celebrantes in Ecclesiis Ritus Ambrosiani, servent Calendarium Dioecesanum Ritus Romani, dummodo diebus solemnioribus localibus, ex. gr. Tituli vel Dedicationis Ecclesiae, Patroni praecipui loci, etc., se conforment quoad colorem et Missam Calendario Ecclesiae, in qua Sacrum faciunt. **4088** *ad* 1. Ipsi Sacerdotes, celebrantes aliqua vice Missam Parochialem in iisdem Ecclesiis, sequi debent Calendarium et ritum Ambrosianum. *Ibidem ad* 2. Hoc valet

etiam pro Regularibus, qui ex praecepto gravi Constitutionum tenentur ad Ritum Romanum. *Ibidem ad* 3.

In Ritu Ambrosiano, attentis Rubricis Missalis Ambrosiani, et Memoriali Rituum edito a Benedicto Papa XIII, pro Cleri defectu, in Ecclesiis Parochialibus minoribus, mos legendi, loco canendi, Missam Feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto permitti potest in Dioec. Mediolanen. 4099. Quod Decretum extenditur non solum ad Ecclesias parochiales et subsidiarias, sed etiam ad alias eiusdem generis Ecclesias seu Oratoria publica vel semipublica: dummodo ex iure vel ex privilegio istae aliae Ecclesiae seu Oratoria publica vel semipublica peragere valeant functiones in Triduo Maioris Hebdomadae, adhibita etiam forma minus solemni, descripta in tractatu: « Piccolo Ceremoniale delle Chiese parrocchiali della Diocesi di rito Ambrosiano » · alioquin Decretum 4099 non extenditur; et in Dioec. Mediolanen. serventur Decr. 2616 ad 1 et 2 et 4049 ad 1. 4101.

Ritus proprius, quo Carmelitae Antiquae Observantiae utuntur in celebratione Missae et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, retinendus est ab omnibus Religiosis ad Ordinem pertinentibus, iis non exceptis, qui ad Paroecias regendas assumuntur. 4161 *ad* 1. Non est improbanda praxis recepta in Liturgia Carmelitica, ut quae formae ac Caeremoniae pro uno vel altero Sacramento vel Sacramentali deerant in ritu Ordinis peculiari, ex Rituali Romano desumerentur. *Ibidem ad* 2. In facultate est Prioris Generalis eiusdem Ordinis, tam ritus peculiares Ordinis, quam eos qui ex Rituali Romano supplentur, in unum volumen colligere sub titulo *Ritualis Carmelitici,* et omnibus suis subditis huius Ritualis observantiam praescribere. *Ibidem ad* 3. De Benedictionibus ante Lectiones et de Completorio in Festo S. Familiae apud eosdem Carmelitas. 4175 *ad* 1 *et* 2. De Lectionibus I Nocturni apud eosdem. *Ibidem ad* 3.

Ritu Ambrosiano Officium, sicut Missam, persolvant ii Sacerdotes, qui Ecclesiis Ambrosiani ritus inserviunt, ex. gr. Viceparochi et Vicecoadiutores Ecclesiarum ritus Ambrosiani, et ii qui ad nutum ab Ordinario dati sunt, ut in administratione Sacramentorum aliisque parochialis Officii ministeriis iisdem Ecclesiis inserviunt. 4209.

Rorate.

Rorate Missa votiva, licet ex privilegio quotidie in Adventu celebretur, dici nequit in Vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V., sed Missa Vigiliae est celebranda. 4055 *ad* 1.

Si Missa Rorate cantata speciali Decreto permittatur tempore Adventus, cantari potest cum *Gloria* et *Credo* solummodo in Novendiali ante Festum Nativitatis Domini, ratione consuetudinis et concursus populi, in praecedentibus diebus cantari debet sine *Gloria* (praeterquam in Sabbatis et infra Octavam Festi B. M. V.) et sine *Credo.* 4180 *ad* 1.

Rosarium.

De SS. Rosario B. M. V. Missa *Salve, radix sancta,* post Constitutionem *Ubi primum* Leonis XIII, diei 2 Octobris 1898, nequit cani in omnibus Sabbatis in Ecclesia, ubi sodalitas SS. Rosarii est erecta; nisi constet de Indulto. 4077 *ad* 7.

S

Sabbatum Sanctum.

Sabbato Sancto organa pulsari possunt ab Hymni Angelici initio et deinceps. 4067 *ad* 6.

Sabbato Sancto, ubi in ultimo triduo Maioris Hebdomadae removeri solet Aqua lustralis a vasis Ecclesiae: si Fons baptismalis non benedicitur, et unus adest Sacerdos, eadem Aqua lustralis in sacrario ante functionem benedici debet, ut possit in Ecclesiae vasis poni post Litaniarum ℣. *Peccatores,* dum festive ad celebrandam Missam paratur Altare; quod si et alius adsit Sacerdos, eadem Aqua private benedicatur in sacrario, post expletas Prophetias. 4198 *ad* 6.

Sabbato Sancto, quando functiones sine Sacris Ministris peraguntur, Sacerdos debet incensum ponere ac benedicere pro subsequenti Processione, in qua canitur *Lumen Christi,* ac pro paschali Praeconio; non antequam diaconalia coloris albi paramenta sumat, sed postquam eadem diaconalia sumpserit indumenta. 4198 *ad* 17.

Vide **Benedictiones** (in genere). **Benedictio Fontis Baptismalis.**

Sacellum vide Oratoria.

Sacerdos.

Sacerdotum cadavera licet induere planeta vel casula nigri coloris, attenta praesertim consuetudine et Rubrica Ritualis Romani, quae praescribens paramenta violacea in casu non excludit nigra. 4228.

Sanctissimi Sacramenti asservatio.

SS. Sacramentum asservari continuo potest aut in Altari maiori, aut in uno ex Altaribus aut Sacellis minoribus: dummodo Altare, ubi continuo SSm̃um Sacramentum asservatur, non sit Altare Chori. **4071** *ad* 3.

Ubi SS. Sacramentum asservatur, Tabernaculum debet tegi conopaeo; non obstante contraria consuetudine; et serventur Rituale Romanum et Decreta. **4137.**

Ubi SS. Sacramentum asservatur, ante Altare et Tabernaculum, permitti potest quaedam compositio ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem, quae ibidem continuo ardere et lucere debet. 4205.

SS. Sacramentum asservari non licet in Altari baldachinum habente, si super illud habeatur habitaculum cum lectulo; et necessarium est Indultum. 4213 *ad* 3. 3525 *ad* 2.

Ubi SS. Sacramentum asservatur, ante Altare et Tabernaculum, in defectu olei, tolerari potest ut lampades nutriri possint ex cera apum saltem in maxima parte, quae adhibetur in candelis praescriptis ad Missae celebrationem, iuxta mentem Decr. 4147, idque remittendum est prudentiae Episcopi, iuxta Decr. 3121. **4230.**

Vide **Tabernaculum.**

Salve, Regina.

Salve Regina cum versiculis et Oratione *Omnipotens, sempiterne Deus,* nequit in Choro recitari post Antiphonam finalem de tempore, expleta Hora Prima, vel, si Chorus non interrumpitur, expleta Hora Tertia ante Missam Conventualem; non obstante consuetudine. 4243 *ad* 3.

Sedes vacans Episcopalis.

Sede vacante, Collecta pro eligendo novo Episcopo continuari debet usque ad diem, qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per Litterarum Apostolicarum expeditionem, a Curia dioecesana rite evulgata fuerit. **4255.**

SS. Septem Fundatores Ordinis Servorum B. Mariae V.

In Festo SS. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. Mariae V. utriusque Vesperis carente, in privata tantum recitatione Hymnus *Matris sub almae* potest dici ad Laudes, iunctis ad Matutinum Hymnis *Bella dum late* et *Sic Patres vitam;* in publica autem recitatione idem Hymnus *Matris sub almae* in casu omittendus est, iuxta Decr. 4262 ad 4. 4269 *ad* 3.

Sepulcrum Altaris vide **Altare fixum. Consecratio Altaris.**

Sepulcrum Defunctorum vide **Altare** (in genere).

S. Silvester.

Ubi S. Silvester est Patronus vel Titularis, secundae eius Vesperae usque ad Capitulum dicendae sunt de Nativitate Domini, ut in aliis diebus infra Octavam; Commemoratio autem de Nativitate fiat per Antiphonam, versum et Orationem de I Vesperis Circumcisionis. 4269 *ad* 5.

Solemnitas.

Solemnitates iussu Card. Caprara ad Dominicam proxime sequentem translatae, ceteraeque ex Indulto particulari similiter faciendae, celebrari possunt in Oratoriis semiduplicis, de quibus agitur in Decr. 4007. 4269 *ad* 9.

Statua.

Statua parva Infantis Iesu potest processionaliter deferri, sed absque velo humerali et sine umbella. **4079** *ad* 4. *Vide* 2647.

Statua seu simulacrum Sancti, cuius solemnia perficiuntur, dum in medio Ecclesiae expositum manet, non est incensandum a Diacono ad Missam et Vesperas; sed attenta consuetudine, thurificari potest in Vesperis dumtaxat, ab ipsomet Celebrante, post incensationem Altaris SS. Sacramenti. **4103** *ad* 1. *et* 2. *Vide* 3547.

Subdiaconus.

Subdiaconus et Diaconus tenentur se Celebranti conformare quotiescumque hic se signat vel inclinat, tempore quo aliquid cantat vel clara aut submissa voce profert in Missa solemni iuxta Rubricam, quod ad *secreta* non pertineat; nempe ad Confessionem, ad Introitum,

ad *Gloria,* et *Credo,* ad Epistolam et Graduale, ad Evangelium, ad *Sanctus* et *Benedictus,* excepto quando Celebrans recitat *Confiteor;* item Subdiaconus non se signat *ad Benedictus,* quando Patenam sustinet. 4057 *ad* 5.

Subdiaconus, post cantatam Epistolam, debet genuflectere in suppedaneo, non autem in plano, ut Celebrans eum benedicat. 4077 *ad* 5.

Ad Subdiaconi munus obeundum in Missa solemni Clericus numquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa, et in minoribus Ordinibus sit constitutus, aut saltem sacra Tonsura initiatus; describitur modus quo ministrare debeat; non obstantibus consuetudinibus et privilegiis. 4181 *ad* 1, 2 *et in fine.*

Vide **Missa solemnis.**

Suffragium de Sanctis vide **A cunctis** (Oratio).

T

Tabernaculum.

Ante Tabernaculi ostiolum collocari potest tabella Secretarum; valet etiam in duas dividi, hinc et inde apponendas; et quidem iuxta consuetudinem. 4165 *ad* 2.

Vide **Crux. SS. Sacramenti asservatio.**

Te Deum vide **Expositio et Repositio SS. Sacramenti. Processio quoad ordinem et ritum.**

Tertiarii.

Tertiarii Ordinum Regularium in Processionibus incedere possunt sub eadem Cruce Ordinis primarii, data praeferentia Fratribus primi Ordinis. 4163.

Cum nec Tertii Ordines nec Confraternitates aut Sodalitates *sacco* utuntur, sed, uti in Hispania, generatim utuntur tantum scapulari, cingulo, numismate, etc., iuxta cuiusquam Tertii Ordinis aut Sodalitatis diversa statuta aut praxim: ius praecedentiae competit Tertiariis super quascumque Sodalitates laicas; sed Tertiarii cuiusvis Ordinis, et Confraternitatum sodales hortandi sunt, ut vestem integram vulgo *saccum* in Processionibus, ex antiquo et laudabili Ecclesiae more, velint assumere. 4173 *ad* 1. Etiam tunc ius praecedentiae competit Confraternitati SS. Sacramenti super alias Sodalitates in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia; reservata iugiter praecedentia fratribus cuiusvis Tertii Ordinis. *Ibidem ad* 2.

Tertii Ordinis Director, vel Sacerdos facultate praeditus, qui Tertiariis saecularibus congregatis Benedictionem cum indulgentia plenaria, sic dictam Absolutionem generalem, impertitur, utatur stola coloris violacei. 4176.

Vide **Calendarium.**

S. Thuribius.

S. Thuribius Archiep. Limanus, qui ex Decr. 1 Ian. 1900 in tota America Latina cum Officio et Missa propria sub ritu duplici II classis recolendus est: debet eodem modo ex gratia celebrari etiam ab alumnis Societatis Missionariorum a S. Ioseph in eadem regione degentibus, licet in proprio Societatis Calendario S. Thuribius sub ritu tantum duplici recolatur. 4113.

Thurificatio.

Thurificatio SS. Sacramenti publice expositi, Canonicorum, Crucis Altaris, Sacrarum Imaginum, libri Evangeliorum ante cantum Evangelii in Missa solemni, Episcopi, Celebrantis, Ministrorum, Beneficiatorum, aliorumque de Choro et Altari, iis exceptis qui non singillatim incensantur: facienda est duplici ictu in quolibet ductu; at ad thurificationem Altaris, et ad solemnem Benedictionem Candelarum, Cinerum et Palmarum non praescribuntur ductus duplici ictu. 4057 *ad* 2.

Vide **Statua.**

Titularis.

Titulares cuiusdam Ecclesiae quinam sint, in casu particulari S. R. C. declarat. 4105 *ad* 2.

Titularis Cappellae principalis Seminariorum solemniter benedictae gaudet privilegiis, quae competunt Sanctis vel Mysteriis titularibus cuiusvis Ecclesiae, sive Oratorii publici solemniter benedicti, nempe ut in Oratione *A cunctis* et in Suffragio de Sanctis Titularis nominetur. 4110. *Vide* 4025 *ad* 5, *et* 4043 *ad* 1 *et* 8.

Titulares eiusdem Ecclesiae S. Iacobus Apostolus et S. Christophorus Martyr agendi sunt separatim, et S. Christophorus transferatur iuxta Rubricas cum sua Octava. 4122 *ad* 1. *Vide* 3714.

Festum Titularis Ecclesiae Abbatialis, in Ecclesiis Monasterio incorporatis, praeter Titula-

rem propriae Ecclesiae parochialis celebrandum est ritu duplici I classis cum octava, eo quod ibi Monachi qua Parochi, curam animarum exercent. 4149 *ad* 1. In Officio, in Suffragio de Sanctis, praeter memoriam de Titulari propriae Ecclesiae parochialis, non est facienda memoria de Titulari praefatae Ecclesiae Abbatialis. *Ibidem ad* 2.

Festum Titularis, cum Officio ritus duplicis I classis cum Octava, et cum Commemoratione in Suffragio ac in Oratione *A cunctis,* fieri debet tantum in Oratorio principali Regularium, solemniter saltem benedictio, deficiente Ecclesia; alia autem Oratoria semipublica Regularium, solemniter saltem benedicta, enumerata in Decr. 4007 praefato iure carent. 4192 *ad* 3.

In Festo Titularis non est recitandum *Credo* nisi in Ecclesia propria. 4281 *ad* 3. *Vide* 2189.

Vide **Cathedralis. Credo. Regulares quoad Officium.**

Translatio Festorum.

In translatione, Festum gaudens Octava, si dies libera infra Octavam occurrat, praeferatur Festo altioris ritus vel dignitatis, quoad Octavam non habet. 4120 *ad* 4.

Translatio Festorum, in Oratoriis Puellarum Caritatis fieri debet in primam diem liberam iuxta Calendarium dioecesanum, non vero iuxta Calendarium Congregationis Missionis; quum in iisdem Oratoriis Missae omnes (exceptis Missis Festorum, quae ibidem ex privilegio concessae sunt) iuxta Calendarium dioecesanum celebrentur. 4122 *ad* 2.

Translatio Festorum Assumptionis et Nativitatis B. M. V. cum Officio et Missa ad Dominicam infra Octavam, et ieiunio ab Sabbatum, quae a Sancta Sede concessa fuit toti regioni Borussiae, obligat etiam Regulares, qui proprii Ordinis Calendario gaudent. 4142. *Vide* 4236 *ad* 3.

Translatum Festum S. Thomae a Villanova, cui dies 3 Octobris uti dies fixa ab Ordinario iuxta Rubricas pro quibusdam locis Dioecesis assignata fuit: nequit diei 2 Octobris (quae postea libera evasit) fixe assignari, sed expectandum est tempus reformationis perpetui Calendarii dioecesani; attamen si dies 2 Octobris, iuxta Rubricas et Decreta, Festo reponendo S. Thomae, etiam in praefata reformatione competeret, potest fieri talis fixa assignatio. 4235 *ad* 9.

U

Unctio.

In Unctione extrema administranda usus instrumenti cuiusdam non permittitur, nisi necessitatis causa: non obstante consuetudine; et serventur Rituale ac Decreta. 4077 *ad* 8. *Vide* 3051 *ad* 2, *et* 3276 *ad* 1, 3 *et* 4.

V

Versiculus.

Versiculus «Rorate» dicendus est in Vesperis, iuxta Breviarium Monasticum, pro Commemoratione Feriae, licet Responsorium breve Festi Expectationis Partus B. M. V. in iisdem Vesperis fuerit *Rorate;* quia ex ritu monastico Responsorium breve post Capitulum potest inservire tamquam versiculus pro Commemoratione. 4074 *ad* 1.

Quando Versiculus «Ora pro nobis» iuxta ritum monasticum dictus fuit in Officio, pro Commemoratione B. M. V., in Suffragiis, dicitur Versiculus *Dignare me,* non obstante Decreto 1918 ad 1. 4074 *ad* 4, *et* 4262 *ad* 5.

Vesperae quoad ritum.

In Vesperis et Laudibus persolvendis Celebrans nequit manere in habitu chorali usque ad Capitulum, et tunc tantum assumere pluviale; et servetur Caeremoniale Episcoporum, non obstante contraria consuetudine, 4054 *ad* 7.

In Vesperis solemnibus Caeremoniale Episcoporum observandum est, etiam quum pluvialistae sint ex Canonicis vel Dignitatibus, ideoque tenentur iidem cum Celebrante incedere ad incensationem Altaris, et assistentium officium adimplere. 4071 *ad* 2.

Vesperas canere secunda vel prima hora noctis, atque in illis SS. Sacramentum exponere, ea

de causa, scilicet, quia Ordinarius permittit Expositionem in Vesperis: remittitur prudenti Ordinarii placito, nisi agatur de Ecclesiis in quibus obligatio Chori habeatur. 4077 *ad* 9.

In Vesperis coram SS. Sacramento exposito cantatis, stetur Rubricis et Decretis, relate ad stolam. 4084 *ad* 2.

In Vesperis, absente Episcopo, iuxta Caerem. Episc., lib. 2, cap. 3, n. 4, debetur pulvinar et tabete in Missis et Vesperis pro Hebdomadario Canonico. 4172 *ad* 2. *Vide* 2079 *ad* 7.

Dum ad Vesperas Celebrans, initio huius Officii, quando ad suum locum pervenit, sedet paululum (iuxta Caerem. Episc., lib. 2, cap. 3, n. 3), exceptis Pluvialistis: omnes de Choro sedere debeñt, eodem momento; sed consuetudo contraria pro Clero de Choro servari potest. 4194 *ad* 4.

In Vesperis, dum Celebrans incensat SS. Sacramentum solemniter expositum, Chorus non tenetur genuflectere. 4243 *ad* 4.

Ad Vesperas sustineri nequit consuetudo immemorialis, qua Canonicus hebdomadarius manet in habitu chorali usque ad *Magnificat,* quo inchoato, medius inter duos Beneficiatos discedit in sacrarium, et assumpto ibi pluviali, revertitur in Chorum, cantat Orationem vel Orationes Officii, et quin dimittat pluviale, facit Officium ad Completorium usque ad primum versum primi Psalmi, quo incoepto, iterum discedit in sacrarium, et deposito pluviali, revertitur in Chorum, ut absolvat Completorium 4250 *ad* 3.

In Vesperis solemnibus Celebrans potest stolam induere sub pluviali a principio Officii, quum immediate post Vesperas, quin ipse recedat a Presbyterio, fiat Expositio cum Benedictione SS. Sacramenti. 4269 *ad* 12.

In Vesperis Diaconus et Subdiaconus nequeunt alba, dalmatica et tunica induti assistere, neque in Ecclesiis quae pluribus carent pluvialibus pro Assistentibus, etiam si Vesperae canantur coram Sanctissimo exposito, et Processio immediate post Vesperas instauranda sit; hinc neque Celebrans amictu, alba, stola ac pluviali indutus cum talibus ministris potest Officium facere. 4271 *ad* 3.

In Vesperis, quae in Quadragesima immediate post Missam solemnem cantantur, Celebrans nequit pluviali super albam et stolam indutus Officium facere, cum assistentia Diaconi et Subdiaconi dalmatica et tunica indutorum. 4271 *ad* 4.

Vide **Expositio et Repositio SS. Sacramenti.**

Viaticum.

In sacro Viatico deferendo infirmis, nequit tolerari mos ut Parochus illud deferat, comitante magno numero non confratrum, sed mulierum, quae umbellam et intortitia ferunt, tintinnabula pulsant et Rosaria recitant; et Parochus adhibeat aliquos saltem adolescentes pro umbella, campanula et luminibus. Mulieres autem, si velint deferre lumina, sequantur Sacerdotem. 4127.


Vide **Communio infirmorum.**

Vigilia (in particulari).

In Vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V., Missa de Vigilia dicenda est, loco Missae votivae *Rorate,* ubi haec ex privilegio quotidie in Adventu celebratur. 4055 *ad* 1.

In Vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V., in Missa adhibendus est color violaceus. 4083.

Vigilia Pentecostes vide **Benedictio Fontis Baptismalis.**



BREVIS ELENCHUS

OMNIUM ARTICULORUM QUI IN HOC INDICE CONTINENTUR

AD MAIOREM LECTORUM COMMODITATEM CONCINNATUS



DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

APPENDIX II

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

EIUSQUE AUCTORITATE PROMULGATA

SUB AUSPICIIS SS. DOMINI NOSTRI

PII PAPAE XI

Appendix II

AB ANNO 1912 NUM. 4285 USQUE AD ANNUM 1926 NUM. 4404



ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXVII

URBIS ET ORBIS

Decreta quae in hac secunda Appendice ad Collectionem Decretorum Sacrae Rituum Congregationis continentur, prouti in eadem Appendice apponuntur, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Apostolica Sua auctoritate approbavit, atque authentica declaravit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Ianuarii an. 1927.

† A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

INDEX

DIOECESIUM ET DECRETORUM

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

4285. PLURIUM DIOECESIUM.

A nonnullis Rmis locorum Ordinariis insequens dubium Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, propositum fuit; nimirum:

Festa duplicia ad modum simplicis perpetuo recolenda, impediuntne recitationem Suffragii ad Laudes et Vesperas, Precum ad Primam et Completorium, Symboli Athanasiani ad Primam et tertiae Orationis in Missa?

Et Sacra Rituum Congregatio rescribendum censuit: Affirmative in omnibus.

Atque ita rescripsit, die 9 Februarii 1912.

4286. DUBIUM.

Ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione sequens dubium delatum est; nimirum:

An locorum Ordinarii et Superiores Regularium facultate gaudeant expungendi a proprio Kalendario festa particularia a Sancta Sede indulta, quin necesse sit ad Sacram Rituum Congregationem recurrere?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit: Negative, et in singulis casibus ad Sacram Rituum Congregationem negotium deferatur.

Atque ita rescripsit, die 2 Martii 1912.

4287. EGITANIEN.

Episcopus Egitaniensis Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens dubium subiecit; nimirum:

An Decretum n. **4265,** diei 11 Maii 1911, ad II, quo edicitur organum adhiberi posse, in casu necessitatis, solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus, in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, semper valeat, sive adhibeatur cantus gregorianus, sive polyphonicus?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 22 Martii 1912.

4288. DECRETUM

SEU DECLARATIO SUPER NOVIS RUBRICIS.

Novis dispositionibus a Sancta Sede evulgatis, ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt; nimirum:

I. An Versiculus *Oremus et pro Antistite nostro N.* cum suo Responsorio, inter Preces feriales insertus, dicendus sit etiam ab Episcopis Titularibus cum pronunciatione nominis Episcopi Dioecesani?

II. Num idem Versiculus dicendus sit in respectivis locis cum pronunciatione nominis Vicarii Apostolici, aut Praefecti, aut Praelati?

III. Quando Officium alicuius Dominicae post Epiphaniam et XXIII post Pentecosten Sabbato anticipatur occurrente etiam die infra aliquam Octavam, huius Octavae Commemoratio fierine debet in Officio eiusdem Dominicae anticipatae?

IV. Utrum suppressa censenda sit facultas adiiciendi in Missa Orationes usque ad septem in simplicibus et ferialibus per novas Rubricas, quae Collectas excludunt quando habetur quarta Oratio?

V. Utrum Collectae ab Ordinario imperatae, si sint duae, ambae adiiciendae sint post tertiam praescriptam Orationem; an una tantum?

VI. Quum quibusdam Dioecesibus, nec-

non Ordinibus aut Congregationibus religiosis Indultum a S. Sede concessum fuerit quaedam Officia particularia semel aut pluries in mense aut in hebdomada, imo etiam singulis anni diebus, exceptis solemnioribus, celebrandi, ex. gr. SSm̃i Sacramenti, SSm̃i Cordis Iesu, B. M. V. Immaculatae, etc. sive sub ritu semiduplici, sive etiam sub ritu duplici minori aut maiori, ita ut videantur non Officia votiva, sed quasi festiva; quaeritur, an ista Officia comprehendantur inter Officia votiva quae suppressa fuerunt?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Episcopos Titulares non teneri.

Ad II. Negative, nisi eadem nomina in Canone Missae, ex Apostolico Indulto, pronuntientur.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad VI. Affirmative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 22 Martii 1912.

4289. DECRETUM

CIRCA NOVAS RUBRICAS.

Ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt; nimirum:

I. Num Festa mobilia, quae in aliqua per hebdomadam Feria sub ritu duplici maiori vel minori recoluntur, commemorari generatim debeant iis annis quibus impediuntur?

II. Quo colore utendum sit in Communione extra Missam administranda in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum?

III. Num in Missis votivis Praefationem propriam non habentibus legenda sit Praefatio de Officio Sanctae Mariae in Sabbato, quod in eisdem Missis commemorationem habet?

IV. Utrum in Festis novem Lectionum Praefationem propriam in Missa habentibus et infra tempus Quadragesimale, aut Passionis, aut Paschale celebratis, si dicatur, iuxta rubricam, Missa de Feria cum commemoratione Festi currentis, adhibenda sit Praefatio Temporis, an Praefatio Festi quod in Missa Feriae commemoratur?

V. Quaenam Praefatio adhibenda sit in Missa, Praefatione propria carente, in qua commemoratur tum Festum simplificatum et Praefatione propria gaudens, tum Feria Praefationem Temporis item propriam obtinens?

VI. Num occurrente Festo novem Lectionum in Feria II et IV Rogationum et in Feriis Quatuor Temporum Adventus et mensis Septembris, legi possint et debeant Lectiones de Scriptura, quae die immediate antecedenti vel sequenti fuerint impeditae, si Festum illud novem Lectionum Lectiones proprias vel de Communi non reposcat?

VII. Et quatenus affirmative ad VI:

1.° Utrum Lectiones de Scriptura diei praecedentis, an Lectiones de Scriptura diei sequentis sint praeferendae, si ambae fuerint impeditae?

2.° Num a sua die Lectiones de Scriptura occurrente amoveri possint ut in Feriis Homiliam habentibus Lectiones de Scriptura legi possint, ita ut, exempli gratia, si Lectiones Feriae II infra hebdomadam III Adventus impediantur, poni possint et debeant in Feria III, et Lectiones Feriae III in Feria IV, et ita in similibus?

VIII. Num initium alicuius Libri, si aliter poni nequeat, reponi possit et debeat in Festo novem Lectionum, quod Lectiones revera proprias et historicas in I Nocturno habeat, prout habent utraque Cathedra et Vincula S. Petri Apostoli, Conversio S. Pauli Apostoli, Inventio S. Stephani Protomartyris et similia?

IX. Et quatenus negative ad VIII, num idem dicendum sit de Lectionibus appropriatis, prout sunt appropriatae in Festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli, S. Mariae Maioris et in similibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta novas Rubricas.

Ad II. Utendum colore violaceo, aut albo.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Adhibeatur Praefatio Temporis, utpote propria Missae.

Ad V. Adhibeatur Praefatio Festi simplificati et prius commemorati.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Quoad primam partem, legantur Lectiones diei praecedentis; quoad secundam partem, affirmative.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Negative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 19 Aprilis 1912.

4290. LAURETANA.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum est: An privilegia et insignia a Summis Pontificibus collata Capellanis honorariis almae Cathedralis Basilicae Lauretanae, iuxta documenta eidem Sacro Consilio exhibita, extra ambitum praefatae Basilicae et dioecesis Lauretanae-Recinetensis a dictis Capellanis honoris rite nominatis adhiberi queant?

Et Sacra Rituum Congregatio, attentis enunciatis documentis Pontificiis necnon litteris episcopalibus, quibus memorati Capellani eligi ac nominari solent, audito etiam specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit: Negative, ad normam Brevis *Illud est proprium* Leonis Papae XIII f. r., 29 Ianuarii 1894 ad III, Motus proprii *Inter multiplices* Ssm̃i Dñi nostri Pii Papae X, 21 Februarii 1905, et subsequentis Decreti seu declarationis Sacrae Rituum Congregationis, 14 Martii 1906 (Decr. authent. S. R. C., nn. **3817**, **4154** et **4182**).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 19 Aprilis 1912.

4291. LITTERAE CIRCULARES

AD REV.MOS LOCORUM ORDINARIOS QUOAD PROPRIA OFFICIORUM DIOECESANA.

Illm̃e et Rm̃e Domine, uti Frater,

Quum Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X magnae curae sit, ut Breviarii Romani reformatio ad unguem perficiatur; operae pretium erit, etiam Lectiones historicas cuique dioecesi proprias ad trutinam revocare. Quamobrem gratissimum Summo Pontifici fecerit Amplitudo Tua, si pro virili curabit, ut in ista dioecesi tibi commissa, viri periti eligantur qui, conlatis consiliis, historicas Lectiones quas supra dixi, diligenter examinent easque cum vetustis codicibus, si praesto sint, aut cum probata traditione conferant. Quod si repererint eas historias contra fidem codicum et solidae traditionis in aliam formam a nativa degenerasse, omni ope adlaborent ut vera narratio restituatur.

Omnia vero maturius expendenda sunt, ne quid desit ex ea diligentia, quae collocanda est in reperiendis codicibus, in eorum variis lectionibus conferendis et in vera traditione observanda. Nec profecto opus est festinatione: putamus enim spatium ad minus triginta annorum necessarium, ut Breviarii reformatio feliciter absolvatur.

Interea cum opus in ista dioecesi perfectum fuerit; Amplitudo Tua ut illud ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem mittatur, pro sua pietate satagat: ita tamen, ut si quid in Lectionibus historicis additum vel demptum aut mutatum fuerit, rationes quae ad id impulerunt, brevi sed lucida oratione afferantur.

Dum haec, de speciali mandato Summi Pontificis, Amplitudini Tuae significo, diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romae die 15 Maii 1912.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater addictissimus

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

Nota. Hisce similes litterae missae sunt ad Praepositos generales Ordinum seu Congregationum religiosarum, quoad Propria Officiorum ipsis concessa.

4292. LAURETANA.

Quum in sancta capella almae Domus B. Mariae Virginis et in altari Ssm̃ae Annunciationis, Basilicae Lauretanae, ex apostolico privilegio celebrari queant Missae votivae ipsius Deiparae Virginis, iuxta temporis qualitatem, singulis per annum diebus, exceptis quibusdam in apposito elencho adnotatis, a Sacra Rituum Congregatione nuper expostulatum fuit:

I. Utrum infra Octavas festorum atque in ipsis festis B. Mariae Virginis, etsi de eis sola Commemoratio vel nulla Commemoratio in Officiis classicis fiat, praefatae Missae iam concessae, debeant esse votivae, an potius festivae de festis vel Octavis, et quidem cum *Gloria* et *Credo*?

II. An in vigiliis, saltem commemoratis, festorum eiusdem Beatae Mariae Virginis, enunciatae Missae debeant esse de vigilia, sine *Gloria* et *Credo*, cum Orationibus iuxta Rubricas et Decreta?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis quaestionibus ita rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem, et affirmative ad secundam, iuxta alia Decreta ac Decretum generale n. **3922** *De Missis votivis*, 30 Iunii 1896, ad V, nn. 1 et 2.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 17 Maii 1912.

4293.

SOCIETATIS MISSIONARIORUM SACRATISSIMI CORDIS IESU.

Hodiernus redactor Kalendarii Societatis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu, de consensu sui Rmi Procuratoris generalis, a Sacra Rituum Congregatione humillime petiit solutionem insequentium dubiorum, nimirum:

I. Lectiones II Nocturni in festo S. Agnetis V. M. suntne historicae, ita ut legi possint et debeant tanquam IX lectio si idem festum ob occurrentiam festi superioris ritus vel dignitatis simplificetur?

II. 1.° Antiphonae et Psalmi ad Matutinum Commemorationis omnium Ss. Romanorum Pontificum, e Communi Apostolorum desumpta, itane censenda sunt propria, ut recitari debeant etiamsi eiusmodi festum celebretur sub ritu duplici maiori vel minori; an potius, utpote de Communi desumpta, cedere debent Antiphonis et Psalmis de feria?

2.° Idemque estne dicendum de Responsoriis I Nocturni, ita ut, omissis Lectionibus de Scriptura occurrente, recitandae sint Lectiones « *Laudemus viros* » de Communi?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, ita rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Quoad 1um affirmative ad primam partem, negative ad secundam. - Quoad 2um affirmative.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 24 Maii 1912.

4294. SEYNEN. ET ALIARUM.

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequentia dubia proposita fuerunt; nimirum:

I. Iuxta recentem Constitutionem « *Divino afflatu* », festum sanctissimi Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis Septembris. Quaeritur ergo: Num ecclesiae quae hoc festum tamquam Titulare usque ad hodiernam diem coluerunt Dominica infra Octavam Nativitatis Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici I classis cum Octava, ipsum recolere in posterum debeant die duodecima Septembris cum Ecclesia universali, servatis privilegiis quae Titularibus competunt?

II. Quando duae Octavae eiusdem Personae ita simul occurrant, ut dies Octava minus nobilis incidat infra Octavam festi nobilioris, utrum Octava festi minus nobilis cesset omnino adveniente festo nobiliori, an potius suspendatur tantum, ita ut de die Octava festi minus nobilis fiat Officium, omissa Commemoratione diei infra Octavam festi nobilioris?

III. An Collectae ab Ordinario imperatae omittendae sint, quando in Missis privatis, post tres Orationes eo die a Rubrica praescriptas, addita est Oratio sanctissimi Sacramenti publice expositi, vel pro Papa aut Episcopo in respectivis anniversariis electionis, seu consecrationis, aut coronationis?

Et Sacra eadem Congregatio, audita sententia Commissionis Liturgicae reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 21 Iunii 1912.

4295. DECRETUM

CIRCA MODULANDAS MONOSYLLABAS VEL HEBRAICAS VOCES IN LECTIONIBUS, VERSICULIS ET PSALMIS.

A quibusdam cantus gregoriani magistris Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione expositum fuit; nimirum:

An in cantandis Lectionibus et Versiculis, praesertim vero in Psalmorum mediantibus ad asteriscum, quando vel dictio monosyllaba vel hebraica vox occurrit, immutari possit clausula, vel cantilena proferri sub modulatione consueta?

Et Sacra eadem Congregatio, approbante Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, rescribere statuit: Affirmative ad utrumque.

Die 8 Iulii 1912.

4296. INSTRUCTIO

SEU RESPONSUM SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS R.MIS LOCORUM ORDINARIIS VEL SUPERIORIBUS ORDINUM SEU SODALITATUM POSTULANTIBUS KALENDARII PROPRII REFORMATIONEM, VEL EXPUNCTIONEM FESTORUM AUT REDUCTIONEM RITUS.

Mens Sacrae Rituum Congregationis est, ut, rite postulante Rmo Ordinario loci, seu Superiore Ordinis vel Sodalitatis, in posterum, de apostolica venia, relicto proprio Kalendario, adhiberi valeat Kalendarium Ecclesiae universalis, additis tantummodo Festis, quae stricto sensu propria dici possunt ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflatu* et recentium Rubricarum, tit. II, num. 2, litt. *e*. Quo in casu elenchus Festorum, adductis rationibus de eorum proprietate, ad Sacram Rituum Congregationem cum supplici libello transmittatur.

Ex Secretaria Sacrae Rituum Congregationis, die 25 Iulii 1912.

4297. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequentia dubia proposita fuerunt; nimirum :

I. In novis Rubricis, Missae votivae aut privatae pro defunctis prohibentur in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. Quaeritur : Quid intelligendum in verbo « reponenda »?

II. In Kalendariis dioecesanis reformatis quaedam festa particularia et non stricte propria suppressa sunt, quorum Officium vel ex Proprio dioecesano, vel ex Appendice Breviarii pro aliquibus locis desumebatur. Quaeritur : Quodnam Officium adhiberi debet in ecclesiis ubi eiusmodi festa sint stricte propria, ac retinenda vel ratione tituli, vel patronatus, vel reliquiae insignis? Recitandumne adhuc est Officium in dioecesi suppressum, vel potius ad Commune recurrendum?

III. In locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu civitatis, tum dioeceseos, tum provinciae, tum nationis, debentne singula festa sub competenti ritu Patronis proprio celebrari?

IV. Quo colore utendum est in festo Commemorationis Omnium Sanctorum S. R. E. Summorum Pontificum?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurato examine perpensa, respondendum censuit :

Ad I. Dicitur Missa reponenda, quae Dominica praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit; et in casu, Missae votivae et privatae defunctorum prohibentur in illa feria in qua prima vice resumenda est Missa Dominicae.

Ad II. Adhibeatur Officium hucusque recitatum, cum respondente Missa.

Ad III. Affirmative; etiam quoad Patronum dioeceseos, dummodo hucusque festum eius per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici I classis cum Octava.

Ad IV. Servetur antiqua praxis Patriarchalium aliarumque ecclesiarum Urbis, in quibus adhibetur color rubeus.

Atque ita rescripsit, die 6 Decembris 1912.

4298. DECRETUM

ADPROBATIONIS ANTIPHONALIS DIURNI ROMANI.

Antiphonale diurnum sacrosanctae Ecclesiae Romanae, ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflatu* diei 1 Novembris MCMXI, n. **4279**, iuxta novum Psalterii cursum diligenter dispositum, typis Vaticanis nunc demum feliciter prodiit. Cum autem cantum gregorianum exhibeat vel a Patribus acceptum vel, ubi opus erat, eodem stylo concinnatum iuxta apostolicas Litteras Sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia Papae X Motu proprio datas die XXV Aprilis MCMIV, n. **4134**, Sacra Rituum Congregatio hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus Romanae Ecclesiae ritu utentibus habendam esse declarat, atque decernit ut in posterum melodiae gregoria-

nae in futuris editionibus contentae, praedictae typicae editioni sint conformandae, quin derogetur ipsius Sacrae Rituum Congregationis Decretis datis diebus XI Aprilis MCMXI, n. **4263**, *super editione Vaticana eiusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos, et* VIII Iulii MCMXII, n. **4295**, *circa modulandas monosyllabas vel hebraicas voces in Lectionibus, Versiculis et Psalmis.*

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Decembris 1912.

4299. LAURETANA.

De mandato Sanctissimi Domini nostri Pii Papae X Sacra Rituum Congregatio declaravit:

Ex documentis authenticis exhibitis ac mature expensis constare Canonicos, Beneficiatos, Capellanos Basilicae et almae Domus Lauretanae etiam honorarios, Familiares Papae nuncupari et esse: qua tales vero non recenseri inter Praelatos neque inter Cubicularios aut Capellanos Summi Pontificis; ideoque non gaudere horum coetuum titulis et privilegiis.

Die 11 Decembris 1912.

4300. INSTRUCTIO

SEU DECLARATIO SUPER KALENDARIIS PROPRIIS REFORMANDIS.

Evulgata Instructione Sacrae Rituum Congregationis, n. **4296**, die 25 Iulii vertentis anni 1912, quum nonnulli R̄mi locorum Ordinarii et Superiores generales Ordinum seu Congregationum religiosarum, expostulantes reformationem proprii Kalendarii, preces porrexerint haud omnino conformes memoratae Instructioni, Sacra Rituum Congregatio, ut labor expeditior evadat, opportunum iudicavit ulteriorem edere instructionem, cui in posterum se conformare debeat quisque Kalendarii reformationem exoptat.

I. Supplex libellus ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur, in quo, consentiente Capitulo ecclesiae cathedralis seu Consilio Ordinis, postuletur ut, relicto Kalendario hucusque adhibito, servari possit Kalendarium Ecclesiae universalis, additis tantummodo festis stricto sensu propriis, quae cum dioecesi aut instituto religioso particularem habent relationem.

II. Supplici libello addatur elenchus praedictorum festorum, quae sunt stricto sensu propria.

III. In memorato elencho sequentia festa particularia praesertim inserantur:

Pro Dioecesibus:

a) Dedicatio ecclesiae cathedralis (1). aut omnium ecclesiarum (si collective recolatur).

b) Titulus ecclesiae cathedralis,

c) Patronus principalis dioeceseos, provinciae, nationis,

d) Patronus principalis civitatis episcopalis,

e) Patroni minus principales,

f) Sancti qui in dioecesi orti sunt, vel vixerunt, aut obierunt,

g) Sancti, de quibus habentur corpora, aut reliquiae insignes,

h) Cetera festa, quae cum dioecesi specialem habent relationem.

Pro Ordinibus seu Congregationibus:

a) Dedicatio omnium ecclesiarum (si collective recolatur),

b) Titulus principalis,

c) Sancti fundatores,

d) Sancti qui Ordinis, seu Congregationis, regulam professi sunt,

e) Cetera festa, quae cum instituto religioso specialem habent relationem.

IV. De unoquoque festo sequentia praesertim referantur:

a) Dies, in qua nunc celebratur,

b) Dies natalis, si constet,

c) Ritus, quo gaudet,

d) Relatio cum dioecesi aut Ordine seu Congregatione.

V. Mittatur ad hanc Sacram Congregationem Proprium Officiorum dioeceseos vel instituti religiosi, et Kalendarium perpetuum hucusque adhibitum, vel saltem, huius loco, ultimus *Ordo divini Officii,* etc. typis cusus.

Ex Secretaria Sacrae Rituum Congregationis, die 12 Decembris 1912.

4301.

DECRETUM SEU DECLARATIO

CIRCA NOVAS RUBRICAS DE MISSIS VOTIVIS ET DEFUNCTORUM

In novis Rubricis prohibentur Missae votivae privatae seu lectae pro defunctis, in feriis Quadragesimae, Quatuor Tempo-

(1) Cfr. Decretum n. **4308**, diei 28 Octobris 1913, tit. IV, n. 2, litt. *a.*

rum, II Rogationum, in vigiliis, et in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae: in Quadragesima vero permittuntur Missae privatae defunctorum tantum prima die cuiuscumque hebdomadae libera in Kalendario ecclesiae in qua Sacrum celebratur.

Nunc vero ad dirimendas quaestiones nonnullas huic Sacrae Congregationi propositas circa applicationem praefatae Rubricae quibusdam Missis votivis privilegiatis tum in Ecclesia universali, tum certis in locis per Indultum Apostolicae Sedis concessis, firmis manentibus legibus et privilegiis Missas solemnes seu in cantu respicientibus, quoad Missas privatas lectas sequentia decernuntur et declarantur.

I. Privilegium Missae votivae lectae, de speciali gratia nonnullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari possit in duplicibus I et II classis, seu etiam II classis tantum, et privilegium Missae votivae Ss. Cordis Iesu in prima feria VI cuiusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam Rubricam exclusis.

II. Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis aut aliis ecclesiis vel communitatibus regularibus quocumque modo et titulo concessum, ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus maioribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et Octavis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum, ut dictae Missae votivae lectae prohibitae sint in omnibus feriis in praefata Rubrica enumeratis. Loco tamen huiusmodi Missae votivae. extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungi poterit Oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die post Orationem feriae seu vigiliae, vel in Missa de feria seu vigilia ante alias Orationes. Quod si adsit specialis concursus populi. unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit, quoties Missa in cantu commode haberi nequeat.

III. Privilegium Missae pro defunctis lectae aliquibus locis vel Ordinibus concessum, ita ut bis vel ter in hebdomada celebrari possit etiamsi occurrat aliquod duplex maius vel minus, in posterum ita erit applicandum, ut intelligatur tantummodo concessum pro diebus in quibus non occurrat aliqua feria aut vigilia, ut supra.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Februarii 1913.

4302. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt; nimirum:

I. In solemni benedictione cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quando Episcopus assistit cappa indutus, et ponit incensum in thuribulo, debetne etiam ipse thurificare Ssmum Sacramentum?

II. Si praedicta benedictio solemnis detur post Vesperas pontificales, presbyter assistens throno, debetne genuflectere a dextris Episcopi in infimo gradu altaris, eique ministrare incensum ac demum porrigere ostensorium pro benedictione impertienda?

III. Si aliquando contingat, ut Episcopus Missam pontificalem celebret coram augustissimo Sacramento exposito, debetne ipse canere *Gloria* et *Credo* et legere Epistolam atque Evangelium in throno, more solito, absque mitra?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta Decretum n. **3035** *Briocen.*, 21 Iulii 1855, ad 1.

Ad II. Presbyter assistens accedit ad Episcopum tantum pro ministrando incenso et thuribulo ad incensationem; mox locum cedat diacono assistenti qui deinde ostensorium Episcopo est porrecturus.

Ad III. Affirmative in casu: sed iuxta morem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium et congruenter menti Caeremonialis Episcoporum, lib. I, cap. 12, num. 8 et 9, Episcopus se abstinet a celebranda Missa pontificali coram Sanctissimo publice exposito.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 8 Februarii 1913.

4303. ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS HELVETICO-AMERICANAE.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, exposita fuerunt; nimirum:

I. In Congregatione Helvetico-Americana festum Reparationis iniuriarum celebratur sub ritu duplici II classis feria V post Dominicam Sexagesimae. In Missali

autem Romano-Monastico, iuxta nonnullas editiones anni 1891 et sequentium, ad Missam de Reparatione iniuriarum etc. legitur haec Rubrica: « Post Septuagesimam, omissis *Alleluia* et Versu sequenti et Sequentia, dicitur Tractus ». Quod non consonat cum Rubrica apposita in recentioribus exemplaribus eiusdem Missae die 13 Ianuarii 1909 approbatis a Sacra Rituum Congregatione, ubi habetur: « Post Septuagesimam, dicto Graduali, statim additur Tractus, ut infra, et deinde Sequentia, in cuius fine tunc non dicitur *Alleluia* ». Quae quum ita sint, circa eiusmodi Sequentiam, quaeritur: Quid agendum in casu?

II. Circa Cantorinum editionis Vaticanae « IX. Toni Versiculi *Benedicamus Domino* », pag. 68, potestne tonus *pro festis solemnibus* adhiberi in festis duplicibus tum primae tum secundae classis, absque ulla differentia?

Et Sacra eadem Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae voto, praepositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. Asservetur Sequentia pro locis ubi fuit legitime concessa, quippe quae, ut patet ex festo Septem Dolorum infra hebdomadam Passionis occurrente, non repugnat Tempori post Septuagesimam.

Ad II. Affirmative, iuxta normam quae in Graduali Romano traditur circa cantus Ordinarii Missarum.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 4 Aprilis 1913.

4304. DELEGATIONIS APOSTOLICAE CANADENSIS.

Rm̃us Dñus Peregrinus Franciscus Stagni, Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, atque in ditionibus Canadae et Terraenovae Delegatus Apostolicus, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit:

In hisce regionibus mos invaluit habendi consecrationes novorum Episcoporum aliqua die infra hebdomadam, potius quam die dominica, ea potissimum de causa invectus, ut ceteri Episcopi et praesertim clerus dioecesanus facilius atque maiori numero ad sacram celebrationem possint accedere. Iamvero, iuxta Pontificale Romanum, dies pro consecratione Episcopali instituenda « debet esse Dominica, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit ». Nonnulla autem dubia circa huius praescriptionis interpretationem nata sunt, quae pro opportuna solutione hic subiiciuntur; videlicet:

I. Quum Evangelistae in re liturgica Apostolis aequiparentur, quaeritur, utrum consecratio episcopalis possit fieri diebus natalitiis S. Lucae et S. Marci?

II. Utrum fieri possit in festo S. Barnabae apostoli?

III. Utrum speciale indultum Summi Pontificis requiratur ad consecrationem episcopalem peragendam diebus festivis infra hebdomadam *a*) qui adhuc sunt de praecepto et proinde Dominicis aequiparantur, *b*) vel etiam qui olim erant de praecepto, sive in festis suppressis?

Et Sacra eadem Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. et II. Negative.

Ad III. Affirmative ad utrumque.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 4 Aprilis 1913.

4305. DECRETUM

DE PRECIBUS IN FINE MISSAE RECITANDIS.

A nonnullis Rm̃is locorum Ordinariis Sacrae Rituum Congregationi sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum:

An, attentis Sacrae Rituum Congregationis Decretis n. **3697,** *Ordinis Min. Capuccinorum,* 7 Decembris 1888 ad VII, de Missa Conventuali sine cantu, et n. **4271,** *Baionen.,* 8 Iunii 1911 ad II, de Missa votiva lecta Ss. Cordis Iesu, prima feria VI cuiusvis mensis, etiam aliqua similis Missa lecta, ex. gr. occasione primae communionis, aut communionis generalis, sacrae confirmationis aut pro sponsis, haberi possit uti solemnis, eique applicari valeant praefata Decreta quoad Preces in fine Missae, a Summo Pontifice praescriptas, omittendas?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit: Affirmative, si Missa cum aliqua solemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans ab altari recedat, imme-

diate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 20 Iunii 1913.

4306. DECRETUM

DE VIGILIIS AD RELIQUIAS MARTYRUM PERSOLVENDIS IN NOCTE ANTE DEDICATIONEM ECCLESIAE.

Sacrae Rituum Congregationi sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum:

Iuxta Pontificale Romanum, tit. *de ecclesiae dedicatione seu consecratione,* celebrandae sunt vigiliae ante Reliquias sanctorum Martyrum quae in altari consecrando includentur; et canendi Nocturni et Matutinae Laudes in honorem eorundem sanctorum; quaeritur:

Nocturni et Laudes in casu sumendine sunt e novo Psalterio Breviarii Romani per dies hebdomadae disposito, an e Communi plurimorum Martyrum? Et quo ritu canendi?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni ita respondendum censuit: In casu, vigiliae persolvantur cum Matutino trium Nocturnorum et Laudibus de Communi plurimorum Martyrum, sub ritu duplici, cum Oratione de III loco *Deus qui nos,* omisso verbo *annua*, et nominibus reticitis, iuxta Decretum n. 2886, *Cenomanen.,* 14 Iunii 1845.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 18 Augusti 1913.

4307. MOTU PROPRIO
SS. D. N. PII PAPAE X

DE OFFICIIS DIVINIS
NOVO ALIQUA EX PARTE MODO ORDINANDIS.

PIUS PP. X.

Abhinc duos annos, cum Constitutionem Apostolicam ederemus *Divino afflatu,* qua id proprie spectavimus, ut, quoad fieri posset, et recitatio Psalterii absolveretur intra hebdomadam, et vetera Dominicarum Officia restituerentur, Nobis quidem alia multa versabantur in animo, partim meditata, partim etiam inchoata consilia quae ad Breviarii Romani, susceptam a Nobis, emendationem pertinerent; sed ea tamen cum ob multiplices difficultates tunc exsequi non liceret, differre in tempus magis commodum compulsi sumus. Etenim ad compositionem Breviarii sic corrigendam ut talis exsistat, qualem volumus, id est numeris omnibus absoluta, illa opus sunt: Kalendarium Ecclesiae universalis ad pristinam revocare descriptionem et formam, salvis tamen pulcris accessionibus, quas ei mira semper Ecclesiae, Sanctorum matris, fecunditas attulerit; Scripturarum et Patrum Doctorumque idoneos locos, ad genuinam lectionem redactos, adhibere; sobrie Sanctorum vitas ex monumentis retractare; Liturgiae plures tractus, supervacaneis rebus expeditos, aptius disponere. Iam vero haec omnia, doctorum ac prudentum iudicio, labores desiderant cum magnos, tum diuturnos; ob eamque causam longa annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi aedificium liturgicum, quod mystica Christi Sponsa, ad suam declarandam pietatem et fidem, intelligenti studio confirmavit, rursus, dignitate splendidum et concinnitate, tamquam deterso squalore vetustatis, appareat.

Interea ex litteris et sermone multorum Venerabilium Fratrum cognovimus ipsis et permultis sacerdotibus esse optatissimum, ut in Breviario una cum Psalterio nova ratione disposito suisque rubricis adsint mutationes omnes, quae ipsum novum Psalterium vel iam secutae sunt vel sequi possunt. Quod cum instanter a Nobis peterent, simul significarunt se vehementer cupere, ut et Psalterium novum usurpetur frequentius, et Officia Dominicarum serventur eo studiosius, et incommodis Officiorum translationibus occurratur, et alia quaedam quae bonum videatur mutari, mutentur. Huiusmodi Nos vota, utpote rerum veritati innixa Nostraeque admodum consentanea voluntati, grate equidem accepimus: iis autem obsecundandi nunc esse tempus arbitramur. Certiores enim facti sumus officinatores librarios, qui Sacrorum Rituum Congregationi inserviunt, exspectantes dum Breviarium Romanum decretorio modo ac definitivo corrigatur, in eo esse ut novam interim ipsius Breviarii editionem adornent. Hac uti occasione visum Nobis est; propterea, implorato divinae Sapientiae lumine, consultatione habita cum aliquot S. R. E. Cardinalibus, rogataque proprii cuiusdam Con-

silii sententia, haec Motu Proprio statuimus, edicimus:

I. Secundum priscam Ecclesiae consuetudinem, ne facile Officia Dominicarum praetermittantur. — Itaque nullum festum, ne Domini quidem, statuatur posthac Dominicis celebrandum; ex his tamen excipiatur, ob peculiarem ipsius naturam, ea quae a die prima ad quintam Ianuarii occurrat: quam recolendo sanctissimo Nomini Iesu, propter coniunctionem quam habet cum mysterio Circumcisionis, assignamus. — Festa vero, quibus usque adhuc dies Dominica attributa erat, omnia, praeter festum sanctissimae Trinitatis, in aliam diem perpetuo transferantur. — Ne forte autem per Quadragesimam aliquod omittatur ex Dominicarum Officiis, quae mire facta sunt ad excitandam in animis christianam poenitentiam, eius temporis secundam, tertiam et quartam Dominicam ad gradum I classis promovemus.

II. Cum recitationi Psalterii celebratio Octavarum sit impedimento, id ut rarius contingat, in posterum sola duplicia I classis, quae Octavas integras habent, eas conservent: verum in hisce ipsis Octavis, exceptis privilegiatis, Psalmi de Feria currenti usurpentur. — Octavae autem duplicium II classis solo Octavo die celebrentur et quidem ritu simplici.

III. Lectionibus de Scriptura occurrenti semper adhaereant Responsoria de Tempore.

IV. Nulla, ne perpetua quidem, Festorum, quae in Ecclesia universali celebrantur, translatio fiat, nisi duplicium I et II classis.

Iam, quae hic a Nobis praescripta sunt, ea quemadmodum adduci ad effectum debeant, et quid praeterea novi non modo in Breviarium, sed etiam in Missale, quod cum illo congruat oportet, indidem emanet. Sacra Rituum Congregatio, peculiaris *Commissionis* a Nobis institutae consulta sequens, propriis Decretis constituet, eademque tum Breviarii tum Missalis novam editionem typicam faciendam curabit.

Has ipsas quidem praescriptiones volumus, statim ut hoc Motu Proprio promulgatae sint, valere. Sed tamen, ratione habita vel Kalendariorum quae iam sunt confecta in annum proximum, vel temporis quod typographi requirunt, sinimus eos, qui ad Officium persolvendum Romano utuntur Breviario, tum e Clero saeculari tum e regulari utriusque sexus, his praescriptionibus non teneri nisi a Kalendis anni MCMXV. Qui vero aliud legitime usurpant Breviarium a Romano diversum, iis Sacra Rituum Congregatio definiet intra quos terminos ad easdem praescriptiones accommodare sese debeant.

Cuilibet autem liceat comparare sibi atque ad Horas canonicas recitandas etiam nunc adhibere Breviaria quae sunt in usu, dummodo tamen peculiari in libello habeat unde Constitutioni *Divino afflatu* ac Decretis, quae illam subsecuta sunt, obtemperare possit, ac simul quae hoc Motu Proprio Nos statuimus et quidquid eandem in rem Sacra Rituum Congregatio decreverit, diligenter observet.

Atque haec omnia constituimus, edicimus, contrariis quibusvis, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII mensis Octobris MCMXIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X

4308. DECRETUM GENERALE

SUPER MOTU PROPRIO «ABHINC DUOS ANNOS».

Cum Ssmus Dñus noster Pius Papa X, mandaverit, ut quae Motu Proprio *Abhinc duos annos*, n. **4307**, die 23 praesentis mensis Octobris decrevit, ab hac Sacra Rituum Congregatione, iuxta votum specialis Commissionis liturgicae, opportune apteque applicarentur, haec eadem Sacra Rituum Congregatio, voluntati Sanctitatis Suae, qua par est observantia, obsequens, haec declaranda et statuenda censuit:

I. — *De Dominicis et Festis hucusque Dominicis diebus affixis.*

1. Dominicae quaevis assignationem perpetuam cuiuslibet Festi excludunt: idcirco Festa tam universalis Ecclesiae quam alicuius loci propria, quae hucusque Dominicis assignata fuerunt, celebrentur die fixa mensis qua in Martyrologio inscribuntur, si haec habeatur; secus prima die qua occurrere potest Dominica in qua hucusque celebrata sunt. Excipiuntur tamen:

a) Festum Ssmae Trinitatis, quod Dominicae I post Pentecosten assignatum manet.

b) Festum Ssm̃i Nominis Iesu, quod ab omnibus celebrabitur in Dominica quae occurrat a die 2 ad 5 Ianuarii, et, si ea non occurrerit vel impedita fuerit ab Officio nobiliori, die 2 eiusdem mensis.

c) Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf. et Ecclesiae universalis Patroni, quae assignabitur Feriae IV ante Dominicam III post Pascha occurrenti, et in ea cum sua integra Octava recoletur...

d) Festum S. Ioachim, fixe celebrandum die 16 Augusti, inde in sequentem diem 17 translato Festo S. Hyacinthi.

e) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quod, seorsim ab Anniversario Dedicationis aliarum Ecclesiarum Dioecesis, in tota Dioecesi die ipsa anniversaria celebrabitur, si ea innotescat; secus alia die fixa arbitrio Episcopi, audito tamen Capitulo Cathedrali, semel pro semper designanda.

f) Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, quod pariter, si hucusque sua propria die a singulis Dioecesis Ecclesiis celebratum est, ipsa die celebrari pergat: si vero in tota Dioecesi vel Instituto unica die recoli consuevit Dedicatio omnium Ecclesiarum Dioeceseos, haec, extra Ecclesiam Cathedralem, in Ecclesiis consecratis tantum, non vero in aliis recoli poterit, die ab Ordinario, ut supra, designanda, quae tamen alia sit a die Dedicationi Ecclesiae Cathedralis recolendae assignata. Quae item observentur de Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum alicuius Ordinis seu Congregationis, quod hucusque in Dominica celebrari consueverit.

g) Festa Sanctorum vel Beatorum, quorum mentio non fit in Martyrologio, quae tamen celebranda sunt, iuxta Rubricas, die eorum natali, si agnoscatur, dummodo per Litteras Apostolicas alius dies non fuerit assignatus.

h) Festa quae certis Dominicis post Pascha vel post Pentecosten affixa sunt, quae semel ab Ordinario, ut supra, assignanda erunt congruentiori Feriae infra Hebdomadam immediate praecedentem.

2. Ubi solemnitas externa Festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de Solemnitate Festi Duplicis I classis permittuntur Missae omnes, praeter Conventualem... semper de Officio diei dicendam; de Solemnitate vero Festi Duplicis II classis permittitur tantum unica Missa solemnis vel lecta. Excipitur Solemnitas externa Ssm̃i Rosarii, quae Dominica prima Octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, praeter Conventualem... de SSm̃o Rosario, ut supra dictum est de Duplicibus I classis

Omnes tamen Missae de his Solemnitatibus in Dominica celebratis (1)... prohibentur in omnibus Dominicis maioribus, et in aliis Dominicis in quibus fiat Officium nobilius ipso Festo cuius Solemnitas externa peragitur; sed in casu, praeterquam in Duplicibus I classis Domini Ecclesiae universalis, in omnibus Missis quae alioquin de Solemnitate externe celebrata permitterentur, addatur eius Oratio sub unica conclusione cum prima...

II. — *De Octavis.*

Lectiones II et III Nocturni singulis diebus per Octavas Festorum Duplicium II classis Ecclesiae universalis hucusque assignatae, inserantur in Octavario Romano: non vero Lectiones I Nocturni, etiamsi habeantur propriae

III. — *De occurrentia et translatione Festorum.*

1. Festa Duplicia I et II classis, tam Ecclesiae universalis quam alicuius loci propria, impedita etiam perpetuo, quocumque sublato privilegio hucusque certis Festis concesso, transferantur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniae, ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis eiusmodi Festa respective excludentibus...

2. Festa quae hucusque tam in Ecclesia universali, quam in particularibus locis sub ritu Semiduplici ad libitum sunt celebrata, reducantur ad ritum Simplicem, de eisque fiat Commemoratio quoties impediantur, ut fit de aliis Simplicibus iuxta Rubricas. Festum tamen S. Canuti cedit Festo Ss. Marii, etc. M.... ideoque in eius Officio commemoratur...

(1) Quoad Commemorationes in Missis de praefatis Solemnitatibus faciendas, serventur novae Missalis rubricae, tit. V, nn. 3 et 4.

IV. — *De reformatione Kalendariorum particularium.*

1. Singuli Ordinarii, etiam Ordinum Regularium, et Moderatores generales Institutorum cuiusvis generis quae Kalendario proprio utuntur, supplicem libellum, iuxta Instructionem huius Sacrae Rituum Congregationis, n. **4300**, diei 12 Decembris 1912, in *Acta Apostolicae Sedis* die 1 Martii praesentis anni editam, ad eamdem Sacram Congregationem infra proximum mensem Martium anni 1914 transmittant. Qui tamen post editam Constitutionem *Divino afflatu,* proprii Kalendarii iam obtinuerint reformationem, ex officio novam ab eadem Sacra Congregatione sine ullis expensis recipient.

2. In hac Kalendariorum reformatione, praeter ea quae superius disposita sunt de Festis quae hucusque Dominicis affixa erant, sequentes serventur normae:

a) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etiam ubi hucusque die fixa celebrari consuevit una cum Dedicatione aliarum Ecclesiarum, seorsim celebretur, iuxta superius decreta de eisdem Anniversariis hucusque diei Dominicae affixis.

b) Festa propria, nisi aliter per Apostolicas Litteras dispositum fuerit, celebranda erunt ipsa die natali, si agnoscatur; secus, ponantur in aliqua die quae libera sit in Kalendario.

c) Duo vel tres Sancti qui sub eodem Communi comprehendantur, sicubi occurrant eadem die et sub eodem ritu sint celebrandi, unico Festo recolantur, adhibitis iis singulorum Communium partibus, quae pro pluribus Sanctis qualitatis eiusdem assignantur, et contractis Lectionibus historicis II Nocturni, quae tamen huic Sacrae Rituum Congregationi adprobandae submittentur. Eadem norma servetur pro Festis eiusdem Communis, quae ab anterioribus diebus sint reponenda.

d) Festa S. Bartholomaei Ap. et S. Ludovici Regis Conf. in omnibus et singulis Kalendariis, Romano non excluso, fixe diebus 24 et 25 Augusti respective assignentur, non obstante quacumque consuetudine aut privilegio. Ubi vero solemnitas externa die 25 et 26 respective celebretur, his diebus permittitur unica Missa cantata vel lecta de ea Solemnitate, ut supra statutum est pro Festis diei Dominicae hucusque affixis.

e) Privilegia quibus nonnullae Dioeceses vel Instituta gaudent, sese scilicet conformandi Kalendario Cleri Romani, aut alicuius Ordinis seu Congregationis, et alia huiusmodi, penitus abolentur.

Quae omnia, per infrascriptum huius Sacrae Rituum Congregationis Secretarium, Sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X in audientia diei 26 praesentis mensis Octobris relata, Sanctitas Sua dignata est approbare, et ab omnibus servari mandavit... Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Octobris 1913.

4309. MOTU PROPRIO SS. D. N. PII PAPAE X

DE CANONICIS, QUI INTER PRAELATOS DOMESTICOS RELATI NON SINT, E CAPITULIS PRIVILEGIA PROTONOTARIORUM HABENTIBUS.

PIUS PP. X.

In litteris Nostris *Inter multiplices* editis Motu Proprio de Protonotariis Apostolicis, quo modo nonnulla capita essent interpretanda, declaravit ex Nostra auctoritate Sacra Rituum Congregatio Decreto *Super legitima* (n. **4267**, diei 24 Maii 1911), cuius haec est summa: Qui adscribatur collegio Canonicorum seu Capitulo, quod privilegiis seu insignibus et iuribus ad Protonotarios Apostolicos vel supranumerarios vel ad instar participantium pertinentibus ornatum sit, non eum acquirere ius ad expeditionem Brevis, quo inter Praelatos Domesticos numeretur, sed huius adeptionem honoris et gradus e sola Summi Pontificis benignitate pendere.

Iam vero ne privilegiorum diversitas, quae inter homines eiusdem Ordinis animadvertatur, christianae plebis admirationem moveat, Canonicis qui, cum sint e Capitulis modo memoratis, inter Praelatos Domesticos relati non sint, damus et concedimus, ut collegialiter quidem omnibus fruantur privilegiis suo ipsorum Capitulo ab Apostolica Sede tributis, singuli autem tum praelatitium habitum et *pianum,* quem vocant, gestare, ut est in illis ipsis Nostris litteris ad § 16 et 17; tum, de speciali mandato Ordinarii, ornatu et more Praelatorum, de quo ibidem ad § 31 sermo est, Sacrum celebrare possint. Qua duplici potestate non eis lice-

bit uti, nisi intra fines dioecesis, cuius erit Capitulum.

Atque haec Motu Proprio statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII mensis Decembris MCMXIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

4310. VERSALIEN.

Rm̃us Dñus Episcopus Versaliensis sequentes quaestiones de administratione Baptismi a Sacra Congregatione Sacramentorum ad Sacram Rituum Congregationem transmissas pro opportuna solutione humillime proposuit:

I. An, in administratione Baptismi, quando imminet periculum mortis, post infusionem aquae, urgeat sub gravi Ritualis Romani praescriptum quoad unctionem Chrismatis, traditionem linteoli et cerei?

II. Quum in Versaliensi dioecesi et, uti fertur, nonnullis circumstantibus locis, obsoleverit usus addendi hos ritus in casu enunciato, nonne curandum est ut isti ritus stricte adimpleantur, et sacerdos in casu sanctum Chrisma, linteolum cereumque secum deferre atque adhibere debeat?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. et II. Standum Rituali Romano.

Atque ita rescripsit, die 23 Ianuarii 1914.

4311. DUBIA.

A Sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione, reverenter expostulatum est; nimirum:

I. An Festum anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum alicuius dioeceseos ita sit intelligendum, ut, ob enunciatum Festum, singulae ecclesiae suam propriam Dedicationem celebrent?

II. An reviviscant Octavae de iure vel ex privilegio concessae Festis a die 19 ad diem 23 Decembris occurrentibus, quum ipsae deinceps post Festum Nativitatis D. N. I. C. haud amplius impediantur?

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative: nempe ut in singulis ecclesiis consecratis agatur Festum Dedicationis propriae ecclesiae.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 12 Februarii 1914.

4312. DECRETUM

DE FESTIS LOCALIBUS QUAE A RELIGIOSIS RECOLI DEBEANT.

Rubricae in recitatione divini Officii servandae ad normam Bullae *Divino afflatu,* perspicue docent quaenam Festa localia sub competenti ritu ex lege generali Regulares, Kalendarium sive dioecesanum sive proprium habentes, celebrare teneantur. Quum tamen constet anteactis temporibus ex mero Indulto Sanctae Sedis nonnulla Festa pro utroque Clero alicui regno, aut provinciae, aut dioecesi concessa fuisse, de quibus in memoratis Rubricis nulla mentio, inde suborta est quaestio de obligatione Regularium ad haec quoque Festa celebranda.

Sacra porro Rituum Congregatio quaestionem dirimere volens, et insuper decernere quo Kalendario uti debeant sive Ordines Regulares, sive Religiosorum Congregationes aut Instituta, itemque alia nonnulla circa eamdem rem opportune definire, audito suffragio Commissionis pro ordine psalteriali reformando constitutae, attentis tenore et mente Bullae *Divino afflatu* et subsequentium Rubricarum et Decretorum, omnibusque accurate perpensis, sequentia statuere censuit:

I. Ordines Regulares proprium omnino habere debent Kalendarium, quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorundem Ordinum.

II. Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant Kalendarium.

III. Congregationes et Instituta, quae sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate sint approbata, non tamen comprehendantur paragrapho praecedenti, uti debent Kalendario dioecesano prouti iacet, additis iuxta Rubricas Officiis, quae ipsis peculiariter concessa sunt.

IV. Ordines, Congregationes et Instituta, proprio Kalendario gaudentes, amo-

do celebrare tantummodo debent Officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, nec non Festa solemniora Patronorum principalium, ita ut non amplius teneantur ad Officia alicui regno, provinciae aut dioecesi concessa; neque ad Officia localia quae adnexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam.

V. Quoad Festa localia, quae a Regularibus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent Officio et Missa Clero saeculari concessis, nisi eadem Festa ab ipsis Regularibus iam habeantur cum Officio et Missa magis propriis.

VI. Si graves exstent rationes ad aliqua Festa localia, praeter recensita, pro aliqua Religiosa familia conservanda, Sacrae Rituum Congregationis iudicio subiiciantur, ut praedicta Festa, quatenus opus sit, in Kalendario inseri possint.

Quas resolutiones Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit atque praescripsit, contrariis quibuscumque Indultis revocatis, aliisque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Die 28 Februarii 1914.

4313. DECRETUM

DE ORATIONIBUS SERVOS DEI CUM SANCTITATIS FAMA DEFUNCTOS RESPICIENTIBUS.

Proposito Sacrae Rituum Congregationi dubio: « An Orationes quae Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem Servorum Dei qui cum sanctitatis fama decesserunt, indigeant venia Episcopi, ut imprimi ac inter fideles diffundi valeant? », Sacra eadem Congregatio respondendum censuit: Affirmative ad normam Constitutionis *Officiorum et munerum;* attamen ad tramitem et mentem Decretorum S. U. Inquisitionis et Sacrae Rituum Congregationis, Episcopus abstinere se debet ab eisdem orationibus commendandis ac praesertim indulgentiis ditandis.

Atque ita rescripsit, die 21 Martii 1914.

4314. DECRETUM

ADPROBATIONIS OFFICII SACRARUM RELIQUIARUM.

Quo uniformitas habeatur in Officio persolvendo cum Missa de Festo sacrarum Reliquiarum; et proposito dubio satisfiat: « Quodnam de hoc Festo Officium, ex iis quae huc usque in Breviarii et Missalis Romani Appendice habentur, in posterum recitare Propriisque Officiorum dioecesanis liceat inserere? », Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Ssmo Dño nostro Pio Papa X tributarum, ... Officium cum Missa proprium de Festo sacrarum Reliquiarum adprobavit, atque ab iis omnibus in posterum adhiberi mandavit, quibus idem Festum concessum est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 4 Aprilis 1914.

4315. DECLARATIO

DE SANCTIS VEL BEATIS ALICUBI PUBLICO CULTU HONORATIS, ABSQUE CERTO S. SEDIS DECRETO VEL INDULTO.

In Kalendariis perpetuis et Propriis quae, iuxta novissimas Rubricas ad normam Bullae *Divino afflatu* et Motu proprio *Abhinc duos annos* Ssmi Dñi nostri Pii Papae X, et Sacrae Rituum Congregationis Decretum n. **4308,** diei 28 Octobris 1913, reformata, ipsius Sacrae Congregationis revisioni et approbationi subiiciuntur, aliquando Sancti vel Beati notantur qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt, neque publico cultu a Sancta Sede certe decreto vel confirmato potiuntur, prouti speciatim praescribitur per generale Decretum n. **3926,** diei 13 Iulii 1896, ad 1 et 2.

Quum tamen eiusmodi Sancti vel Beati nuncupati in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu honorentur cum Officio et Missa; atque, hac de causa, in memoratis Kalendariis et Propriis a Rmis Ordinariis inscribantur, Sacra Rituum Congregatio, de mandato eiusdem Ssmi Domini nostri declarat ex hac inscriptione nullo pacto fas esse arguere ipsos Sanctos vel Beatos nuncupatos beatificationem formalem vel aequipollentem obtinuisse, eorumque cultum, prouti de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, et recentioribus Sacrae Rituum Congregationis Decretis seu declarationibus dd. 11 Novembris 1912 et 31 Ianuarii 1913, recognitum et confirmatum fuisse, sed tantum concludere licet horum Sanctorum vel

Beatorum cultum manere in statu suae possessionis, ac proinde neque augeri neque extendi posse inconsulta S. Sede. Demum hortantur Rmi Ordinarii ut memorati Sancti vel Beati in suis Kalendariis et Propriis particularibus aliquo signo seu asterisco distinguantur ab aliis Sanctis vel Beatis in Martyrologio Romano descriptis vel rite canonizatis aut beatificatis, uti laudabiliter fit in aliquibus locis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 28 Aprilis 1914.

4316. DECRETUM

ADPROBATIONIS ET CONCESSIONIS CIRCA OFFICIA ET MISSAS DE COMMUNI PLURIUM CONFESSORUM PONTIFICUM VEL NON PONTIFICUM ET PLURIUM VIRGINUM VEL NON VIRGINUM.

Quum in Kalendariis particularibus aliquoties duo vel tres Sancti aut Beati sub eodem Communi descripti, eadem die et sub eodem ritu ita occurrant, ut unico Festo, Officio et Missa sint recolendi ad normam Decreti n. **4308**, diei 28 Octobris 1913, humiles enixaeque preces ab eiusmodi Kalendaria habentibus Sacrae Rituum Congregationi porrectae sunt, ut pro his casibus nova Officia cum Missis de Communi, praeter cetera iam exsistentia, conficere atque adprobare vellet, in Propriis particularibus opportune inserenda. Sacra porro ipsa Congregatio his votis precibusque indulgens, facto verbo cum Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, quatuor Officia cum Missis de Communi, nempe plurium Confessorum tam Pontificum quam non Pontificum itemque plurium tam Virginum quam non Virginum concinnanda curavit; atque, opere diligenter absoluto et reviso, eiusdem Sanctissimi Domini nostri auctoritate probavit. Potestatem insuper fecit Rmis Episcopis aliisque locorum Ordinariis ac Superioribus cuiusvis Ordinis, Congregationis seu Instituti Kalendarium particulare habentis, suprarelata Officia et Missas de Communi, iuxta prudens eorum iudicium, respectivis Propriis adprobatis inserendi, et semel pro semper ecclesiis, clero aliisque personis ad divinum Officium recitandum adstrictis ac subditis concedendi, iubendi ac praeceptiva declarandi in enunciatis Festis, sive ex integro, sive pro ea parte quae de Communi sumenda est, si altera propria habeatur. Pro clero autem saeculari almae Urbis Sacra eadem Congregatio, de mandato ipsius Sanctissimi Domini nostri, eadem Officia praeceptive adhibenda esse declarat.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 22 Maii 1914.

4317. DECRETUM

CIRCA FESTA PROPRIA, QUAE IN ALIQUIBUS RELIGIOSORUM PROVINCIIS, CONVENTIBUS, MONASTERIIS AUT DOMIBUS SPECIALI RATIONE RECOLUNTUR.

Ut debitae uniformitati in Ordinibus et Congregationibus religiosis quoad rem liturgicam consulatur, et quaedam incommoda, quae ex reformatione Kalendariorum generalium in Religiosorum provinciis, conventibus, monasteriis aut domibus oriri possent, propulsentur, Sacra Rituum Congregatio, audito suffragio Commissionis pro ordine psalteriali reformando constitutae, sequentia statuere censuit:

I. Festa Sanctorum Ordinis seu Congregationis, in ecclesiis coenobii, monasterii aut domus, in quibus obierunt, vel eorum corpus aut insignis reliquia asservatur, sub ritu duplici secundae classis recolantur. Festis vero Beatorum, qui sive solemniter sive aequipollenter beatificationis honores adepti sint, ritus duplex maius, in casu exposito, tribuatur: ritu tamen duplici minori assignato Festis Beatorum huiusmodi pro reliquis eiusdem religiosae provinciae conventibus, monasteriis seu domibus, quatenus in Ordinis seu Congregationis Kalendario eis ritus tantummodo semiduplex aut simplex fuerit adscriptus, servatis tamen legibus de occurrentia et concurrentia, et abolito, in casibus expositis, ritu superiori, sicubi fuerit concessus.

II. Festa Sanctorum Ordinis seu Congregationis, qui sive in tota Ecclesia sive in universo Ordine aut Congregatione extra diem obitus celebrentur, in die assignata iugiter recolantur, etiamsi eisdem Festis ritus altior competat et qualitas Titularis propriae ecclesiae vel Patroni religiosae provinciae accedat; servata ta-

men uniformitate cum clero saeculari, quoties ab hoc iidem Sancti qua Patroni locorum principales, vel ecclesiarum cathedralium Titulares extra diem pro tota Ecclesia vel pro universo Ordine aut Congregatione assignatam, celebrentur, ut uniformitas inter utrumque clerum habeatur.

III. Festa Sanctorum Ordinis seu Congregationis, qui Patroni locorum principales vel cathedralium ecclesiarum Titulares sint, a Religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis aut Congregationis ibidem sub ritu duplici primae classis cum Octava, uti a clero saeculari, recolantur. Item si Festa Sanctorum vel Beatorum Ordinis aut Congregationis ritu superiori a clero saeculari alicuius dioecesis aut loci recolantur, ibidem etiam a Religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis aut Congregationis eodem ritu superiori celebrari poterunt, dummodo in dioecesi vel loco eadem die de huiusmodi Sanctis vel Beatis fiat Officium, qua fit in Ordine aut Congregatione.

IV. Festa Beatorum, etiam sicubi sub ritu altiori, quam apud Ordinem universum aut Congregationem, celebrentur, in die quo apud Kalendarium generale Ordinis aut Congregationis inscribuntur, inviolate recolenda sunt, et a Sociis minime separentur; attamen Beati proprii nomen et gesta, quae seiuncta sint, nomini et gestis Sociorum praeferantur.

V. Si Festa Sanctorum aut Beatorum Ordinis vel Congregationis, quae hucusque in die obitus et cum magno populi concursu agebantur, in posterum, ob Kalendarii reformationem, extra eamdem diem celebranda sint; poterit Superior generalis permittere ut in ecclesiis conventuum, monasteriorum aut domorum, in quibus iidem Sancti aut Beati obierunt, vel eorum corpus aut insignis reliquia asservatur, unica Missa cantata et alia lecta more festivo de iisdem in praefato die obitus celebrentur, dummodo non occurrat Festum Duplex primae classis, aut aliquod ex Officiis duplicia primae classis impedientibus.

Atque haec omnia Sacra eadem Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, ab Ordinibus et Congregationibus religiosis utriusque sexus, quae Romano utuntur Breviario, servanda mandavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 22 Maii 1914.

4318. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione submissa sunt, nempe:

I. Utrum Lectiones emendatae in Festis Ss. Felicis III Papae et Conf., Benedicti Iosephi Labre Conf., Felicis a Cantalicio Conf., Ioannis Baptistae de Rossi Conf., Hadriani III Papae et Conf., Rochi Conf., Hilari Papae et Conf. ac Eusebii Papae et Mart., necnon Bb. Urbani V Papae et Conf., Gasparis del Bufalo Conf., Ioannis Leonardi Conf. et Victoris III Papae et Conf., quae in Proprio Romano nuper adprobato habentur, sumi debeant vel possint ab omnibus dioecesibus seu institutis eadem Festa celebrantibus, quae magis proprias non habeant.

II. Utrum in Propriis particularibus fas sit Lectiones historicas Festorum Ecclesiae universalis, quae in respectivis Kalendariis impedita ab Officio nobiliori, Commemoratione tantum pollent, contractas apponere, uti factum est in praefato Proprio Romano.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Congruentius posse, sed non teneri; iuxta decisionem ab Ordinario seu Superiore semel pro semper sumendam et in posterum observandam,

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1914.

4319.

DECRETUM SEU DECLARATIO

CIRCA PROPRIA OFFICIORUM ET MISSARUM.

Evulgatis Sacrae Rituum Congregationis Decretis n. **4166**, diei 11 Augusti 1905, circa editionem et approbationem librorum cantum gregorianum continentium, et n. **4260**, diei 24 Februarii 1911, circa modum servandum in expetenda approbatione Propriorum alicuius dioecesis, Ordinis seu Instituti cum cantu gregoriano ad normam Gradualis vel Antiphonalis Romani Vaticanae editionis, Sacra eadem Congregatio opportunum atque utile nunc declarare censuit ac declarat quod tum

praedicta Propria cum cantu tum alia Propria sine cantu in triplici exemplari revisioni et approbationi huius Sacri Consilii una cum postulato respectivi Episcopi, Ordinarii vel Superioris subiicienda, tanquam opus non definitivum sed adumbratum atque uti schema manuscriptum etsi typis impressum, esse habenda. Revisione autem peracta et indulta approbatione, unum ex dictis exemplaribus remittetur ad Episcopum seu Ordinarium vel Superiorem cum testimonio authentico revisionis et approbationis, adiecta clausula posse ab iis ad quos spectat, eisdem Propriis approbatis concedi *Imprimatur* in usum respective dioecesis, Ordinis seu Instituti. Huiusce vero Proprii typis definitive impressi, cum testificatione tum approbationis S. Sedis tum licentiae Ordinarii seu Superioris praefixa, duplex exemplum ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 3 Iunii 1914.

4320.

DECRETUM SEU DECLARATIO

CIRCA OFFICIA PROPRIA.

Normis circa Officia propria per Decretum n. **4319,** diei 3 Iunii 1914, traditis inhaerens, nunc Sacra Rituum Congregatio opportune declarat ac statuit:

Quum ad mentem Sacrae Congregationis Officia particularia ritus duplicis maioris, minoris et semiduplicis tantummodo Lectionibus II Nocturni cum Oratione propria gaudere soleant, eadem Sacra Congregatio ad maiorem uniformitatem praesenti Decreto libentissime concedit, ut, iuxta prudens cuiusvis Ordinarii vel Superioris, ad quem spectat, iudicium, Officia Ecclesiae universalis in Breviario Romano inserta substitui valeant, absque peculiari Indulto, respectivis Officiis particularibus magis propriis hucusque aliquibus dioecesibus seu institutis a S. Sede concessis. Item R̃m̃is Ordinariis seu Superioribus supradictis fit potestas aliquas tantum partes proprias ex Officiis particularibus iam indultis quae nullo modo vel tantum ritu simplici in Breviario reperiuntur, amodo retinendi, ceteris partibus de Psalterio et de Communi adhibitis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Iunii 1914.

4321. DUBIUM.

Quaesitum est a Sacra Rituum Congregatione: Utrum vi Decreti n. **4319,** diei 3 Iunii 1914, omnia et singula Propria particularia iam adprobata, tam cum cantu quam sine cantu, attentis reductione festorum quae habentur in ipsis Propriis, et approbatione novi Kalendarii, iterum examini huius Sacrae Congregationis subiicienda sint, an ipsum Decretum respiciat tantum nova Officia in posterum expetenda et cantum gregorianum adaptandum Officiis iam adprobatis, quae tamen cantu carent.

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus perpensis, respondendum censuit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 24 Iunii 1914.

4322. DECRETUM

DE LUCE ELECTRICA SUPER ALTARE NON ADHIBENDA.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: Utrum lux electrica, quemadmodum vetita est una cum candelis ex cera super altare, iuxta declarationem seu Decretum n. **4206,** diei 22 Novembris 1907, ita etiam in gradibus superioribus ipsius altaris vel ante sacras imagines seu statuas super eosdem gradus et altare positas prohibita sit?

Et Sacra eadem Congregatio, audito etiam specialis Commissionis voto, rescribendum censuit: Affirmative, et ad mentem.

Mens est: Sacra Rituum Congregatio hanc nacta occasionem, cum innotuerit nonnullis in locis tales abusus invaluisse, ut circa aediculas Sanctorum in pariete super altare positas, et vel in ipsis altaris gradibus ubi candelabra collocantur, parvae lampades electricae variis distinctae coloribus disponantur - quod profecto minus convenit gravitati et dignitati sacrae Liturgiae propriae et decori Domus Dei - facto verbo cum Sanctissimo, etiam atque etiam R̃m̃os Ordinarios in Domino hortatur ut pro sua religione invigilent, ne Sacrae Congregationis Decreta posthabeantur, et ecclesiarum rectores doceant quae in casu, iuxta Decreta, permissa quaeque vetita sunt.

Summa autem Decretorum haec est: Lux electrica vetita est, non solum *una cum candelis* ex cera super altaria (**4097**), sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram Ssmo vel Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas sacrae Liturgiae postulant (**3859,4206** et **4210** ad 1). Nec licet, tempore expositionis privatae vel publicae, interiorem partem ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiori collocatis illuminare, ut Ssma Eucharistia melius a fidelibus conspici possit (**4275**).

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 24 Iunii 1914.

4323. DECRETUM

ADPROBATIONIS LECTIONUM PRO FESTIS UNIVERSALIS ECCLESIAE QUAE ALICUBI COMMEMORATIONE TANTUM GAUDENT.

Quum Festa Ecclesiae universalis saepe saepius ob occurrentiam sive perpetuam sive accidentalem cum Festo seu Officio nobiliori alicuius particularis ecclesiae ita maneant impedita, ut tantum Commemoratione atque unica Lectione gaudeant, Sacra Rituum Congregatio variis Ordinariorum petitionibus satisfactura, ad tramites Decreti n. **4318,** diei 25 Maii 1914 ad II, de Festis seu Officiis enunciatis unicam Lectionem, ut plurimum ex tribus contractam, redigendam curavit, eamque revisam ac rite probatam, prout res postulabat, benigne concessit. Ex hisce singulis Lectionibus praesens collectio exorta est, quam, de mandato Ssmi Dñi nostri Pii Papae X, ipsa Sacra Congregatio pro rei necessitate et opportunitate in vulgus edi statuit ac decrevit; easdemque Lectiones iuxta Rubricas adhiberi posse ac debere declaravit. Praesens autem Decretum approbationis et concessionis pro utroque clero aliisque, quatenus opus sit, Sacra eadem Congregatio huic collectioni praefigi voluit ac iussit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 24 Iunii 1914.

4324. DUBIUM.

Exquisitum est a Sacra Rituum Congregatione: Utrum Festa quae in Kalendario universalis Ecclesiae sub ritu duplici secundae classis cum Octava simplici inscribuntur, et in aliquibus locis sunt etiam Festa praecipua de Sanctis Patronis locorum vel Titularibus ecclesiarum cathedralium, a Regularibus proprium Kalendarium habentibus inibi celebrari debeant cum Octava communi, sicut a clero saeculari?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositae quaestioni ita rescribendum censuit: Negative; sed post diem festum servetur quoad Octavam Kalendarium Ecclesiae universalis.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 8 Iulii 1914.

4325. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita sunt:

I. Occurrente aut concurrente Festo Conversionis S. Pauli Apostoli cum Dominica Sexagesimae, fierine debet de ipso Festo commemoratio, quamvis in Oratione Dominicae fiat mentio de eodem Apostolo?

II. Si infra Octavam Nativitatis B. Mariae Virg. dicenda sit Missa votiva eiusdem B. Mariae Virg., legendae est Missa votiva de Tempore, an Missa ut in Festo Nativitatis? Et quatenus affirmative, adiungine debent *Gloria* et *Credo?*

III. Officia de Communi plurimorum Confessorum Pontificum vel non Pontificum et plurium Virginum vel non Virginum per Decretum Sacrae Rituum Congregationis n. **4316,** diei 22 Maii 1914, adprobata valentne inseri et adiici tantum Propriis Officiorum rite adprobatis; an etiam ipsi Breviario Romano?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, singulis quaestionibus propositis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Legatur Missa ut in Festo Nativitatis B. Mariae Virg. cum *Gloria* sed sine *Credo.*

Ad III. Affirmative ad primam partem, iuxta citatum Decretum: negative ad se-

cundam partem; quia per enunciata Officia ob plurium petitionem et instantem necessitatem provisum est ad tempus iuxta Motu proprio *Abhinc duos annos*, n. **4307**, et ad mentem Decreti approbationis editionis typicae Breviarii Romani, diei 25 Martii 1914.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 7 Augusti 1914.

4326. DECRETUM

DE VI ADPROBATIONIS OFFICIORUM QUAE IN PROPRIIS PARTICULARIBUS INSCRIBUNTUR.

Quum Rmi Ordinarii locorum et Moderatores Ordinum Regularium aliorumque Institutorum, obtenta adprobatione respectivi Kalendarii proprii vel Variationum seu Additionum particularium, ad normam Decreti generalis Sacrae Rituum Congregationis n. **4308**, diei 28 Octobris 1913, etiam Propria Officiorum reformata ipsimet Sacrae Congregationi examinanda et adprobanda subiecerint, Sacra eadem Congregatio, pro Officiorum Propriis iam adprobatis vel in posterum adprobandis, necessarium et opportunum declarare censuit, prout expresse declarat: Per huiusmodi adprobationem, praesertim Lectionum secundi nocturni, nullo modo intelligi ac dici posse diremptas quaestiones historicas circa res gestas, in eisdem Propriis et Lectionibus commemoratas, ac potissimum circa Sanctorum vel Beatorum, maxime antiquioris aevi, monachatum eorumque pertinentiam ad unum vel alium Ordinem. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Novembris 1914.

4327. SAGIEN.

Hodiernus Episcopus Sagien. a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit sequentium dubiorum solutionem; nempe:

I. Utrum, quando ob occursum festi duplicis I classis, Officium alicuius Summi Pontificis vel Doctoris Ecclesiae perpetuo vel etiam accidentaliter simplificatur, ita ut tantum in Laudibus Commemoratio fiat de eo, usurpandae sint pro hac Commemoratione Antiphonae magis propriae de secundis Vesperis *Dum esset* vel *O Doctor*, an potius Antiphona communior *Euge, serve bone?*

II. Utrum, in Missa feriali quae coram Ssmo Sacramento exposito celebratur, debeat omitti Oratio *Fidelium*, etiam quando a Rubrica praescribitur in Feria secunda vel in prima die libera mensis?

III. Utrum, in festo Omnium Ss. Episcoporum et aliorum Sanctorum dioecesis Sagiensis, color paramentorum sacrorum debeat esse *albus*, an potius *rubeus* quia aliqui horum Sanctorum sunt Martyres?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, iuxta editionem typicam Breviarii Romani.

Ad II. Negative.

Ad III. Servetur in casu consuetudo.

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1914.

4328. ROMANA.

A Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutio reverenter expostulata fuit; nimirum:

Rituale Romanum, edit. typ., tit. IV, cap. II, ubi describitur ordo administrandi sacram communionem communicandis tam extra Missam quam ante vel post ipsam, atque etiam intra Missam, ad n. 11 haec habet: « Sacerdos porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens a ministris altaris, si velint communicare ». Item in Decreto n. **1074**, *Galliarum*, 13 Iulii 1658, ad propositum dubium: « An in communione intra Missam prius ministrandum sit Ssmum Eucharistiae sacramentum ministro Missae inservienti quam monialibus vel ceteris ibidem praesentibus? », Sacra Rituum Congregatio responderi mandavit: « In casu praedicto ministrum sacrificii non ratione praeeminentiae, sed ministerii, praeferendum esse ceteris quamvis dignioribus ».

Unde quaeritur: An vox minister altaris vel sacrificii in his et similibus documentis S. R. C. restringenda sit exclusive ad ministros iam in ordinibus minoribus constitutos vel saltem tonsuratos, an potius voce ministri intelligendi sint omnes quicumque seu laici seu clerici qui Missae inserviunt?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, enunciatae quaestioni ita respondendum censuit:

Nomine ministri altaris vel sacrificii Missae venit quilibet clericus vel laicus, Missae ad altare inserviens, qui praeferendus est ceteris in distributione sacrae Synaxeos; cauto tamen, ut laico inservienti praeferantur clerici, et clericis minoris ordinis alii in maiori ordine constituti, aut personae quae superiori polleant dignitate liturgice attendenda per se (uti regum) vel per accidens (uti sponsorum in Missa pro benedicendis nuptiis).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 30 Ianuarii 1915.

4329. DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione pluries expostulatum fuit: Utrum regula descripta in Antiphonario Vaticano circa syllabas hypermetricas, quae frequenter occurrunt in cantu hymnorum, scilicet quod ipsae non elidantur, sed distinctae pronuncientur propriaque nota cantentur, stricte et rigorose interpretanda sit, an e contra liceat etiam ipsas syllabas elidere, praesertim si in praxi id facilius et convenientius censeatur?

Et Sacra eadem Congregatio, audita specialis Commissionis pro cantu liturgico gregoriano sententia, propositae quaestioni, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 14 Maii 1915.

4330. DECRETUM

DE IMAGINIBUS BEATORUM PUBLICAE VENERATIONI EXPOSITIS.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congragatione: Utrum imagines seu statuae alicuius Beati, formaliter beatificati, publicae fidelium venerationi in ecclesiis seu oratoriis publicis expositae, amoveri possint auctoritate respectivi Ordinarii?

Et Sacra eadem Congregatio proposito dubio ita respondendum censuit: Si adfuit indultum apostolicum, vel tantum expositionis praedictarum imaginum seu statuarum, vel maius indultum celebrandi festum cum Officio et Missa, vel saltem cum Missa, de Beato (quo in casu facultas continetur exponendi memoratas imagines seu statuas), negative; secus affirmative.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 24 Iulii 1915.

4331.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE SACRO TER PERAGENDO IN DIE SOLLEMNIS COMMEMORATIONIS OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Incruentum Altaris sacrificium, utpote quod a sacrificio Crucis nihil natura ipsa differat, non modo caelitibus afferre gloriam, et iis qui in miseriis huius vitae versantur ad remedium et salutem prodesse, sed etiam ad animas fidelium qui in Christo quieverint expiandas quamplurimum valere, perpetua et constans Ecclesiae sanctae doctrina fuit. Huius vestigia et argumenta doctrinae, quae quidem, saeculorum decursu, tum christianorum universitatem praeclarissimis affecit solaciis, tum optimum quemque in admirationem infinitae Christi caritatis rapuit, in pervetustis latinae et orientalis Ecclesiae Liturgiis, in scriptis Sanctorum Patrum, denique in pluribus antiquarum Synodorum decretis expressa licet et manifesta deprehendere. Id ipsum autem Oecumenica Tridentina Synodus sollemniore quadam definitione ad credendum proposuit, cum docuit « animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuvari », eosque anathemate perculit, qui dicerent, sacrum non esse litandum « pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus ». Neque vero rationem agendi huic docendi rationi dissimilem unquam secuta est pia Mater Ecclesia: nullo enim tempore destitit Christifideles vehementer hortari, ne paterentur, defunctorum animas iis carere utilitatibus, quae ab eodem Missae sacrificio uberrime profluerent. Qua tamen in re hoc laudi Christiano populo verti debet, nunquam eius pro defunctis studium industriamque defuisse: ac testis Ecclesiae historia est, cum fidei caritatisque virtutes altius insiderent animis, actuosiorem tunc operam et reges et populos, ubicumque patebat catholicum nomen, in eluendas Purgatorii animas contulisse.

Ea ipsa profecto effecit tam incensa maiorum pietas, ut, plura ante saecula,

in Regno Aragoniae, consuetudine paulatim inducta, die Sollemnis Commemorationis omnium defunctorum sacerdotes saeculares sacrum bis peragerent, ter vero regulares; quod privilegium Decessor Noster immortalis memoriae Benedictus XIV non modo, iustis de causis, confirmavit, verum etiam, rogatu Ferdinandi VI Hispaniarum Regis Catholici, itemque Ioannis V Lusitaniae Regis, Litteris Apostolicis, die XXVI mensis Augusti a. MDCCXLVIII datis, ita produxit ut cuilibet sacerdoti e regionibus utrique Principi subiectis facultatem faceret ter eadem in Sollemni Commemoratione litandi.

Procedente autem tempore, permulti, tum sacrorum Antistites, tum ex omni ordine cives, iterum et saepius supplices preces Apostolicae Sedi adhibuerunt, ut eiusmodi privilegio ubique gentium liceret uti: eademque de re a proximis Decessoribus Nostris et a Nobismetipsis, in hisce Pontificatus Nostri primordiis, postulatum est haud semel. Nec vero dixeris, causas, quae ad propositum olim afferrentur, iam nunc defecisse: quin immo et exstant adhuc et ingravescunt in dies. Etenim Christifidelium, qui Missas in defunctorum solacium celebrandas vel quovis modo statuerint vel testamento legaverint, pia haec instituta et legata dolendum est partim deleta esse, partim ab iis neglegi qui minime omnium debeant. Huc accedit, ut ex iis ipsis, quorum explorata religio est, non pauci redituum imminutione cogantur, ad contrahendum Missarum numerum, supplices Apostolicam Sedem adire.

Nos igitur, denuo conscientiam eorum graviter onerantes, qui suo hac in re officio non satisfaciant, caritate in defunctorum animas, qua vel a pueris incensi sumus, vehementer impellimus, ut omissa cum ingenti earum detrimento suffragia, quantum in Nobis est, aliquo pacto suppleamus. Ea quidem miseratio hodie maiorem in modum Nos permovet, cum, luctuosissimi belli facibus Europae fere omni admotis, cernimus ante Nostros paene oculos tantam hominum copiam, aetate florentium, immaturam in proelio mortem occumbere; quorum animabus expiandis etsi defutura non est propinquorum pietas, eam tamen necessitati parem quis dixerit? Quandoquidem vero communis omnium Pater divino consilio facti sumus, filios vita functos, Nobis carissimos et desideratissimos, volumus, paterna cum largitate, congesti e Christi Iesu meritis thesauri abunde participes efficere.

Itaque, invocato caelestis Sapientiae lumine auditisque aliquot Patribus S. R. E. Cardinalibus e Sacris Congregationibus de disciplina Sacramentorum et Sacrorum Rituum, haec quae sequuntur in perpetuum statuimus.

I. Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur Sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter sacrum facere; ea tamen lege, ut unum e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus.

II. Quod Decessor Noster Clemens XIII Litteris die XIX mensis Maii a. MDCCLXI datis concessit, id est ut omnia altaria essent eo ipso Sollemnis Commemorationis die *privilegiata*, id, quatenus opus sit, auctoritate Nostra confirmamus.

III. Tres Missae, de quibus supra diximus, sic legantur, quemadmodum fel. rec. Decessor Noster Benedictus XIV pro Regnis Hispaniae et Lusitaniae praescripsit.

Qui unam tantummodo Missam celebrare velit, eam legat quae in *Missali* inscribitur legenda *in Commemoratione omnium fidelium defunctorum;* eamdem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus sit, facta ei potestate anticipandae alterius et tertiae.

IV. Sicubi acciderit, ut Augustissimum Sacramentum sit expositum pro Oratione XL Horarum, Missae de Requie, cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei necessario dicendae (Decr. Gen. S. R. C. n. 3177 et 3864 ad IV), ne celebrentur ad *Altare Expositionis.*

Quod reliquum est, pro certo habemus fore, ut omnes catholici orbis Sacerdotes, quamquam sibi licebit die Sollemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum semel tantum litare, velint libenter studioseque insigni privilegio uti quod largiti sumus. Impense vero omnes Ecclesiae filios hortamur, ut, memores officii, quo erga fratres, Purgatorii igne crucia-

tos, non uno ex capite obligantur, frequentes eo die sacris, summa cum religione, intersint. Ita futurum certe est, ut, immensa refrigerationis unda ex tot salutaribus piaculis in Purgatorium defluente, frequentissimae quotannis defunctorum animae inter beatos triumphantis Ecclesiae caelites feliciter cooptentur.

Quae autem hisce Apostolicis Litteris constituimus, eadem valida et firma perpetuo fore edicimus, non obstante quavis lege, antehac lata a Decessoribus Nostris, de Missis non iterandis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die x mensis Augusti anno MCMXV, Pontificatus Nostri primo.

P. Card. GASPARRI,
a Secretis Status.

PH. Card. GIUSTINI,
S. C. de Sacramentis Praefectus.

Loco ✠ Plumbi

VISA
M. RIGGI, C. A., *Notarius.*

4332. ROMANA.

Quum per Decretum Sacrae Rituum Congregationis n. **3581,** *Urbis et Orbis,* 5 Iulii 1883, et alia recentiora Decreta, de Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, die 29 Iunii, Romae non solum agenda sit Commemoratio singulis Octavae diebus, quocumque Festo occurrente, sed ipsa Octava habenda uti privilegiata tertii ordinis; quumque eiusmodi privilegium a quibusdam intelligatur coarctatum ad clerum saecularem aliosque Kalendario dioecesano legitime utentes, Sacra eadem Congregatio, attentis expositis ac praesertim quod Romam « Beatissimi Principes supra omnes mundi civitates tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro supremoque et indefectibili veritatis magisterio », uti legitur in Decreto suprarelato n. **3581,** votis etiam precibusque porrectis obsecundans, rescribendum censuit: In casu Octavam privilegiatam extendendam esse ad omnes ex utroque clero Romae eiusque districtu commorantes, si Sanctissimo placuerit.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum ipsius Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit; simulque Octavam Festi, 29 Iunii, Ss. Petri et Pauli App., almae Urbis Patronorum principalium, pro universo clero in hac ipsa Urbe eiusque districtu degente, tam saeculari quam regulari, etiam Kalendarium proprium habente, privilegiatam tertii ordinis statuit ac declaravit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 11 Augusti 1915.

4333. DECRETUM

CIRCA PRECES IN FINE MISSAE RECITANDAS.

Quum in aliquibus locis et dioecesibus dubium exortum sit: Utrum preces in fine Missae a Summo Pontifice Leone XIII praescriptae, adhuc sint recitandae, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: Affirmative, servatis Decretis et normis ab ipsa Sacra Congregatione traditis.

Atque ita rescripsit, declaravit et, approbante Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV, servari mandavit.

Die 24 Novembris 1915.

4334. DECRETUM

DE LAMPADE CORAM SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Instantibus pluribus Ordinariis locorum, in quibus ad nutriendam lampadem coram SSño Sacramento ardentem, ob peculiares circumstantias sive ordinarias sive extraordinarias, oleum olivarum non habetur, vel ob gravem penuriam aut summum pretium, non absque magna difficultate comparari potest, S. Rituum Congregatio, inhaerens Decreto n. **3121,** *Plurium Dioecesium,* d. d. 14 Iunii 1864, aliisque subsequentibus declarationibus etiam recentioribus, rescribendum censuit: Inspectis circumstantiis enunciatis iisque perdurantibus, remittendum prudentiae Ordinariorum, ut lampas, quae diu noctuque collucere debet coram Sanctissimo Sacramento, nutriatur, in defectu olei olivarum, aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus aut cera apum pura vel mixta, et ultimo loco etiam luce electrica adhibita; si Sanctissimo placuerit.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, San-

ctitas Sua rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habens, quoad lampadem accensam ad SSmum Sacramentum debite honorandum praescriptam, in casibus et modis superius expositis, rem omnem prudenti iudicio Ordinariorum, cum facultatibus necessariis et opportunis, benigne remisit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 Februarii 1916.

4335. VIZAGAPATAMEN.
ET
NAGPOREN.

Rmi Episcopi Dioecesium Vizagapatamensis et Nagporensis, sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi exposuerunt; nimirum:

An Episcopi utriusque Dioecesis possint mutare titulares Ecclesiarum, sive quia incerti sunt, sive quia nec approbati, vel non habent Officium in Kalendario Dioecesano?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, rescribendum censuit:

Nihil innovetur, si agatur de Sanctis in Martyrologio Romano vel in eius Appendice approbata insertis. Si vero agatur de Ecclesiis consecratis et de titularibus incertis, proponatur elenchus antiquorum vel novorum titularium Sacrae Rituum Congregationi pro approbatione. Quod si Ecclesia non fuerit consecrata aut solemniter benedicta, ipse Episcopus eam benedicat vel consecret, assignando Mysterium vel Sanctum Titularem iuxta Rubricas et Decreta; prae oculis habito, quod Beatis nec Ecclesiae, nec Altaria dedicari possunt.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 5 Maii 1916.

4336. SEDUNEN.

Rmus Dnus Iulius Mauritius Abbet, Episcopus Sedunensis, Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit quae sequuntur:

I. Debetne affigi festum Dedicationis ipsi diei mensis, qua Ecclesia consecrata fuit, si haec dies est nota, celebrata solemnitate externa eadem die Dominica, qua antea?

II. Debetne festum Dedicationis ita alicui diei mensis affigi, ut Dominica sequens sit eadem Dominica, qua celebratum fuerat festum Dedicationis tempore elapso?

III. Debetne solemnitas externa Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in tota Dioecesi celebrari, an tantum in urbe Episcopali?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative quoad Festum cum Officio et Missa. Posse et non teneri quoad solemnitatem externam.

Ad II. Affirmative, si non innotescat dies consecrationis, aut agatur de Festo Dedicationis Ecclesiarum consecratarum, una eadem die celebrando.

III. Posse et nullibi teneri, iuxta Decretum n. **4308**, diei 28 Octobris 1913, tit. I, n. 2.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 5 Maii 1916.

4337. DUBIUM

DE MISSA VOTIVA SACRATISSIMI CORDIS IESU.

A Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutio expostulata est:

Utrum Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu, a Leone Papa XIII concessa pro qualibet feria sexta, quae prima in unoquoque mense occurrit, prohibita sit in omnibus Festis Domini, iuxta Decretum n. **3712**, diei 28 Iunii 1889; an tantum in Festis Christi Domini, ad mentem novarum Rubricarum Breviarii Romani, tit. IV, n. 7, tit. VI, n. 4, et iuxta Notanda in Tabellas, n. 8?

Et Sacra eadem Congregatio, audito voto specialis Commissionis, respondendum censuit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 2 Iunii 1916.

4338. DUBIUM

DE DOMINICA MINORI OCCURRENTE VEL CONCURRENTE CUM FESTO DEDICATIONIS B. M. V. AD NIVES.

A nonnullis Kalendaristis, de consensu respectivi Ordinarii, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium reverenter expositum fuit; nimirum:

Ex additionibus et variationibus in Rubricis Breviarii ad normam Bullae *Divino afflatu*, Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium et Festum Domini (tit. IX, n. 1), et de Dominicis minoribus seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat vel concurrat aliquod duplex I vel II classis aut quodvis Festum novem Lectionum Domini (tit. IV, n. 2: tit. VI, n. 2).

Unde quaeritur:

Utrum Festum quoque Dedicationis B. M. V. ad Nives, ritus duplicis maioris, praeferendum sit Dominicae minori tam in occurrentia quam in concurrentia?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto specialis Commissionis, prae oculis habito quod, in casu, sub enunciato titulo fit Officium B. Mariae Virginis ad Nives, titularis Basilicae Liberianae, loco Officii Dedicationis eiusdem Basilicae, rescribendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 1 Decembris 1916.

4339. LUGDUNEN.

Quidam missionarius in civitate Lugdunensi degens, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda humiliter proposuit, nimirum:

I. Cum Pontificale Romanum, loquens de unctione manuum presbyteri, dicat: *ungit totaliter palmas*, quaeritur, utrum per verbum *palmas* intelligenda sit tantum illa pars manus quae sese extendit a brachio usque ad digitos, an comprehendi debeant etiam tres digiti qui dicuntur medius, annularis et minimus?

II. Et quatenus negative ad secundam partem, unctio in ordinatione extendine debet usque ad extremum horum trium digitorum, an restringi ad illam partem manus quae vulgo dicitur *palma manus*, id est quae sese extendit a brachio usque ad digitos exclusive?

III. Utrum sacerdos miles cui ablatus est index in bello, obtenta permissione celebrandi *cum medio*, indigeat unctione istius digiti medii priusquam celebret?

Ratio dubitandi est quia quidam theologi dicunt unctionem non requiri eo quod tota manus in ordinatione consecrata est, sed Rubrica de unctione manuum in Pontificali non loquitur de *manu* sed de *palma*.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit:

Ad I. Intelligenda est pars interior manus inclusis digitis, ad mentem Rubricae et formulae Pontificalis Romani.

Ad II. Provisum in I.

Ad III. Negative, et acquiescat.

Atque ita rescripsit, die 12 Ianuarii 1917.

4340. CARCASSONEN.

Hodiernus Vicarius generalis Dioecesis Carcassonensis, de mandato sui Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum:

I. Per Indultum Cardinalis Caprara sub die 9 Aprilis 1802, et subsequentes declarationes, in Gallia quorumdam Festorum feriatio ita supprimitur in eorum die proprio, ut solemnitas cum feriatione transferatur in Dominicam non impeditam proxime sequentem, in qua Dominica et solemnitate unica Missa solemnis vel cantata celebranda est de die Festo quod ita debite ac devote colitur. Hinc quaeritur: An praefatum Indultum Cardinalis Caprara hucusque observatum in Gallia, in eo quod attinet ad celebrationem Missae de solemnitate translata, adhuc vigeat, non obstantibus novis Rubricis et Decretis de Festis ad Dominicam pro solemnitate translatis?

II. Quum post dogmaticam definitionem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis anno 1854 solemniter promulgatam, peculiaria Indulta ab Apostolica Sede concessa fuerint Dioecesibus Galliae, ut Festi Immaculatae Conceptionis B. M. V. solemnitas externa celebretur Dominica Adventus ipsum Festum proxime sequente, cum unica Missa solemni vel cantata de ipso Festo, quaeritur:

An haec Indulta in suo vigore adhuc maneant?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, attento tamen Decreto n. 3754, declarationis praefati Indulti pro solemnitate Festorum transferenda, diei 2 Decembris 1891.

Ad II. Affirmative pro his Galliae Dioecesibus quibus memorata Indulta con-

cessa fuerunt; servatis tamen eorumdem clausulis et conditionibus.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 Ianuarii 1917.

4341. URBIS ET ORBIS.

DE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Quo universi Cleri Populique fidelis in Commemoratione omnium fidelium defunctorum par et consors ferveat pietas, atque coniuncta suffragia magis prosint animabus in Christo quiescentibus; itemque sacra Liturgia in Eucharistico sacrificio litando divinoque Officio persolvendo, uniformi ac solemni ritu in universa Ecclesia peragatur, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, suprema auctoritate Sua, statuit ac decrevit: Solemnem Commemorationem omnium fidelium defunctorum, ex Constitutione Apostolica *Incruentum Altaris*, n. **4331**, die 10 Augusti 1915 edita, ampliori privilegio trium Missarum de Requie auctam, Festis solemnioribus primariis ritus duplicis primae classis et Ecclesiae universalis amodo esse aequiparandam, adeo ut omnia et singula Festa propria locorum, Ecclesiarum, Ordinum seu Congregationum aliorumque Institutorum particularium excludat, excepta tamen Dominica, quae die secunda Novembris occurrat; quo in casu eadem Commemoratio cum suis privilegiis in diem immediate sequentem de more transferatur. Sancivit insuper Sanctitas Sua, ut Kalendaria et Propria particularia, nullo excepto, huic Decreto conformari debeant.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 28 Februarii 1917.

4342. DUBIA.

A Sacra Rituum Congregatione pro opportuna declaratione postulatum est: An ex tribus Missis de Requie in Commemoratione omnium fidelium defunctorum a Constitutione Apostolica n. **4331**, diei 10 Augusti 1915, permissis: I. Sacerdos unam vel duas tantum Missas celebrare queat, et II. in utroque casu quaenam ex tribus Missis legendae sint, ac demum III. pro quibus eaedem applicandae?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad utrumque.

Ad II. Prima Missa semper legenda est, altera erit secunda.

Ad III. In utroque casu una Missa ad intentionem celebrantis, in secundo tamen casu, altera ex duabus Missis pro omnibus fidelibus defunctis applicanda est.

Atque ita rescripsit et declaravit de mandato Sanctissimi, die 28 Februarii 1917.

4343. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia expendenda et solvenda subiecta sunt; nimirum:

I. Quando dies Octava communis occurrit eadem die cum aliquo Festo Domini ritus duplicis maioris, fit Officium de die Octava cum commemoratione Festi Domini; hinc quaeritur:

Si memorata dies Octava in Dominicam incidat, Officium eritne de ipsa Dominica cum commemoratione diei Octavae et Festi Domini; an potius reviviscit ius Festi Domini supra Officium Dominicale?

II. In Dioecesi *N.*, Titulus ecclesiae particularis est Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, Feria sexta post Dominicam Passionis sub competente ritu duplici primae classis recolendus; et sequenti die aliud Festum duplex I aut II classis occurrit; hinc quaeritur:

Quoties eiusmodi Festum Titulare Deiparae Virginis Perdolentis impediatur, Feria sexta assignata, ab alio Festo nobiliori, et Sabbato sequenti, ab alio Festo classico, quid faciendum?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, duplici quaestioni ita respondendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad II. Festum Titulare Deiparae Perdolentis transferatur, cum ritu paschali, post Dominicam in Albis in proximiorem diem sequentem quae sit libera, iuxta novas Rubricas, tit. IV, n. 3.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 3 Martii 1917.

4344. TARVISINA.

Rmus Dnus Episcopus Tarvisinus Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione proposuit; nimirum:

Utrum organo ad usum liturgicum adhibito adiungere liceat instrumenta vulgo vocata *campane tubolari?*

Et Sacra eadem Congregatio, attento Motu Proprio sa. me. Pii Papae X, *De musica sacra*, n. **4121**, diei 21 Novembris 1903, tit. VI, nn. 18 et 19, una cum subsequentibus declarationibus, atque audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 18 Maii 1917.

4345. DUBIA.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio expostulata est; nimirum:

I. An liceat in commodum cantorum, praesertim in ecclesiis ruralibus, adhibere cantum gregorianum notulis musicalibus hodiernis descriptum?

II. An Decretum super editione Vaticana eiusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos cum signis rythmicis, uti vocant, privata auctoritate adiectis, quod impressum quidem est sub n. **4263** et die 11 Aprilis 1911, inter *Decreta authentica* Sacrae Rituum Congregationis, sed non insertum in *Acta Apostolicae Sedis*, maneat adhuc in suo vigore?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta Decretum n. **4166** circa libros cantus liturgici gregoriani, diei 11 Augusti 1905, ad VII, relatum inter *Decreta authentica* S. R. C. et *Acta Apostolicae Sedis*.

Ad II. Affirmative, in subsidium scholarum cantorum, iuxta tenorem eiusdem decreti n. **4263**.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 23 Iunii 1917.

4346. ORDINIS S. BENEDICTI.

R. P. D. Fidelis de Stotzingen, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit solvenda quaedam dubia, a diversis Congregationibus eiusdem Ordinis proposita, quae orta sunt ex novis Rubricis Lectionarii ad usum militantium sub regula S. Benedicti; nimirum:

I. Habetne Memoria in primis Vesperis veram et proprie dictam concurrentiam, ita ut habere debeat praecedentiam super reliquas Commemorationes?

II. Si tempore Adventus vel Septuagesimae, in quo feriae sunt privilegiatae III ordinis, Memoria cum feria occurrat, quaenam Missa est dicenda?

III. Si prima die libera cuiuslibet hebdomadae in Quadragesima occurrat festum duplex tamen simplificatum, licetne Missam de Requie celebrare?

IV. Si feria Quadragesimae occurrat festum duplex simplificatum, licetne Missam de Sancto celebrare?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Negative, iuxta normas et Rubricas in usum Benedictinorum Confederatorum approbatas die 9 Iunii 1915, tit. VII, *De Commemorationibus*, 4.

Ad II. Missae privatae dici poterunt de Sancto vel de feria, Missa vero Conventualis dicenda est de feria.

Ad III. Affirmative in casu, si per totam hebdomadam alia feria libera desit; secus negative.

Ad IV. Negative.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 23 Iunii 1917.

4347. FERENTINA.

Rmus Dnus Dominicus Bianconi, Episcopus Ferentinus, sequentis dubii solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit; nimirum:

Si Episcopo in solemni benedictione cum Sanctissimo Sacramento ministrent Diaconus et Subdiaconus de more induti, ad mentem Decretorum Sacrae Rituum Congregationis, possuntne ei assistere etiam duo Diaconi cum dalmaticis atque Presbyter cum pluviali, quamvis eadem benedictio cum Sanctissimo Sacramento Missam pontificalem immediate non sequatur?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositae quaestioni respondendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 23 Novembris 1917.

4348. DUBIA.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio expostulata fuit; nimirum:

I. An Decretum Sacrae Rituum Congregationis n. **4325**, diei 7 Augusti 1914, ad II, statuens quod si infra Octavam simplicem Nativitatis B. M. V. dicenda sit Missa votiva eiusdem B. M. V., legatur Missa ut in festo Nativitatis B. M. V. cum *Gloria* sed sine *Credo,* servandum sit etiam infra alias Octavas simplices?

II. An infra Octavam simplicem, de qua peragenda non est Commemoratio in Officiis occurrentibus, omitti debeant Suffragium et Preces?

III. An in Officio diei Octavae simplicis omitti debeant Suffragium et Preces?

IV. An Symbolum, dicendum in Missa Festi, ratione non Dominicae aut Octavae, sed ipsius Festi, in Missa diei Octavae simplicis eiusdem Festi omitti debeat?

V. An Praefatio propria Missae Festi, legi etiam debeat in Missa diei Octavae simplicis eiusdem Festi?

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, reque accurate perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative, iuxta Rubricas novi Breviarii typici.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 18 Ianuarii 1918.

4349. LAUDEN.

Ab hodierno caeremoniarum magistro dioecesis Laudensis, de mandato sui Rm̃i Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium, pro opportuna solutione, propositum est; nempe:

An in Missa concessa de Sacratissimo Corde Iesu, prima feria sexta cuiusvis mensis, recitanda sit Collecta imperata *pro re gravi?* Et quatenus affirmative, an etiam sub unica conclusione?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, proposito dubio ita rescribendum censuit:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 16 Februarii 1918.

4350. SENEN.

Rm̃us Dñus Prosper Scaccia, Archiepiscopus Senensis, in relatione status suae Archidioeceseos sequentia dubia Sacrae Congregationi Consistoriali proposuit, ad Sacram Rituum Congregationem, pro opportuna solutione, transmissa; nimirum:

I. An, uti accidit in Metropolitana Ecclesia die Sancto Parasceves iuxta immemorabilem consuetudinem, liceat praebere Sacerdotibus et fidelibus deosculandam reliquiam S. Crucis D. N. I. C.?

II. An, ut ibidem fit, in solemni expositione Augustissimi Sacramenti, iuxta vetustissimum ordinarium liturgicum, post Hymnum *Tantum ergo,* Orationi Ssm̃i Sacramenti *Deus, qui nobis* adiici possint aliae Collectae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Nihil obstare.

Ad II. Negative, iuxta Decretum n. **4194** ad X, diei 23 Novembris 1906.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 23 Aprilis 1918.

4351. URBIS ET ORBIS.

DE MISSA VOTIVA SOLEMNI SS.MI SACRAMENTI, VEL DE PACE, OMITTENDA IN ORATIONE XL HORARUM, DIE COMMEMORATIONIS OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Ex Constitutione Apostolica *Incruentum Altaris sacrificium* Ssm̃i Dñi nostri Benedicti Papae XV, n. **4331,** diei 10 Augusti 1915, permittitur Expositio Ssm̃i Sacramenti pro Oratione XL Horarum etiam die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. Attamen Missae de

Requie cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei non sunt celebrandae ad Altare Expositionis.

Per eamdem Constitutionem et subsequentem Sacrae Rituum Congregationis declarationem seu Decretum *Urbis et Orbis*, n. **4341**, diei 28 Februarii 1917, Commemoratio omnium fidelium defunctorum Festis solemnioribus primariis ritus duplicis primae classis aequiparatur.

Hisce praemissis, quaeritur: Licebitne adhuc celebrare unicam Missam solemnem de Ssño Sacramento, vel de Pace, de qua sermo est in Instructione Clementina et in Decreto generali S. R. C., n. **3864**, diei 9 iulii 1895, ad IV, pro Oratione XL Horarum, quando dies expositionis vel repositionis, aut medius incidit in diem Commemorationis omnium fidelium defunctorum?

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositae quaestioni, omnibus sedulo perpensis, respondendum censuit: Negative, et ad mentem.

Mens autem est: In Ecclesiis ubi die Commemorationis omnium fidelium defunctorum fiat Oratio XL Horarum cum Ssño Sacramento solemniter exposito, huiusmodi expositio sequatur, repositio vero cum processione praecedat Missam cantatam de die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Et Sacra eadem Congregatio, approbante Ssño Domino nostro Benedicto Papa XV, ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 26 Februarii 1919.

4352. VICARIATUS APOSTOLICI GABONEN.

Rñus Dñus Ludovicus Martrou, e Congregatione Spiritus Sancti, Episcopus titul. Corycen. et Vicarius apostolicus Gabonen., a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

An benedictiones imprimis impertiendae catholicis quae, iuxta can. 1149 Codicis Iuris Canonici, dari quoque possunt catechumenis, intelligi debeant etiam de sacramentalibus publicis, ac proinde admitti possint catechumeni ad impositionem cinerum, traditionem candelarum et palmarum?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, respondendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 8 Marti 1919.

4353. MARIANOPOLITANA.

Rñus Dñus Paulus Bruchési, Archiepiscopus Marianopolitanus, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur, reverenter exposuit; videlicet:

In nonnullis ecclesiis et oratoriis publicis vel semipublicis, ubi Ssñum Eucharistiae Sacramentum legitime asservatur, usus quidam introductus est, ut Missae cantatae vel lectae coram Ssño Sacramento solemniter exposito in Altari celebrentur, atque intra vel extra Missas in eodem Altari, durante expositione, sancta Communio Christifidelibus ministretur. Hinc idem Archiepiscopus postulavit: Utrum hic usus permitti, vel tolerari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, praepositae quaestioni respondendum censuit:

Ad primam partem, praefatum usum non licere, sine necessitate vel gravi causa, vel de speciali indulto; et ad secundam partem negative, iuxta Decreta, et detur Decretum n. **3448**, *Societatis Iesu,* 11 Maii 1878, ad I.

Atque ita rescripsit, declaravit et confirmavit, die 17 Aprilis 1919.

4354. DUBIUM.

Proposito dubio: « An usus bursae, corporalibus includendis destinatae, permitti possit pro colligendis eleemosynis? », Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit, die 2 Maii 1919.

4355. DUBIA.

Sacra Rituum Congregatio enixe rogata est, ut opportune insequentia dubia de quibusdam Episcoporum privilegiis, insi-

gnibus ac functionibus enodare dignaretur; nimirum:

I. De quolibet Episcopo quaeritur:

1. Num Episcopale biretum rubro torulo exornari queat?

2. Num cuivis Episcopo liberum sit uti cappa ceterisque vestibus e panno serico et undulato (vulgo *amoerro*), aut saltem serico?

3. Utrum violacei coloris esse possint, an potius nigri coloris esse debeant, vestis talaris, mantelletum et forte mozzeta et biretum Episcopi, in iis functionibus quae poenitentiae temporibus, vel pro defunctis fiunt?

4. Num umquam Episcopus, stante praesertim consuetudine, v. g. ad Confirmationem sive publice sive privatim ministrandam, aut in processionibus, gestare possit stolam et mitram et pastoralem baculum cum habitu praelatitio uti supra?

5. Num usus mitrae argenteae cum laciniis item argenteis, pro simplici mitra damascena vel linea cum rubeis laciniis, sicubi invectus fuerit, tolerandus sit?

II. De Episcopo in propria dioecesi, petitur:

1. Praesente S. R. E. purpurato Patre non Legato, utrum mozzetam, an satius mantelletum, Episcopus Ordinarius induat?

2. Praesente item Cardinali vel Metropolitano, debeatne Episcopus Ordinarius cappam, si induerit, reflexam sustinere, et a privatis benedictionibus abstinere?

3. Possitne Episcopus Ordinarius, post Missam de *Requiem*, cui mozzeta indutus in Choro adfuit, stolam super amictum, et pluviale assumere, et, recedente Celebrante, absolutionem ad tumulum ritu consueto peragere?

4. Utrum Episcopo Missam lectam (sive privatam, sive Ordinationis) celebranti assistere valeant ad altare, ubi saltem id iam moris est, duo Canonici quibusvis insignibus vestiti; an tantum adhibito superpelliceo super rochetum, si huius usu gaudeant?

III. De Episcopo extra propriam dioecesim, inquiritur:

1. Num, attenta consuetudine, tolerari possit ut Episcopus extraneus, sive praesente, sive absente Episcopo Ordinario, non mantelleto, sed mozzeta super rochetum utatur?

2. Num et quando extraneo Episcopo fas sit, vel absente Episcopo Ordinario, cappam adhibere?

3. Quomodo Episcopus extraneus, si, functione id requirente, aut, annuente Episcopo Ordinario, pastorali baculo utatur, superiorem huiusce baculi partem vertere debeat?

4. Praesente Episcopo Ordinario, qui extraneo Episcopo solemniter celebranti throni usum concessit, utrum hic thronus esse possit thronus ipsius Episcopi Ordinarii ab Evangelii parte positus; an erigi debeat a parte Epistolae thronus alter, Episcopo quidem Ordinario proprium thronum retinente?

5. Possitne Episcopus Ordinarius assistere in proprio throno, dum Metropolitanus in altero throno, ab Epistolae parte posito, solemniter celebrat?

6. Si Metropolitanus, vel Episcopus extraneus, utens Episcopi Ordinarii throno, pontificaliter celebret:

a) num septimum candelabrum adhibendum sit?

b) possitne, praeter presbyterum assistentem et diaconum et subdiaconum, duo etiam diaconi parati Episcopo celebranti adsistere?

7. Assistente Episcopo Ordinario in proprio throno, dum alter Episcopus solemniter ad faldistorium celebrat, si, cantato Evangelio, fiat concio:

a) utri Episcopo concionatorem ante sermonem benedicere competat?

b) coram utro, in fine, diaconus confessionem decantare debeat?

c) utrius sit solemnem tunc benedictionem impertiri?

8. Si forte eiusmodi concio ab alio Episcopo praesente, ut supra, vel celebrante Episcopo Ordinario habita sit, quis indulgentias post publicam confessionem nuntiare debeat?

9. Assistente autem in Choro, vel absente, Episcopo Ordinario, dum extraneus Episcopus pontificaliter in eius throno celebrat, si fiat post Evangelium concio, numquid hac conclusa, solemnis quoque benedictio dari debeat, aut possit?

IV. De pluribus Episcopis simul praesentibus, dubitatur:

1. Fierine debeat Episcoporum, Missae solemni pontificali adsistentium, thurificatio statim ante incensationem presbyteri et diaconorum paratorum, qui Episcopo celebranti adsistunt?

2. Num probanda sit cousuetudo instituendi, solemnitatum quarumdam occasione, processiones, in quibus omnes, qui eisdem intersunt, Episcopi stola et pluviali et mitra parati sunt, ac baculum pastoralem gestant?

3. In eiusmodi processiouibus:

a) quonam ordine incedere debeant tum Episcopus qui processioui praeest, tum ceteri Episcopi?

b) num debeatur, an saltem concedi possit, singulis Episcopis non celebrantibus duorum canonicorum adsisteutia?

4. Num probari possit ut populo, piae cuiusdam peregrinationis aut festivitatis occasione cougregato, omnes simul Episcopi praesentes consuetam benedictionem, verba una voce decantantes, solemniter impertiantur?

V. De Episcopo Ordinario et de Vicario Generali, qui est Episcopus titularis Auxiliaris.

1. Potestne Episcopus Ordinarius permittere suo Vicario Generali, qui est etiam Episcopus titularis Auxiliaris, induere solam mozzetam loco mautelleti?

2. Idem Vicarius Episcopus etiam Auxiliaris potestue benedicere populo intra et extra Ecclesiam?

3. Attento cau. 337 § 3, Codicis I. C., manetne in suo robore Decretum S. R. C., n. **4023,** diei 12 Iunii 1899, super iure Episcoporum Dioecesanorum cedendi thronum alteri Episcopo?

Sacra porro Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus et singulis propositis quaestionibus maturo examine perpensis, ita rescribendum censuit; nimirum:

I. - Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative, iuxta Caeremouiale Episcoporum (lib. I, cap. III, nn. 1, 3), adhibito nempe rudiori vel leviori panno ex lana pro opportunitate: textili enim serico (non undulato) legitime utuntur qui sunt de Cappella, Domo, Familia Summi Pontificis.

Ad 3. Romae, semper esse debent violacei coloris, excepta Sede vacante; extra Urbem, laudabiliter coloris nigri, exceptis bireto ac pileolo, quae semper erunt violacei coloris.

Ad 4. Negative, et serventur: Pontificale Romanum (edit. typ., 3 Augusti 1888), Caeremoniale Episcoporum (edit. typ., 21 Augusti 1886), et Decreta.

Ad 5. Negative, quum mitra ex tela argentea sit propria Summi Pontificis in luctuosis; sed neque damascena, quae vel Cardinalium (specialis) vel Protonotariorum Apostolicorum ad instar est propria.

II. - Ad 1. Servetur Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. IV, u. 7).

Ad 2. Ad primam partem, affirmative. Attamen illam explicabit pontificalia peracturus, inserviente de ea caudatario, illos actus excipiendo, quos immediate cum Cardinali vel Metropolitano aut versus eos exhibeat. Ad secundam affirmative, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. IV).

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Negative ad primam partem; affirmative ad secuudam.

III. - Ad 1. Imo convenit, *domi,* invitante Episcopo Ordinario, aut ex praesumpto ipsius beneplacito; *extra,* negative, nisi iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. IV, nn. 4 et 7) et Decreta (praesertim Decr. n. **388,** *Ianuen.*, 20 Iulii 1621), cum mozzeta habeatur simul mantelletum: paulatim amota, iuxta prudens arbitrium Ordinarii, consuetudine, ubi adsit.

Ad 2. Rite utitur cappa, quando Pontificalia solemnia ad solium legitime peragit: si tamen sit Ordinarii Coadiutor seu Auxiliaris, uti poterit iis in adiunctis, in quibus licet iuxta leges liturgicas, de licentia Ordinarii, ad mentem Decretorum S. R. C. n. **2010,** *Veliterna,* 6 Septembris 1698, ad I et II, n. **2011,** *Veliterna,* item 6 Septembris 1698, ad I, et n. **4023,** 12 Iunii 1899.

Ad 3. Semper cum parte reflexa ab se; scilicet, versus personas vel res quas prospicit.

Ad 4. Affirmative ad primam partem; imo Missae pontificalis ad thronum celebratio ad tramitem Caeremonialis Episcoporum habenda est, etiam quoad situm throni Celebrantis, qui sit in abside, seu in centro Chori, aut e cornu Evangelii. Negative ad secundam, salvo iure Metropolitani et Legati Apostolici Episcopali charactere insigniti, quoad assistentiam in throno a latere Epistolae, celebrante Episcopo, etiam Ordinario, ad faldistorium, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. XXIII, u. 24, et lib. II, cap. IX, nn. 5-7); quod assistentiae ius non competit cuilibet Episcopo Ordinario, nisi

ad tramitem Caeremonialis Episcoporum, loco secundo citato, scilicet in propria sede, celebrante alio Episcopo ad faldistorium.

Ad 5. Negative.

Ad 6. Ad *a*) : Negative; ad *b*) : Affirmative.

Ad 7. Ad *a*), *b*), *c*) : Servetur Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. IX, nn. 5-7), delata Episcopo Ordinario etiam benedictione concionatoris.

Ad 8. Servetur Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. VIII, n. 51).

Ad 9. Negative, quum benedictio, ex Caeremoniali et Pontificali, secumferat Indulgentiarum concessionem, quam omittere irregulare esset; verumtamen Episcopus celebrans, neque ex Ordinarii delegatione, valeret Indulgentias concedere; Ordinarius autem non posset benedictionem impertiri, quippe quae a celebratione nequit separari.

IV. - Ad 1. Servetur Caeremoniale Episcoporum.

Ad 2. Nihil obstat; abstineant tamen a stola et baculo pastorali gerendis.

Ad 3. Ad *a*) : Servetur consuetus in processionibus ordo; ad *b*) : Negative, in casu.

Ad 4. Negative, non obstante, sicubi inoleverit, istiusmodi consuetudine, quae prudenter eliminanda est.

V. - Ad 1. Negative.

Ad 2. Episcopus auxiliarius, qui simul sit Vicarius Generalis, potest in Diocesi ubique benedicere populo, tum in Ecclesia tum extra Ecclesiam, idque iure, quin opus sit specialem concessionem obtinere ab Episcopo Ordinario; ad normam can. 370 § 2, collati cum can. 349 § 1 et 239 § 1, n. 12.

Ad 3. Affirmative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 26 Novembris 1919.

4356. ROMANA

CIRCA TRES MISSAS IN DIE NATIVITATIS DOMINI ET COMMEMORATIONIS OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM CELEBRANDAS.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio expostulata est; nimirum :

I. An Sacerdos, qui ob debilitatem visus aliamve iustam causam ex Indulto Sedis Apostolicae celebrat aliquam ex Missis votivis aut Missam quotidianam Defunctorum possit in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ter Sacrum facere eamdem Defunctorum Missam quotidianam repetendo?

II. An idem Sacerdos, qui pariter ex Apostolicae Sedis Indulto Missam Deiparae votivam aut aliam votivam celebrat, valeat in posterum die Nativitatis Domini eamdem prorsus Missam ter dicere?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit:

Affirmative ad utramque quaestionem, facto verbo cum Sanctissimo; de cetero rite servatis tum Constitutione Apostolica *Incruentum Altaris sacrificium*, n. **4331**, diei 10 Augusti 1915, tum Rubricis ac Decretis dies Nativitatis Domini et Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum respicientibus.

Quam resolutionem, Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit, die 26 Ianuarii 1920.

4357.

S. SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII IN BRASILIA.

Eñus et Rñus Dñus Cardinalis Ioachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, in Brasilia, Sacrae Rituum Congregationi haec quae sequuntur exposuit; nimirum :

Ritus exequiarum, ut in Rituali Romano praescribitur, in hac Archidioecesi non servatur, quia cadavera ad ecclesiam non ducuntur, ob leges civiles, quae obligant ut sepulturae tradantur vigintiquatuor horis post obitum; et etiam quia coemeteria, quae sunt sub lege civili, satis distant a paroecia. Parochi vocantur domi et hic cadavera commendantur.

Hinc quaeritur: Quaenam Rubricae et normae in casu servandae?

Et Sacra eadem Congregatio, audito etiam specialis Commissionis suffragio,

praepositae quaestioni ita respondendum censuit:

1. Servandum, quantum fieri potest, Rituale Romanum (tit. VI, c. III, *Exequiarum ordo*) et can. 1215 Cod. I. C.

2. Familia defuncti certior fiat funus cum Missa exequiali peragi posse, etiam praesente *moraliter* cadavere, iuxta Rubricas et Decreta.

3. Pro casibus autem extraordinariis dabitur Instructio S. R. C.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 28 Februarii 1920.

4358. DECRETUM.

B. MARIA VIRGO LAURETANA AËREONAUTARUM PATRONA DECLARATUR.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV, piis quorumdam Sacrorum Antistitum et aliorum fidelium supplicibus votis, ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatis, libentissime obsecundans, Beatissimam Mariam Virginem, Lauretanam nuncupatam, omnium aëreonautarum praecipuam apud Deum Patronam suprema auctoritate Sua declaravit et constituit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 24 Martii 1920.

4359. DUBIUM.

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione, propositum fuit sequens dubium; nimirum:

An privilegium, per Decretum Generale n. **4308,** diei 28 Octobris 1913, concessum solemnitati externae Sacratissimi Rosarii, quae Dominica prima Octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, praeter conventualem, de Ssmo Rosario, extendi valeat ad alias quoque festivitates externas, quae peragi solent cum magno concursu populi?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito etiam specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit: Negative.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 27 Martii 1920.

4360. MOTU PROPRIO

EPISCOPIS E REGULARIBUS ORDINIBUS USUS ROCHETI CONCEDITUR.

BENEDICTUS PP. XV

Episcopis e regularibus Ordinibus, monachorum scilicet et mendicantium, consuevit Apostolica Sedes postulantibus concedere *rocheti* gestandi facultatem. Nobis autem, occasione sacrorum solemnium, quae appetunt, ob duplicem Canonizationem, placet, uniformitatis quoque gratia, omnes Venerabiles Fratres huius facultatis compotes facere. Quare Motu proprio in perpetuum statuimus, ut omnes Episcopi regulares iam nunc rocheto utantur, atque eodem prorsus modo induti incedant ac saeculares Episcopi, salvo nimirum usitato vestimentorum colore et qualitate. Itaque, praeter casus in quibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta, mozzeta tantum super rocheto, aut mozzeta cum manteletto gestari debet aut potest, alias, uti omnes Episcopi, semper in hac alma Urbe manteletum tantum super rocheto gerant; non obstantibus Constitutionibus apostolicis, ceterisque quamvis speciali mentione dignis, in contrarium facientibus quibuslibet.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV mensis Aprilis anno MCMXX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XV.

4361. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi iterum proposita fuerunt dubia in Decreto n. **4355,** diei 26 Novembris 1919, contenta (I, 5-IV, 1; nimirum:

I. Num usus mitrae argenteae cum laciniis item argenteis, pro simplici mitra damascena vel linea cum rubeis laciniis, sicubi ab aliquo Episcopo invectus fuerit, tolerandus sit?

II. Fierine debeat Episcoporum Missae solemni pontificali adsistentium thurificatio statim ante incensationem presbyteri et diaconorum paratorum, qui Episcopo celebranti adsistunt?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito specialis Commissionis voto, expositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Negative, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. XVII, n. 1).

Ad II: Servetur Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. XXIII, nn. 27 et 28).

Atque ita rescripsit et declaravit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Iulii 1920.

4362. DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum est:

An attento Decreto Sacrae Poenitentiariae Apostolicae (Sectio de Indulgentiis), diei 21 Iulii 1919, circa Indulgentias Litaniis Marialibus adnexas, * Litaniae Lauretanae cantari possint per trinas invocationes, respondente quartam fideli plebe.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, ita respondendum censuit: Affirmative, seu Litaniae Lauretanae cantari possunt per trinas invocationes cum singulis respectivis *ora pro nobis,* populo quartam invocationem cum respectivo *ora pro nobis* respondente.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 15 Octobris 1920.

---

* Decretum autem Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, de quo supra, est ut sequitur:

DUBIUM

CIRCA INDULGENTIAS LITANIIS MARIALIBUS ADNEXAS.

Propositum fuit huic S. Tribunali sequens dubium:

Quibusdam in locis consuetudo invaluit Litanias Lauretanas sic cantandi ut 1.° semel tantum recitetur *Kyrie, eleison* (Kyrie, eleison. Christe, eleison. Christe, audi nos. Christe, exaudi nos); 2.° invocationes mariales ternae coniungantur cum unico *ora pro nobis* (Sancta Maria, Sancta Dei Genitrix, Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis); 3.° semel tantum pariter dicatur *Agnus Dei* (Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine, exaudi nos, Domine, miserere nobis).

Attento can. 934, § 2, *Codicis Iuris Canonici,* quaeritur utrum hac ratione fideles lucrari valeant Indulgentias Litaniis adnexas?

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondendum censuit: *Negative.*

Hanc autem sententiam, ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiore Ssmo Dño Benedicto Pp. XV, in audientia diei 18 vertentis mensis relatam, Sanctitas Sua confirmavit, et insuper declarari iussit: *praedictam consuetudinem non esse approbandam, ideoque ab Ordinariis prudenter curandum ut in locis ubi viget submoveatur.*

Datum in Sacra Poenitentiaria, die 21 mensis Iulii, anni 1919.

O. Card. Giorgi,
Poenitentiarius Maior.

L. ✠ S.

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

4363. INSTRUCTIO

PRO SACERDOTE CAECUTIENTE CIRCA MISSARUM CELEBRATIONEM EIDEM EX INDULTO APOSTOLICO CONCESSAM.

1. - PRAENOTANDA.

1. Sacerdos caecutiens seu tali visivae potentiae debilitate, sive accidentaliter sive habitualiter, laborans, ut legere possit nonnisi typos valde crassos, a Summo Pontifice seu Sacra Rituum Congregatione, nisi Episcopus Apostolica facultate fuerit munitus, dispensationem obtinere potest celebrandi, iuxta normas inferius accuratius exponendas, aut Missam votivam de beata Maria Virgine aut Missam, quam vocant, quotidianam Defunctorum.

2. Conditiones vero in huiusmodi privilegii instrumento appositae, non sunt merae ritualitatis et styli, sed obligatoriae in conscientia.

3. Si in privilegio dicatur: *Dummodo Orator non sit omnino caecus,* et interea plane caecus evadat, tunc a celebrando Missam abstinere debet, donec novum indultum impetraverit; eoque obtento, sub gravi tenetur assistentia uti alterius Sacerdotis, quamvis forte haec obligatio in indulto non expresse fuerit apposita.

2. - REGULAE CIRCA MISSAM VOTIVAM DE BEATA MARIA VIRGINE.

I. - *Quae Missa votiva de beata Maria Virgine sit dicenda.*

1. Caecutiens dispensatus dicat Missam inter votivas de beata Maria Virgine assignatas *quintam,* quovis anni tempore.

2. Si vero tantae adhuc est potentiae visivae ut legere possit etiam alias quatuor Missas votivas de beata Maria Virgine in Missali caecutientium pro diversitate Temporum exstantes, facultas ei sit easdem celebrare iuxta Temporum diversitatem.

II. - *Quando Missa votiva de beata Maria Virgine sit dicenda.*

1. Missa votiva de beata Maria Virgine dici *potest* quovis anni tempore; dici vero *debet* omnibus et singulis diebus, in quibus non permittantur Missae quotidianae Defunctorum iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Sacerdos caecutiens celebrat; salvis tamen privilegiis ulterioribus circa Missas Defunctorum infra num. 3 expositis.

2. In triduo sacro Maioris Hebdomadae Sacerdos caecutiens omnino a celebrando abstinebit.

3. In festo Nativitatis Domini tres dicere potest Missas.

III. - *Quo ritu sit celebranda.*

1. Si Missa votiva de beata Maria Virgine celebretur pro re gravi et publica simul causa, a Sacerdote caecutiente semper dicuntur unica Oratio, *Gloria in excelsis, Credo,* Praefatio in tono solemni, *Ite, Missa est,* et ultimum Evangelium S. Ioannis *In principio,* etsi a Sacerdotibus non privilegiatis facienda esset illa die Commemoratio, vel dicenda Collecta ab Ordinario imperata, vel dicendum in fine Evangelium Officii commemorati, iuxta Rubricas.

2. In omnibus aliis casibus.

a) dicitur *Gloria in excelsis:*

I. - Quandocumque dicendum est in Missa diei currentis, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. - In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis;

III. - Infra Octavas, etiam simplices, beatae Mariae Virginis, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

IV. - In sabbato.

a) Ad Orationes quod attinet, haec observanda sunt:

I. - Secunda et tertia Oratio non adduntur, quandocumque Orationes de Tempore excluduntur a ritu Missae diei currentis, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. - Secus tres dicantur Orationes, et quidem secunda de Spiritu Sancto, tertia contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa.

c) Dicitur *Credo:*

I. - Quandocumque dicendum est in Missa diei occurrentis, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. - In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis.

d) In Praefatione dicitur *et te in veneratione,* praeterquam in Festis et per Octavas, etiam simplices, beatae Mariae Virg., in quibus Praefatio dicitur perinde ac si Missa de Festo vel de Octava celebraretur.

e) Ultimum Evangelium semper est S. Ioannis *In principio.*

f) In Oratoriis privatis, Kalendarium proprium Celebrantis tenet locum Kalendarii Ecclesiae in qua Missa celebratur; idque etiam circa Missam Defunctorum servabitur.

3. - REGULAE CIRCA MISSAM DEFUNCTORUM.

1. Loco Missae votivae de beata Maria Virgine Sacerdos caecutiens celebrare potest Missam quotidianam Defunctorum, cum vel sine cantu, ad normam Rubricarum de Missis Defunctorum, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua celebrat.

2. Hanc Missam celebrat etiam (et quidem ter si placuerit) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in qua tamen unam tantum Orationem dicet, nempe *Fidelium;* servata (si bis vel ter hac die celebret) Constitutione Benedicti Papae XV *Incruentum Altaris sacrificium,* cuius vigore unam tantummodo Missam cuicumque maluerit applicare et pro ea stipem percipere valeat: alias vero Missas, nulla stipe percepta, pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Summi Pontificis, prout ceteri Sacerdotes, applicet.

3. Unica Oratio in hac Missa dicitur, quandocumque haec Missa quotidiana locum teneat Missae in qua unica tantum Oratio, iuxta Rubricas, dici debeat. Secus tres saltem Orationes dicantur: prima tamen et secunda Oratio variari poterunt, iuxta peculiarem intentionem et applicationem Missae.

4. Ad Sequentiam *Dies irae* Sacerdos caecutiens numquam tenetur. Attamen si Missam cantet, licet ipse Sequentiam non legat, Chorus eam cantare ne omittat.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV suprascriptam Instructionem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum a Sacerdotibus caecutientibus, qui Apostolicum Indultum in casu obtinuerint, ab infrascripto Cardinali Sa-

crae Rituum Congregationi Praefecto relatam, approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Ianuarii 1921.

4364. DUBIUM.

Exorto dubio circa interpretationem verborum Gradualis Romani, tit. « De ritibus servandis in cantu Missae », n. VII, ubi legitur: « Finita Praefatione, Chorus prosequitur *Sanctus,* etc. », a Sacra Rituum Congregatione expostulatum est:

Utrum haec verba in Missis cum cantu ita sint interpretanda, ut *Sanctus* canatur usque ad *Benedictus* inclusive, an exclusive?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. VIII, nn. 70 et 71, et Decreta n. **2682,** *Marsorum,* 12 Novembris 1831, ad XXXI, n. **3827,** Decretum generale 22 Maii 1894, et n. **4243,** *Cephaluden.* 16 Decembris 1909 ad VI.

Insuper ad maiorem declarationem et explicationem statuit, in novis editionibus Gradualis Romani, titulo et numero praedictis nempe: « De ritibus servandis in cantu Missae », n. VII, ponatur: « Finita Praefatione Chorus prosequitur *Sanctus,* etc., usque ad *Benedictus qui venit,* etc., exclusive: quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet Chorus et cum aliis adorat. Elevato Sacramento, Chorus prosequitur cantum *Benedictus* ». Haec autem Rubrica inviobiliter observetur, quibuslibet contrariis non obstantibus, in omni Missa cantata tum vivorum, tum defunctorum, sive cantus gregorianus, sive cantus alterius cuiusvis generis adhibeatur.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 14 Ianuarii 1921.

4365. URBIS ET ORBIS.

DE ADDENDA INVOCATIONE S. IOSEPH LAUDI: « DIO SIA BENEDETTO ».

Volvente anno iubilari quinquagesimo a promulgato Decreto pontificio quo, die 8 Decembris anno 1870 Deiparae Virginis Mariae Sponsus, eiusque unigeniti Filii Salvatoris nostri nutritius, Sanctus Ioseph, peculiaris catholicae Ecclesiae apud Deum Patronus constitutus et declaratus fuit, Beatissimus Pater Benedictus XV Motu proprio *Bonum sane et salutare,* die 25 Iulii anni superioris, praecepit et mandavit, ut, intra eundem annum quinquagesimum, in honorem Sancti Patriarchae et in memoriam promulgati Decreti, solemnis supplicatio fiat, tempore et modo ab Episcopo, seu Ordinario cuiusque loci, designandis: elargita quoque Indulgentia plenaria, quam Christifideles adstantes sub consuetis conditionibus lucrari valeant. Nunc vero idem Summus Pontifex, plurium Sacrorum Antistitum et Christifidelium votis ac precibus libentissime obsecundans, statuit ac decrevit, ut quod honori Beati Ioseph ex particulari indulto apostolico et probata consuetudine in aliquibus locis viget, ad universam Ecclesiam perpetuo extendatur, scilicet: ut piae Laudi: *Benedictus sit Deus,* etc., vulgo *Dio sia benedetto,* etc., pluribus indulgentiis ditatae, quae, iuxta monitum et exemplum Psalmistae et Ecclesiae: « Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo » (*Psalm. 33, v. 2*), instituta est ad iniurias resarciendas et amovendas divino Nomini sanctisque caelitibus potissimum per blasphemias et turpiloquia inlatas, post laudem Nominis Mariae Virginis et Matris, vulgo *Benedetto il nome di Maria, Vergine e Madre,* addatur laus eius castissimi Sponsi et sanctae Familiae paterna vice praepositi, hisce verbis: « Benedictus Sanctus Ioseph eius castissimus Sponsus », vulgo *Benedetto San Giuseppe suo castissimo Sposo.* Quod maxime confert tum ad complementum laudis et invocationis Sanctae Familiae Nazarenae, tum ad validum eiusdem praesidium in quolibet vitae discrimine, potissimum in extremo agone, impetrandum: servatis de cetero servandis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Februarii 1921.

4366. DUBIUM.

Sacrae Rituum Congregationi propositum est dubium:

An feria sexta post Octavam Ascensionis, si iuxta Rubricas fiat Officium et Missa de ea, et simul occurrat prima feria sexta mensis, celebrari valeat una

Missa Sacratissimi Cordis Iesu, tamquam votiva solemnis, iis in ecclesiis in quibus mane peraguntur devota exercitia in honorem eiusdem Sacratissimi Cordis Iesu?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit:

Attentis Rubricis Missalis nuper editi, tit. II, n. 3, atque Decretis n. **4084** *Vallis Vidonis,* diei 29 Novembris 1901, et n. **4093,** *Romana,* diei 27 Martii 1902 ad III, Missa in casu erit dicenda de feria sexta post Octavam Ascensionis, quae aequiparatur Festo Christi Domini, cum iisdem tamen privilegiis Missae votivae solemnis, cum cantu vel lectae, de Sacratissimo Corde Iesu, pro re gravi, iuxta declarationem seu Decretum n. **4271** *Baionen.,* diei 8 Iunii 1911, ad II.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 8 Iulii 1921.

4367. DUBIA.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione pro opportuna declaratione:

I. An in Litaniis Lauretanis ita cantari possit prima tripla invocatio ad personas Ssmae Trinitatis, ut Sacerdos cantet « *Kyrie, eleison. Christe, eleison* », et populus repetat « *Kyrie, eleison. Christe, eleison* », et postea idem Sacerdos prosequatur « *Christe, audi nos. Christe exaudi nos* », et populus respondeat « *Christe, audi nos. Christe, exaudi nos* »?

II. An loco dicendi ter « *Agnus Dei* » in fine Litaniarum, semel tantum dici possit: « *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine, exaudi nos, Domine, miserere nobis* »?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, propositis dubiis respondendum censuit: Negative iuxta Decreta, et servetur integer Ordo Litaniarum cum indulgentiis adnexis adprobatus, nempe: « *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison* ». etc., usque ad finem.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 10 Novembris 1921.

4368. DUBIUM.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

Utrum probari vel tolerari possit consuetudo in una vel altera dioecesi exsistens, qua Oratio seu Collecta imperata pro pace « *Deus, a quo sancta desideria* » etc., addatur Postcommunioni Missae de die currente, omissis Secreta et Postcommunione de pace.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositae quaestioni respondendum censuit: Negative ad utrumque, iuxta Rubricas et Decreta.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 18 Februarii 1922.

4369. DECRETUM.

DE EVANGELIIS STRICTE PROPRIIS IN FINE MISSAE LEGENDIS.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

Quaenam sint in Missali Romano, editionis typicae, Evangelia stricte propria in fine Missae legenda, iuxta novas eiusdem Missalis Rubricas generales, tit. IX, n. 3?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus accurate perpensis, ita respondendum censuit:

I. Evangelia stricte propria habent sequentes Missae de Mysteriis, Festis seu Personis quae insigni dignitate pollent; nempe:

a) Domini, excepta Missa Dedicationis Ecclesiae, cum Evangelio *Ingressus Iesus;*

b) B. Mariae Virginis, excepta Missa Assumptionis ipsius B. M. V., cum Evangelio *Intravit Iesus in quoddam castellum;*

c) Sanctorum Archangelorum et Angelorum Custodum;

d) Sancti Ioannis Baptistae et Sancti Ioseph, Sponsi B. M. V.;

e) Sanctorum duodecim Apostolorum.

II. Iterum Evangelia stricte propria exhibent Missae Ss. Innocentium Mm., Sanctae Mariae Magdalenae Poenitentis, Sanctae Marthae Virg., Commemorationis Omnium Ss. Summorum Pontificum atque omnes Missae votivae quae in ipso Missali primo loco exstant; non vero Missae votivae *ad diversa* quae incipiunt a Missa *pro eligendo Summo Pontifice.*

Atque ita rescripsit, declaravit ac decrevit, die 29 Aprilis 1922.

4370. DUBIUM.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

Utrum Missa de Requie, quae celebratur in translatione cadaveris iam humati in definitivam sepulturam, gaudeat privilegiis Missae exequialis *ut in die obitus seu depositionis,* quamvis exequiale funus peractum fuerit occasione praecedentis sepulturae.

Sacra porro Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit: Negative, sed ad casum propositum eadem Sacra Congregatio extendit privilegia contenta in novis Rubricis Missalis, tit. III, *de Missis defunctorum,* n. 6.

Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit, die 16 Iunii 1922.

4371. DUBIUM.

Sacrae Rituum Congregationi propositum est sequens dubium:

Utrum liceat, quatuor calices, quorum effigies in ephemeride *Benediktinische Monatschrift* (Beuron, 1920, n. 3 4) exhibentur, quippe ibidem in textu pag. 168-184 elogiis efferuntur et nominibus « Poculum caeleste - Genimina vitae - Flos de Virgine - Virga Jesse » insigniuntur, in Missae sacrificio adhibere?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus inspectis ac perpensis, rescribendum censuit: Ad R̃mum D̃num Ordinarium loci, qui curet ne calices a formis traditionalibus differant, ob periculum effundendi sacras Species et excitandi admirationem.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 30 Iunii 1922.

4372. HILDESIEN.

Sacerdos qui pro dioecesi Hildesiensi Directorium ecclesiasticum componere debet, de consensu sui R̃mi Episcopi, sequentia dubia, pro benigna responsione, Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit; nimirum:

I. Si Missa Patroni principalis vel saltem eius Evangelium non sit determinatum, licetne diebus infra Octavam necnon in die Octava (secundum Rubricas novi Missalis ante Commune unius Martyris et ante Missas votivas ad diversa positas) aliam Missam vel aliud Evangelium ex eodem Communi sumere atque in die Festi, an Missam vel Evangelium pro Festo electum per totam Octavam legere oportet?

II. Et si affirmative ad primam partem, licetne in casu etiam Lectiones trium Nocturnorum Officii ad libitum ex Lectionibus diversis eiusdem Communis eligere, observata tantum regula, quod Missae et Officii Evangelium idem esse debet?

III. Utrum in Missa Rogationum, si ad Processionem celebretur in ecclesia, ubi etiam Missa de die sine cantu celebratur, Commemorationes speciales fieri debeant?

IV. Si Missa de Requie celebretur pro defuncto nondum sepulto, cum vel sine cantu, diebus quibus Missas quotidianas pro defunctis in cantu vel sine cantu celebrare licet, utrum in omnibus ecclesiis et oratoriis Missa pro die obitus cum unica Oratione uti oporteat?

V. Et si affirmative, licetne hanc Missam etiam post sepulturam celebrare, si Missa exequialis rationabilem ob causam celebrata nondum sit?

VI. Diebus ut supra liberis, licetne plures Missas de die III, VII, XXX, opportuniore post acceptum mortis nuntium, anniversaria, etiam late sumpta, celebrare, an unam tantum?

VII. Missa cantata in anniversariis, quae extra diem obitus ex fundatione celebrantur, vel quae pro omnibus defunctis alicuius coetus semel quolibet anno habentur, utrum eo tantum casu gaudet privilegio, quo certa dies in fundatione vel ex consuetudine coetus est determinata, an etiam, quo dies ad libitum celebrantis vel coetus eligitur?

VIII. Missa de solemnitate Festi, ex Decreto generali Sacrae Rituum Congregationis n. **4308**, diei 28 Octobris 1913, in Dominicam translata, num a parocho pro populo applicari potest, secundum novas Rubricas Missalis, tit. II, n. 11?

IX. In dicta Missa, si sit de Festo duplici I classis, num Commemorationes omnes sunt faciendae, quae fierent, si Festum in Dominica occurreret, an illae tantum, quae fiunt in Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa,

secundum novas Rubricas Missalis, tit. V, n. 3?

X. In dicta Missa sub ritu duplici I sive II classis, num Symbolum est dicendum, etiamsi Missa Festi per se Symbolo careat, nec Commemoratio Dominicae alteriusque Officii, quod Symbolum requirit, facienda sit, an omittendum?

XI. Praefatio in dicta Missa, si Praefatio propria desit ac Missa sine Commemoratione de Officio diei celebretur, estne communis?

XII. Si prima Feria VI mensis inciderit in diem qua de Festo Christi Domini fiat Officium aut Commemoratio aut occurrat Vigilia aut dies infra Octavam, quamvis simplicem, loco Missae de Sacratissimo Corde Iesu, num semper Missa de Festo aut de Vigilia aut de Octava celebranda est, excepto casu, quo occurrat Festum duplex I classis vel Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum?

XIII. Et si affirmative, num ista Missa admittit Commemorationes tantum de duplici secundae classis et de Feria maiore?

XIV. Si dicta Feria VI inciderit in Festum duplex I classis, quod non sit Christi Domini, num in Missa loco dictae Missae de Ssñio Corde Iesu alias celebrandae, Oratio de Ssñio Corde sub una conclusione cum prima addi potest? Et num in casu Commemorationes, praeter supradictas, omittuntur?

XV. Si dicta Feria VI inciderit infra Octavam Pentecostes, in Missa de die, loco Missae de Ssñio Corde Iesu alias celebrandae, estne dicenda una tantum Oratio?

XVI. Evangelium de Octava Ss. Petri et Pauli Apostolorum, sub die 4 mensis Iulii notatum, estne stricte proprium?

Et si affirmative, debetne legi die 3 Iulii, quamvis die 4 Iulii fiat Officium de Octava?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Quoad Lectiones III Nocturni, provisum in primo. Quoad alias Lectiones, affirmative.

Ad III. Affirmative, nisi Missa lecta de die fuerit conventualis.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Negative.

Ad VI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad VIII. Affirmative.

Ad IX et X. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad XI et XII. Affirmative.

Ad XIII. Serventur novae Rubricae Missalis Romani, tit. V, nn. 3 et 4.

Ad XIV. Serventur novae Rubricae Missalis Romani, tit. V, nn. 3 et 4, quoad Missas votivas solemnes pro re gravi et publica simul causa.

Ad XV. Affirmative, ratione Commemorationis Missae de Ssñio Corde Iesu, admissis tamen, si quae sint, Collectis imperatis pro re gravi.

Ad XVI. Affirmative, et legatur ipsum Evangelium prima die qua fiet Octavae Commemoratio, etsi dein persolvendum sit Officium eiusdem Octavae.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 16 Iunii 1922.

4373. AQUEN.

Revñius Archiepiscopus Aquen. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit; nimirum:

Abhinc multis annis in archidioecesi Aquensi viget consuetudo, in nonnullis sive piarum domorum sive paroeciarum ecclesiis, imponendi fidelibus, prima Dominica Quadragesimae, Cineres praecedenti Feria IV benedictos. Sic enim omnes fideles facilius recipiunt Cineres, potius die dominicali quam feriali ecclesiam adeuntes; quaeritur:

Potestne permitti talis usus?

Sacra Rituum Congregatio, exquisito specialis Commissionis voto atque attentis expositis peculiaribus adiunctis, respondendum censuit:

Affirmative in casu; dummodo Feria IV Cinerum ritus benedictionis et impositionis Cinerum expletus fuerit, iuxta Missale Romanum, et Dominica prima in Quadragesima post expletam Missam aut extra Missam fiat impositio eorumdem Cinerum.

Atque ita rescripsit, die 30 Iunii 1922.

4374. DUBIUM.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

Utrum infra Octavam privilegiatam tertii ordinis, uti est, Romae, Octava Ss. Petri et Pauli Apostolorum, occurrente festo ritus semiduplicis, dici possint Missae de ipsa Octava; an prohibeantur per novas Missalis Rubricas, tit. IV, n. 5?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; et Rubrica intelligenda est de Officiis ab ipsa Octava extraneis.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 8 iulii 1922.

4375. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi proposita sunt, pro opportuna declaratione, sequentia dubia; nimirum:

I. An liceat coetui fidelium adstanti sacrificio Missae, simul et coniunctim respondere, loco ministri, sacerdoti celebranti?

II. An probandus sit usus, quo fideles Sacro adstantes, elata voce legant Secreta, Canonem, atque ipsa Verba Consecrationis, quae, paucissimis in Canone verbis exceptis, iuxta Rubricas *secreto* dici debent ab ipso sacerdote?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus mature perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Ad R̃mum Ordinarium iuxta mentem. Mens autem est: Quae per se liceut, non semper expediunt ob inconvenientia quae facile oriuntur, sicut in casu, praesertim ob perturbationes quas sacerdotes celebrantes et fideles adstantes experiri possunt cum detrimento sacrae actionis et Rubricarum. Quapropter expedit, ut servetur praxis communis, uti in simili casu pluries responsum est.

Ad II. Negative; neque permitti potest fidelibus adstantibus quod a Rubricis vetitum est sacerdotibus celebrantibus, qui Canonis verba *secreto* dicunt, ut sacris Mysteriis maior reverentia concilietur, et in ipsa Mysteria fidelium veneratio, modestia et devotio augeantur; ideoque mos enuntiatus, tamquam abusus, reprobandus est, et, sicubi introductus sit, omnino amoveatur.

Atque ita rescripsit, declaravit atque decrevit, die 4 Augusti 1922.

4376. DUBIUM.

Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione sequens dubium expositum fuit; nimirum:

Utrum in ecclesiis earumque cryptis divino cultui destinatis apponere liceat tabulas cum inscriptionibus et nominibus fidelium defunctorum quorum corpora inibi tumulata non sunt nec tumulari possunt iuxta canonem 1205, § 2, Codicis Iuris Canonici?

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus accurate perpensis, proposito dubio respondendum censuit:

Non licere, iuxta alias resolutiones et ad tramitem Decreti n. **733**, diei 2 Martii 1641, et canonis 1450, § 2, n. 1°, Codicis Iuris Canonici.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 20 Octobris 1922.

4377. ROMANA.

Occasionem nacti Congressus Eucharistici Internationalis hoc anno Romae habiti et prospero felicique progressu probati, quidam Sacrorum Antistites aliique viri dignitate ac pietate conspicui, ad decorem divini cultus erga ipsum ineffabile Eucharistiae mysterium, etiam per uniformitatem ritus et aedificationem christifidelium, provehendum, Sacram Rituum Congregationem adierunt, reverenter postulantes:

Utrum Rubricae quae in Ritu celebrandi Missam, tit. VII, n. 8, et tit. VIII, n. 6, praescribunt ministro pulsare campanulam ad *Sanctus* et *ad elevationem Hostiae et Calicis*, post consecrationem, applicandae sint etiam ad Missas solemnes seu cantatas et pontificales, de quibus tamen circa campanulam pulsandam Missale Romanum in citatis titulis et Caeremoniale Episcoporum, lib. II, c. VIII, silent?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, quibusdam casibus a communi regula iam

exceptis per Decreta edita n. **3157,** *Mechlinien.,* diei 5 Septembris 1867, ad X, n. **3448,** *Societatis Iesu,* diei 11 Maii 1878, ad II, et n. **3814,** *Dubiorum,* diei 21 Novembris 1893, inspecta praxi communi et antiqua, perpensis rationibus quae in casu aeque militant pro Missis privatis et aliis solemnioribus; nempe Christifidelium attentio, laetitia, devotio, fidei catholicae professio in veram ac realem Iesu Christi praesentiam in SSm̃a Eucharistia, eorumque consociatio angelicis choris ad laudandum Deum et adorandum; quum neque obstet praenotatum silentium, quod, sicut in aliis caeremoniis, suppletur in casu per expressas Rubricas quae non distinguunt inter Missas privatas et Missas solemniores, neque has excludunt, proposito dubio ita respondendum censuit: Affirmative, et ad mentem.

Mens autem est: Si usus, ex toto vel ex parte contrarius, in aliqua ecclesia Collegiata, Cathedrali et Patriarchali, aliisque ecclesiis seu oratoriis hucusque viguerit, eadem ecclesia seu oratorium amodo se conformet communi praxi et enuntiatae Rubricarum interpretationi; nisi, loco campanulae, alterum et congruum signum adhibeat. Insuper ad removendum, quantum fieri potest, inconveniens quo aliqui de longinquo vel de propinquo in templo sistunt sine attentione ac reverentia etiam ad praecipuas divinorum mysteriorum actiones, maxime expedit, ut paulo ante consecrationem aliquod campanulae detur signum, iuxta communem ecclesiarum praxim.

Quam resolutionem et mentem Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI, per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, approbavit et servari mandavit, die 25 Octobris 1922.

4378. ROMANA.

Proposito dubio: « An aliquid obstet, quominus lampades etiam electricae ardeant supra sepulcra defunctorum in Christo quiescentium in coemeteriis rite benedictis », Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, respondendum censuit:

Non obstare in casu, et ad mentem. Mens est, ut haec lux, sicut ornatus florum sepulcris appositus, non sit tantum officium humanitatis et solatium vivorum, sed horum in carnis resurrectionem et vitam aeternam, fidei catholicae testimonium et professio. Insuper nullum afferri debet detrimentum supplicationibus, quae, iuxta dogma catholicum, praecipue prosunt fidelibus defunctis, nempe sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificia.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 30 Octobris 1922.

4379. ROMANA.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, diei 22 Martii vertentis anni 1922, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI benigne concessit ut « Missa votiva de Propagatione Fidei sine *Gloria* et cum *Credo*, adhibito colore violaceo, celebrari possit semel in anno, diebus ab Ordinario cuiusque loci designandis, exceptis tamen Festis duplicibus I et II classis, Dominicis maioribus nec non Octavis I et II ordinis, Feriis et Vigiliis, quae sint ex privilegiatis ».

Quum vero nonnullae quaestiones de hac re nuper exortae sint, eadem Sacra Congregatio, ad omnem ambiguitatem amovendam, audito specialis Commissionis suffragio, sequentem declarationem opportune vulgandam censuit:

Missa votiva pro Fidei propagatione, de qua agitur in praenotato Decreto, non est praeceptiva, sed indultiva, et celebrari potest die pro cunctis et singulis dioecesis locis communiter ab Ordinario designanda, in quibusvis Ecclesiis et Oratoriis etiam privatis, et ab omnibus Sacerdotibus, cum omnibus Commemorationibus et Orationibus ritui duplici maiori et minori congruentibus, salvo semper onere Missae ex Rubricis et Decretis praescriptae; prouti sunt Missae Conventuales diei currentis (non autem Missa mere parochialis), Missa de Rogationibus, pro oratione XL Horarum, etc. Si quando autem huiusmodi Missa votiva quomodolibet impediatur, fieri potest eius Commemoratio sub unica conclusione cum prima Oratione, iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 17 Novembris 1922.

4380. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita sunt; nimirum:

I. Die 6 Februarii et die 12 eiusdem mensis celebrantur respectiva Festa S. Titi Ep. et Conf., et Ss. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. Mariae V. Conff., quibus nunc respective addenda est Oratio pro Papa ob anniversarium electionis vel coronationis Summi Pontificis Pii XI; hinc quaeritur:

Utrum Praefatio dicenda sit de Communi, an de Apostolis?

II. Die 18 Novembris, occurrente Dominica de qua fit Commemoratio in Officio et Missa Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., Praefatio eritne de Trinitate, an de Communi quae dicitur in Dedicatione Ecclesiarum?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, praepositis quaestionibus respondendum censuit:

Ad I. Praefatio erit de Apostolis, si Commemoratio locum teneat Missae votivae pro Papa, ab Ordinario praescriptae et eo die impeditae.

Ad II. Praefatio dicenda est de Sanctissima Trinitate, iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 17 Novembris 1922.

4381. DUBIUM.

Hodiernus Decanus, una cum Capitulo cuiusdam ecclesiae Collegiatae, a Sacra Rituum Congregatione reverenter petiit solutionem sequentis dubii liturgici; nimirum:

Utrum continuari possit usus in Capitulo praefatae Collegiatae ecclesiae per plures annos vigens, omittendi versiculum *Fidelium animae* in fine Horae Tertiae, quando post eam immediate canitur Missa Conventualis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, propositae quaestioni sedulo discussae ac perpensae respondendum censuit:

Negative, iuxta Decretum n. **2366,** *Thelesina,* 24 Aprilis 1742; et serventur Rubricae Breviarii Romani, tum generales, tit. XXX, n. 3, tum peculiares in respectivis Horis Canonicis.

Atque ita rescripsit, declaravit et decrevit, die 19 Ianuarii 1923.

4382. DUBIUM.

Sacrae Rituum Congregationi proposita fuit solvenda sequens quaestio:

Utrum in fine Missae, quae celebratur coram Ssm̃o Eucharistiae Sacramento solemniter exposito et in qua Oratio de Ssm̃o Sacramento iuxta Rubricas addenda est, legendum sit Evangelium ex Missa votiva de Ssm̃a Eucharistia, tamquam stricte proprium, an non? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositae quaestioni ita respondendum censuit: Neque ultimum Evangelium, sicut neque Praefatio, erit ex Missa votiva Sanctissimi Sacramenti; Oratio enim in casu non tenet locum Missae votivae impeditae, ad mentem Decreti n. **4380,** diei 17 Novembris 1922, ad I.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 Ianuarii 1923.

4383. ORDINIS

FRATRUM MINORUM.

A Rm̃o Procuratore generali Ordinis Fratrum Minorum sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter exhibita sunt; videlicet:

Per Decretum n. **3479,** *Societatis Sanctissimi Sacramenti,* diei 8 Februarii 1879, ad II, proposito dubio: « Num quoties datur benedictio Ssm̃i Sacramenti cum ostensorio, tempore paschali, cereum paschalem toties accendere liceat? » responsum fuit: Negative.

Nunc quaeritur circa sensum huius responsi:

I. An cereus paschalis accensus in Vesperis debeat exstingui, etsi benedictio cum Ssm̃o Sacramento immediate sequatur?

II. An cereus paschalis accendendus sit, si Missae solemnes aut solemnes Vesperae, tempore paschali, celebrentur coram Ssm̃o Sacramento solemniter exposito?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Posse cereum paschalem retineri accensum.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 13 Aprilis 1923.

4384. CONIMBRICEN.

Hodiernus Cathedralis Ecclesiae Conimbricen. in Lusitania Archidiaconus et dioecesis Kalendarista, de sui Revmi Episcopi Ordinarii licentia, Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit, pro authentica resolutione, sequentia dubia:

I. Die in quam ab Ordinario transfertur externa solemnitas festi Sacratissimi Cordis Iesu, manetne privilegium celebrandi Missam solemnem et Missas lectas de eodem festo, iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis n. **3960** in una *Romana,* diei 23 Iulii 1897, an observari debet quod de Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa statuunt novae Rubricae Missalis, tit. II, n. 3?

II. Cum Officium divinum privatim persolvitur, nulla post Laudes et ceteras Horas, ob rationabilem causam, interruptione facta, an finalis Antiphona Beatae Mariae Virginis semel tantum debeat dici, nempe post Completorium? Et quatenus affirmative, an etiam idem dicendum in recitatione chorali, si Officium non terminetur, nec discedatur a Choro nisi Completorio expleto, uti solet a plurimis annis in Ecclesia Cathedrali Conimbricensi?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. Quoad dies in quibus permittuntur Missa cum cantu et Missae lectae servetur Decretum n. **3960,** *Romana,* 23 Iulii 1897. Quoad Commemorationes et Orationes in eisdem Missis et quoad Commemorationem Missae impeditae, serventur novae Rubricae Missalis, tit. V, nn. 3 et 4, et tit. VI, nn. 1 et 4.

Ad II. In utroque casu sufficit ut Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis, semel tantum, post Completorium recitetur.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 20 Aprilis 1923.

4385. DUBIUM.

Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit: scilicet:

Utrum prima feria sexta mensis Ianuarii incidente in diem secundam vel tertiam vel quartam eiusdem mensis, permittatur Missa de Sacratissimo Corde Iesu, tamquam votiva solemnis, concessa per Decretum Sacrae Rituum Congregationis n. **3712,** *Urbis et Orbis,* diei 28 Iunii 1889; an potius praefatae Missae substituenda sit in casu Missa *Puer natus est nobis* de die 30 Decembris, sine Commemoratione de Sacratissimo Corde Iesu?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, re perpensa, rescribendum censuit:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta novam Rubricam specialem Missalis Romani, sub die 25 Decembris, et Decreta n. **4366,** *Dubium,* 8 Iulii 1921, atque n. **4372,** *Hildesien.,* 16 Iunii 1922, ad XII et XIII.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 27 Iunii 1923.

4386. DUBIA.

A Sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione, expostulatum fuit:

I. Exceptio, quae habetur in tit. II, n. 11, novarum rubricarum Missalis Romani, nempe «exceptis Missis num. 7-9 comprehensis», valetne quoad Missas quae inferius, tit. IV., num. 1-5, recensentur, ita ut huiusmodi quoque Missae permittantur, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, die secunda Februarii, etiamsi fiat benedictio Candelarum, et in Litaniis maioribus et minoribus, etiamsi fiat Processio?

II. Si prima feria sexta mensis Ianuarii incidat in diem secundam vel tertiam vel quartam eiusdem mensis, et alicubi occurrat Officium de die infra Octavam Circumcisionis Domini, pro Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu, concessa per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, n. **3712,** *Urbis et Orbis,* diei 28 Iunii 1889, estne dicenda Missa *Puer natus est nobis,* de die 30 Decembris, iuxta Decretum

Sacrae Rituum Congregationis, n. **4385,** diei 27 Iunii 1923, an potius, in casu, dicenda est Missa de die infra Octavam Circumcisionis, ad instar votivae solemnis, absque Commemoratione de Sacratissimo Corde Iesu, iuxta Decretum eiusdem Sacrae Rituum Congregationis, n. **4372,** *Hildesien.,* 16 Iunii 1922, ad XII et XIII?

III. An *Credo* dicendum sit in Missa de festo duplici I vel II clasis cui Symbolum per se non convenit, si extra Dominicam celebretur infra Octavam communem alicuius festi Symbolum habentis, de qua non fit Commemoratio?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative, ad normam specialis rubricae Missalis Romani in festo S. Ioachim Conf., die 16 Augusti, excepta tamen Missa cantata vel conventuali de festo, si alia Missa cantata vel conventualis de Octava celebretur, iuxta novas rubricas Missalis Romani, tit. V, n. 4, atque Decretum n. **4192,** *Ordinis Fratrum Minorum,* 10 Novembris 1906, ad II, 2.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 Octobris 1923.

4387. SOCIETATIS IESU.

R. P. Procurator generalis Societatis Iesu sequentia dubia pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

I. Quaestioni propositae ab Archiepiscopo Aquensi: « Num permitti possit consuetudo vigens in illa archidioecesi imponendi fidelibus, prima Dominica Quadragesimae, Cineres praecedenti Feria IV benedictos », Sacra Rituum Congregatio die 30 Iunii 1922, n. **4373,** respondendum censuit: Affirmative in casu: dummodo Feria IV Cinerum ritus benedictionis et impositionis Cinerum expletus fuerit, iuxta Missale Romanum, etc.

Quaeritur: Num eadem permissio valeat etiam pro Oratoriis Piarum Unionum seu Congregationum, vel sacellis ruralibus, aliisque ubi peragantur exercitia pro opificibus, ut iidem omnes facilius Cineres recipiant et non careant hoc tam perutili sacramentali?

II. In Decreto Sacrae Rituum Congregationis n. **3196,** *Vercellen.,* 20 Martii 1869, legitur pro benedictione gutturis in festo S. Blasii Ep. et Mart. adhiberi candelas in festo Purificationis B. M. V. benedictas et formulam: « Per intercessionem B. Blasii liberet te Deus a malo gutturis. Amen ». Quum vero alia formula, tum pro benedictione candelarum in festo S. Blasii Episcopi et Martyris, tum pro earum appositione sub mento gutturi singulorum qui benedicendi sunt, prostet in Rituali Romano (edit. typ.), quaeritur: An responsum in una *Vercellen.* valeat adhuc, tum pro archidioecesi Vercellensi, tum pro aliis dioecesibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, re mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta prudens Ordinarii iudicium in singulis casibus, servato tenore Decreti n. **4373,** diei 30 Iunii 1902.

Ad II. Adhibeatur ubique Oratio et formula Ritualis Romani.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 1ª Februarii 1924.

4388. DUBIUM.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, diei 25 Octobris 1922, Festum S. Eusebii Ep. et Mart., semiduplex, quod Kalendario universali affixum est sub die 16 Decembris, in cunctis Italiae huiusque Insularum ecclesiis sub ritu duplici minori in posterum celebrari mandavit.

Nunc quaeritur: Utrum in illo Decreto includantur etiam ecclesiae Religiosorum exemptae?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 1ª Februarii 1924.

4389. BERGOMEN.

R̃mus Ordinarius Bergomensis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia reverenter exposuit:

I. An liceat vel expediat in solemniori-

bus processionibus, quibus defertur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, praecipue cum finis imponitur Eucharisticis conventibus, deferre Ssmum Sacramentum super currum triumphalem, baldachino coopertum, magnificeque exornatum, equis tractum, super quem ascendit etiam sacerdos qui processioni praeest, quique ostensorium regit genuflexus?

II. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel expediat cum, loco Sanctissimi Sacramenti, deferuntur vel statuae Beatae Virginis Mariae, vel Sanctorum exuviae?

III. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel expediat non solum ratione extraordinariae solemnitatis, sed etiam cum processio iter nimis longum percurrere debeat?

IV. An currui equis tracto possit substitui vehiculum quod vulgo *automobile* nuncupatur?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus respondendum censuit: Negative in omnibus, et ad mentem.

Mens est: Quoad primam quaestionem, praeclarum exstat exemplum Congressus Eucharistici Internationalis Romae habiti anno 1922, in quo nullus currus adhibitus fuit pro deferendo Ssmo Eucharistiae Sacramento in solemni processione; idque omnino factum est iuxta dispositiones Caerem. Episc., lib. II., cap. XXXIII, de processione Ssmi Sacramenti in Festo Corporis Christi, et Decretorum.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 22 Februarii 1924.

4390. PLURIUM DIOECESIUM.

Postulantibus nonnullis locorum Rmis Ordinariis a Sacra Rituum Congregatione aliquam normam seu Instructionem circa vexilla in ecclesiis admittenda vel benedicenda, Sacra Rituum Congregatio, audito etiam specialis Commissionis suffragio, rescribendum censuit: Ad mentem.

Mens est: Quando insignia seu vexilla non pertineant ad Societates religioni catholicae manifeste contrarias, nec reprobata sint harum statuta, neque ipsa insignia seu vexilla aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum praeseferant, in ecclesiis admitti possunt. Quum vero in favorem et obsequium eiusdem religionis catholicae pacifice postuletur supradictorum insignium seu vexillorum benedictio, haec concedi potest, adhibita formula Ritualis Romani.

Hanc peculiarem Instructionem, ut ipsa cunctis locorum Ordinariis innotescat, Sacra eadem Congregatio evulgandam duxit, die 26 Martii 1924.

4391. HARLEMEN.

Hodiernus parochus ad «Boni Pastoris», in loco de Wassenaar, prope Hagam-Comitis, Hollandiae, dioecesis Harlemensis, Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI humiliter exposuit quod in fundatione novae paroeciae in praedicto loco Wassenaar, ecclesiae titulus impositus est *Boni Pastoris;* sed, deficiente peculiari Officio festivo cum Missa sub hoc titulo, atque ut Boni Pastoris misericordia et benignitas magis magisque moveat ac sibi conciliet animas fidelium, speciali modo sibi dicatas, maxime praestabit devotionem erga Bonum Pastorem fovere festo speciali. Quapropter idem parochus ipsum Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XI suppliciter exoravit, ut concedere dignaretur facultatem celebrandi festum titulare praedictae ecclesiae Boni Pastoris in Wassenaar, die Dominica secunda post Pascha, iam a saeculo antiquo Boni Pastoris propria, atque usque hunc diem populo fideli uti talis notissima. Sanctitas porro Sua his precibus, amplissimo Rmi Episcopi Harlemensis dioecesis commendationis officio communitis et ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatis, libentissime indulgens, statuit ac declaravit Festum titulare memoratae Ecclesiae Boni Pastoris esse quotannis recolendum Dominica secunda post Pascha, sub ritu duplici primae classis et Octava communi, cum Officio et Missa propriis, quae de dicta Dominica leguntur in Breviario et Missali Romano; servatis Rubricis, etiam quoad Commemorationem diei Octavae in Dominica ipsum Festum proxime sequenti.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Martii 1924.

4392. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione, proposita sunt sequentia dubia; nimirum:

I. An in novis Rubricis generalibus Missalis Romani, tit. I, n. 1, ubi agitur de pluribus Missis conventualibus sive in choro sive extra chorum celebrandis, comprehendantur etiam ecclesiae Religiosorum in quibus adest obligatio chori?

II. An post editionem typicam Breviarii Romani, adhuc in suo robore maneat Decretum Sacrae Rituum Congregationis n. **3572**, *Rhedonen.*, 27 Februarii 1883, ad I, quo Hymnus *Te Deum* in Officio parvo B. Mariae V. dici debet a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, et a Dominica Resurrectionis usque ad Adventum; in Adventu autem et a Septuagesima usque ad Pascha, tantummodo in festis B. Mariae Virginis?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative; seu non comprehendi, nec teneri Religiosos, iuxta Rubricas generales Missalis, tit. III, n. 2, et canones 413, §§ 1, 2, et 610, § 2, Codicis Iuris Canonici, et Decreta nn. **1331-1332**, diei 13 Februarii 1666, ad VI, n. **2514**, diei 27 Martii 1779, ad V, et Decretum generale n. **3757**, diei 2 Decembris 1891; seclusis legitima consuetudine aut eorum constitutionibus.

Ad II. Affirmative.

Atque ita declaravit ac rescripsit, die 2 Maii 1924.

4393. DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione, postulatum est:

Utrum in ecclesiis, etiam Religiosorum, in quibus est obligatio chori, et una tantum Missa conventualis celebratur, quoties simul occurrant aliqua ex Feriis Missam propriam habentibus vel Vigilia, atque Festum duplex maius vel minus aut semiduplex, ipsa Missa debeat dici de Feria vel Vigilia, an potius de festo occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositae quaestioni respondendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. I, n. 4.

Atque ita rescripsit, declaravit ac decrevit, quacumque consuetudine non obstante, die 28 Februarii 1925.

4394. INSTRUCTIO

SUPER PRIVILEGIIS QUAE IN TRIDUO VEL OCTIDUO SOLEMNITER CELEBRANDO INTRA ANNUM A BEATIFICATIONE VEL CANONIZATIONE PER RESCRIPTUM SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS A SUMMO PONTIFICE CONCEDI SOLENT.

I. In solemniis, sive triduanis sive octiduanis, quae in honorem alicuius Sancti vel Beati celebrari permittuntur, Missae omnes de ipsa festivitate ob peculiarem celebritatem dicantur cum *Gloria* et *Credo*, et cum Evangelio S. Ioannis in fine, nisi legendum sit aliud Evangelium iuxta Rubricas.

II. Missa solemnis seu cantata, ubi altera Missa de Officio currenti celebretur, dicatur cum unica Oratione; secus fiant tantummodo Commemorationes de Duplici secundae classis et omnes aliae quae in Duplicibus primae classis permittuntur. Missae vero lectae dicantur cum omnibus Commemorationibus occurrentibus, sed Orationibus de tempore et Collectis exclusis. Quoad Praefationem serventur Rubricae Missalis et Decreta.

III. Missam cantatam impediunt tantum Duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non Feriae, Vigiliae et Octavae privilegiatae quae praefata Duplicia excludant. Missas vero lectas impediunt etiam Duplicia secundae classis et eiusdem classis Dominicae, nec non Feriae, Vigiliae atque Octavae quae eiusmodi Duplicia primae et secundae classis item excludant. In his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente Festo, vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat, cum Commemoratione de Sancto vel Beato, et quidem sub unica conclusione cum prima Oratione. Haec tamen Commemoratio omittatur, si occurrat Duplex primae classis Domini primarium universalis Ecclesiae, praeterquam Feriae II et III Paschatis et Pentecostes, in quibus ea permittitur.

IV. In Ecclesiis ubi adest onus celebrandi Missam quamlibet conventualem, eiusmodi Missa nunquam omittenda erit.

V. Si Pontificalia Missarum de Sancto vel Beato ad thronum fiant, haud Tertia canenda erit, Episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona: quae tamen Hora de ipso Sancto vel Beato semper erit, eaque, ad implendam divini Officii obligationem, substitui non poterit Horae Nonae de die currenti.

VI. Quamvis Missae omnes, vel privatae tantum, impediri possint, semper nihilominus secundas Vesperas de Sancto vel Beato solemniores facere licebit absque ulla Commemoratione; quae Vesperae tamen de novo Sancto vel Beato pro satisfactione inservire non poterunt.

VII. Aliae functiones ecclesiasticae, praeter recensitas, de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti Homilia inter Missarum solemnia, vel vespere Oratio panegyrica, analogae in honorem Sancti vel Beati fundendae preces, et maxime solemnis cum Venerabili Benedictio. Postremo vero tridui vel octidui die Hymnus *Te Deum* cum Versiculis *Benedicamus Patrem ..., Benedictus es ..., Domine exaudi ..., Dominus vobiscum ...,* et Oratione *Deus, cuius misericordiae ...,* cum sua conclusione nunquam omittetur ante *Tantum ergo ...,* et Orationem de Ssmo Sacramento.

VIII. Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Sanctos vel Beatos impensius fovendam, Sanctitas Sua, thesauros Ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui, vere poenitentes, confessi ac Sacra Synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus praedicta triduana vel octiduana solemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis benigne concedit: iis vero qui corde saltem contrito, durante tempore enunciato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in eis uti supra oraverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio existentibus, indulget.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis.

Die 25 Martii 1925.

4395. DUBIUM.

Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium, pro opportuna solutione, propositum fuit; nimirum:

An, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXXIX, n. 5), Episcopus manum sive anulum ad osculum praebere debeat, dum Communionem administrat?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositae quaestioni ita respondendum esse censuit:

Osculum manus sive anuli, in casu, remittendum esse prudenti iudicio Episcopi.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 8 Maii 1925.

4396. EPISTOLA.

TRANSMITTITUR ORDINARIIS FORMULA CONSECRATIONIS GENERIS HUMANI SACRATISSIMO CORDI IESU.

Perillustris ac R̃me Domine,

Gratum mihi accidit atque periucundum munus exsequi a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI mihi commissum transmittendi ad Amplitudinem Tuam formulam Consecrationis generis humani Sacratissimo Cordi Iesu.

Qui quidem Consecrationis ritus, eiusdem Sanctissimi Domini nostri voluntate atque iussu, postrema die mensis Decembris huius anni sancti, ea ratione perficiendus erit eisque servatis conditionibus, quae proximis Apostolicis Litteris manifestae fient.[1]

Interim vero ad ea paranda, quae augustius et sanctius rei peragendae conferrent, illud visum est opportunum, ut singuli Sacrorum Antistites mature praenoscerent propositam praescriptamque Consecrationis formulam, cuius idcirco authenticum exemplar hisce inclusum litteris mittere cura fuit.

Datum autem Amplitudini Tuae fau-

[1] Ex Litteris Encyclicis Pii Papae XI, *Quas primas,* diei 11 Decembris 1925, praecipitur, ut in festo D. N. Iesu Christi Regis, postremo mensis Octobris dominico die, generis humani Sacratissimo Cordi Iesu Consecratio quotannis renovetur.

sta omnia precor a Domino, Tui permaneo.

Datum Romae, die 17 Octobris 1925.

Addictissimus uti Frater

† A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,

S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

(*Textus Latinus*)

AD SACRATISSIMUM COR IESU FORMULA CONSECRATIONIS RECITANDA.

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi Tuo se quisque nostrum sponte dedicat. Te quidem multi novere numquam; Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu; atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore discessere a Te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto eorum omnium, qui in tenebris idololatriae aut Islamismi adhuc versantur, eosque in lumen regnumque tuum vindicare ne renuas. Respice denique misericordiae oculis illius gentis filios, quae tamdiu populus electus fuit; et Sanguis, qui olim super eos invocatus est, nunc in illos quoque, redemptionis vitaeque lavacrum, descendat. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

(*Textus Italicus*)

CONSACRAZIONE DEL GENERE UMANO AL SACRATISSIMO CUORE DI GESÙ.

O Gesù dolcissimo, o Redentore del genere umano, riguardate a noi umilmente prostesi dinanzi al vostro altare. Noi siamo vostri, e vostri vogliamo essere; e per poter vivere a Voi più strettamente congiunti, ecco che ognuno di noi oggi spontaneamente si consacra al vostro Sacratissimo Cuore. Molti purtroppo non Vi conobbero mai; molti, disprezzando i vostri comandamenti, Vi ripudiarono. O benignissimo Gesù, abbiate misericordia e degli uni e degli altri; e tutti quanti attirate al vostro Cuore santissimo. O Signore, siate il Re non solo de' fedeli che non si allontanarono mai da Voi, ma anche di quei figli prodighi che Vi abbandonarono; fate che questi quanto prima ritornino alla casa paterna, per non morire di miseria e di fame. Siate il Re di coloro che vivono nell'inganno dell'errore o per discordia da Voi separati; richiamateli al porto della verità e all'unità della fede, affinchè in breve si faccia un solo ovile sotto un solo Pastore. Siate il Re di tutti quelli che sono ancora avvolti nelle tenebre dell'idolatria o dell'Islamismo; e non ricusate di trarli tutti al lume e al regno vostro. Riguardate finalmente con occhio di misericordia i figli di quel popolo che un giorno fu il prediletto: scenda anche sopra di loro, lavacro di redenzione e di vita, il Sangue già sopra di essi invocato.

Largite, o Signore, incolumità e libertà sicura alla Vostra Chiesa; largite a tutti i popoli la tranquillità dell'ordine; fate che da un capo all'altro della terra risuoni quest'unica voce: Sia lode a quel Cuore divino da cui venne la nostra salute; a Lui si canti gloria e onore nei secoli. Così sia.

4397. POPAYANEN.

R̃mus D̃nus Maximilianus Crespo, Archiepiscopus Popayanensis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

I. Summus Pontifex Pius X sa. me., die 18 Maii 1907, indulgentias christifidelibus concessit qui devote sacram Hostiam adspexerint cum in Missae sacrificio elevatur, additis in ipsa oculorum elevatione verbis: « *Dominus meus et Deus meus!* » Hinc quaeritur:

1. An fideles Missae adstantes, in sacrae Hostiae elevatione, clara et elata voce verba « *Dominus meus et Deus meus!* »

proferre possint? An etiam ad Calicis elevationem?

2. An ipse celebrans idem agere valeat, submissa tamen voce?

II. Ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis n. **4369**, diei 30 Aprilis 1922, Missae Sanctorum duodecim Apostolorum habent Evangelia stricte propria. Cum vero Sanctus Paulus inter duodecim Apostolos non recenseatur, sed, ut ait Sanctus Beda Venerabilis, sit tertius decimus Apostolus, quaeritur:

An Evangelia quae leguntur in Missis de festis Conversionis et Commemorationis S. Pauli Apostoli, diebus 25 Ianuarii et 30 Iunii, sint stricte propria?

III. Si accidat ut aliquod festum duplex maius vel minus aut semiduplex a festo duplici primae classis impeditum commemoretur tantum ad Laudes, debetne omitti ad Matutinum nona Lectio historica vel stricte propria de festo impedito?

IV. Sacerdos Feria quarta Cinerum Missam lectam celebraturus in oratoriis semi-publicis, potestne ante Missam benedicere cineres sine cantu eosque omnibus petentibus distribuere?

V. Ex canone 1100 Codicis Iuris Canonici, extra casum necessitatis, in Matrimonii celebratione servandi sunt ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus receptis. Hinc quaeritur:

1. An in his regionibus Manuale Toletanum, quod passim in celebrando Matrimonio atque in administratione Ssmi Viatici et Extremae Unctionis adhibetur, sit praeceptivum?

2. Et, in casu affirmativo, an Ordinarii locorum eius usui semel pro semper renuntiare valeant, ut eius loco Rituale Romanum dehinc ab omnibus adhibeatur?

VI. Attenta declaratione Sacrae Poenitentiariae Apostolicae (Sectio de Indulgentiis), diei 21 Iulii 1919, inspectis etiam Decretis Sacrae Rituum Congregationis n. **4362**, diei 15 Octobris 1920, et n. **4367**, diei 10 Novembris 1921, de ratione cantandi Litanias Lauretanas, quaeritur:

An in Litaniarum recitatione absque cantu iterari liceat priores invocationes hoc modo: ℣. *Kyrie, eleison.* ℟. *Kyrie, eleison.* - ℣. *Christe, eleison.* ℟. *Christe, eleison.* - ℣. *Kyrie, eleison.* ℟. *Kyrie, eleison?*

VII. Sorores cuiusdam Instituti, ex perantiqua consuetudine, quoties aliqua Soror e vita decedit, huius defunctae cadaver in lignea capsa, *albo* panno undique obtecta, vel *albo* colore ex omni parte picta, in signum virginitatis, recondunt; quae capsa postea, pro Officio et Missa defunctorum, in medio oratorio Communitatis deponitur, sed undique variis *albi* coloris ornamentis circumsepta. Hinc quaeritur:

An talis perantiqua consuetudo tolerari possit?

VIII. Pluribus in locis, Deo favente, instituta est consociatio Sociarum Sacratissimi Cordis Iesu, quae in prima cuiuslibet mensis Feria sexta peculiaria pietatis exercitia in honorem Divini Cordis peragere et sacram Communionem recipere student; et tunc celebratur Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu iuxta Decretum generale Sacrae Rituum Congregationis n. **3712**, diei 28 Iunii 1899. Cum vero huiusmodi Sociae, ruri praesertim, ab ecclesia paroeciali valde distent, et ob pauperem earum conditionem laboribus ad vitam sustentandam necessariis incumbere debeant, ac proinde sine gravi incommodo ecclesiam in Feria sexta adire nequeant, quaeritur:

An in hisce casibus Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu, a memorato Decreto indulta, in prima mensis Dominica celebrari possit, cauto tamen ut una saltem Missa dicatur de Officio diei?

Sacra autem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, praepositis quaestionibus accurate perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Quod primam partem, negative in omnibus, ad mentem Caeremonialis Episcoporum, lib. II, cap. VIII, n. 70, et Decreti generalis n. **3827**, ad III, diei 22 Maii 1894.

Quoad secundam partem, negative, iuxta canonem 818 Codicis Iuris Canonici et Rubricas Missalis Romani.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative, ex gratia, iuxta Memoriale Rituum, iussu Benedicti Papae XIII editum.

Ad V. Expedire ut adhibeatur Rituale Romanum, iuxta Decreta n. **3654**, *Car-*

thaginien., 16 Februarii 1886, et n. **3792** ad IX, *Strigonien.*, 30 Augusti 1892.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Serventur Rubricae ac Decreta n. **3035** ad XI, *Briocen.*, 21 Iulii 1855, et n. **4165** ad V, *Dubiorum*, 4 Augusti 1905.

Ad VIII. Negative.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 6 Novembris 1925.

4398. DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione nuper expostulatum est: An in conficiendis et adhibendis paramentis pro Missae sacrificio sacrisque functionibus liceat recedere ab usu in Ecclesia Romana recepto, aliumque modum et formam etiam antiquam inducere?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, respondendum censuit: Recedere non licere, inconsulta Apostolica Sede, iuxta Decretum seu Litteras circulares Sacrae Rituum Congregationis ad R̃mos Ordinarios datas sub die 21 Augusti 1863. *

Atque ita, Summo Pontifice Pio XI approbante, rescripsit, declaravit et servari iussit, die 9 Decembris 1925.

---

* En harum litterarum exemplum:

R̃me Domine uti Frater,

Quum, renunciantibus nonnullis R̃mis Episcopis aliisque Ecclesiasticis et Laicis viris, Sanctam Sedem non lateret quasdam in Anglia, Galliis, Germania et Belgio Dioeceses immutasse formam sacrarum vestium, quae in celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii adhibentur easque ad stylum quem dicunt gothicum elegantiori quidem opere conformasse; Sacra Congregatio legitimis pro tuendis Ritibus praeposita super huiusmodi mutatione accuratum examen instituere haud praetermisit.

Ex hoc porro examine, quamvis eadem Sacra Congregatio probe nosceret sacras illas vestes stylum gothicum praeseferentes praecipue saeculis XIII, XIV et XV obtinuisse, aeque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam aliasque latini ritus per orbem Ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a saeculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini aetate, usque ad nostra haec tempora illarum reliquisse usum; simulque, eadem perdurante disciplina necnon Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit, ut pluries Summi Pontifices in suis edocuere Constitutionibus, sapienter monentes mutationes istas, utpote probato Ecclesiae mori contrarias, saepe perturbationes producere posse, et fidelium animos in admirationem inducere. Sed quoniam Sacrorum Rituum Congregatio arbitratur alicuius ponderis esse posse rationes, quae praesentem immutationem persuaserunt, hinc, audito Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Amplitudinem Tuam, ut, quatenus in Tua Dioecesi huiusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velis, quae illis causam dederunt.

Interim Amplitudini Tuae fausta omnia a Domino adprecor.

Amplitudinis Tuae

Romae die 21 Augusti 1863.

Uti Frater

† C. Card. PATRIZI, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *Praefectus.*

D. BARTOLINI, *Secretarius.*

4399. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposita sunt; nimirum:

I. Quando resumunutur vel anticipantur Lectiones primi Nocturni de quavis Dominica impedita, debentne semper dici cum suis Responsoriis, etiamsi haec in Dominicis seu Feriis praecedentibus recitata fuerint?

II. In fine Missae de Festo duplici I vel II classis cum Commemoratione de occurrente Dominica debetne recitari Evangelium eiusdem Dominicae, quamvis Missa Dominicae infra hebdomadam resumatur?

III. In fine Missae de Officio diei cum Commemoratione de Missa Dominicae primo infra hebdomadam resumpta debetne omitti Evangelium eiusdem Dominicae?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta novas Rubricas generales Breviarii Romani, tit. I, n. 4; nisi anticipentur Lectiones primi Nocturni de Dominica quinta Octobris, quae dicuntur cum Responsoriis de Feria currenti, iuxta specialem Rubricam.

Ad II et III. Affirmative, iuxta novas Rubricas generales Missalis Romani, tit. IX, nn. 1 et 2.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 11 Decembris 1925.

4400.

DECRETUM SEU DECLARATIO

CIRCA OFFICIA PROPRIA ET MISSAS, EORUMQUE EXTENSIONEM.

Sacra Rituum Congregatio, per Apostolicae Sedis indulta, quibus Officia et Missae, iam ex speciali privilegio pro aliquibus locis sive Institutis approbata, extendi ad alia loca seu Instituta contigerit, declarat concessionem fieri dumtaxat Officii et Missae de respectivo Communi, exceptis tantummodo Oratione et Lectionibus II Nocturni propriis, nec non una vel tribus Missae Orationibus item propriis, quicumque sit diei festi ritus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Hac vero occasione, Sacra eadem Congregatio Revmos Ordinarios dioecesium et Superiores Ordinum seu Religiosarum Congregationum enixe rogat ut, quoties ipsi ab Apostolica Sede impetrare velint nova Officia vel Missas, eorumque extensionem, prae oculis habeant normas quae in Decreto S. R. C., n. **3926**, diei 13 Iulii 1896, praescriptae sunt.

Die 20 Februarii 1926.

4401. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi pro solutione opportuna exposita sunt sequentia dubia; nimirum:

I. An statua, repraesentans Dominum nostrum Iesum Christum detecto Corde, collocari possit in altari, ubi permanenter custoditur Sanctissima Eucharistia, non tamen supra tabernaculum, sed retro, apud parietem?

Et quatenus negative ad I:

II. An supradicta statua, repraesentans Dominum nostrum Iesum Christum detecto Corde, perpetuo exponi valeat in aedicula facta in pariete apud quem exstat altare, in quo permanenter custoditur Sanctissima Eucharistia?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis respondendum censuit: Affirmative ad utrumque, iuxta prudens Ordinarii iudicium.

Atque ita rescripsit ac declaravit, servatis servandis, die 23 Aprilis 1926.

4402. DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proponuntur:

Pius Papa X s. m. per Decretum generale Sacrae Congregationis Indulgentiarum, diei 22 Augusti 1906, mandavit, ut singulis annis, die festo Sacratissimi Cordis Iesu, in omnibus parochialibus templis, nec non in illis in quibus idem festum agitur, coram Sanctissimo Sacramento publicae adorationi exposito, formula Consecrationis generis humani Sacratissimo Cordi Iesu recitaretur, additis Litaniis in honorem eiusdem Sacratissimi Cordis.

Sanctissimus autem Dominus noster Pius Papa XI per Litteras Encyclicas *Quas primas*, diei 11 Decembris 1925, praecepit, ut postremo mensis Octobris dominico die, in festo scilicet Domini nostri Iesu Christi Regis, generis humani Consecratio Sacratissimo Cordi Iesu quotannis renovetur, quam Pius Papa X s. m. singulis annis iterari iusserat, adhibita tamen Consecrationis formula, quam Sacra Rituum Congregatio per Epistolam diei 17 Octobris 1925 ad Ordinarios transmisit, ut die 31 Decembris eiusdem anni recitaretur.

Hinc quaeritur:

I. An etiam in festo Sacratissimi Cordis Iesu peragenda sit Consecratio generis humani, et in casu affirmativo quaenam formula adhibenda sit?

II. An in festo Domini nostri Iesu Christi Regis, praeter Consecrationis formulam, recitandae sint Litaniae de Sacro Corde Iesu?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem: Ad libitum. Quoad secundam partem: Adhibenda est formula per Epistolam diei 17 Octobris 1925 ab hac Sacra Congregatione ad Ordinarios transmissa.

Ad II. Affirmative.

Atque, approbante Ssm̃o Domino nostro Pio Papa XI, ita rescripsit atque declaravit, die 28 Aprilis 1926.

4403. NAGPOREN.

Rm̃us Dñus Episcopus Nagporensis Sacrae Rituum Congregationi reverenter exposuit sequentia; nimirum:

In Dcreto S. R. C. n. **4312**, ad II, diei 28 Februarii 1914, circa Festa localia quae a Religiosis recoli debent, legitur: « Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant Kalendarium ». Hinc quaeritur:

I. An per Congregationes seu Instituta supradicta intelligantur etiam Congregationes clericorum qui divini Officii recitatione non obligantur nisi ob receptos ordines sacros seu maiores?

II. An qui pertinent ad praefatas Congregationes seu Instituta, in Oratione *A cunctis* addere valeant nomen Patroni praecipui propriae Religionis, in ecclesia ubi Missam celebrant, post recitatum nomen Sancti titularis eiusdem ecclesiae?

III. An sacerdotes dictae Congregationis seu Instituti habentis Kalendarium proprium, qui uti rectores et capellani regulariter addicti sunt sacro ministerio alicuius ecclesiae seu sacelli, teneantur recolere *cum Octava* Sanctum titularem et Dedicationem ecclesiae cathedralis nec non Patronum principalem loci seu dioecesis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito atque audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, sine speciali Indulto Apostolico.

Ad III. Negative, seu sine Octava, iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 14 Maii 1926.

4400. DECRETA S. CONGR. CAEREMONIALIS [1].

I.

DE FUNCTIONIBUS SACRIS A S. R. E. CARDINALIBUS IN URBE CELEBRANDIS - DE CAEREMONIALI CAPELLAE PAPALIS - DE USU GESTANDI CRUCEM PECTORALEM SUPER CAPPAM MAGNAM - DE EXEQUIIS AC FUNERIBUS S. R. E. CARDINALIUM IN ROMANA CURIA.

Die 17 mensis Augusti anni 1916, feria V, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Caeremonialis Congregatio, relatore Em̃o ac Rm̃o Dño Cardinali Vincentio Vannutelli, Episcopo Ostien. et Praenestin., S. Collegii Decano, Praefecto.

Eminentissimi Patres quaestiones quasdam ac dubia expenderunt circa interpretationem atque applicationem Decretorum *Dignitatis eminentia* et *Solemne semper Ecclesiae fuit,* quae ab hac Sacra Congregatione edita sunt die 30 Maii 1902, quoad functiones Cardinalitias, sive solemnes sive privatas in Urbe celebrandas. Em̃i Patres, eadem Decreta in omnibus confirmantes, declararunt insuper, non licere mulieribus, neque si de aliqua religiosa Congregatione vel pia sodalitate sint, Solemnia Cardinalitia cantu comitari.

Nonnulla praeterea statuta sunt circa Caeremoniale Capellae Papalis et ordinem in eadem servandum.

Quum vero alicubi Episcopi Crucem pectoralem super Cappam magnam gestare soleant, Em̃i Patres, ne illis Romam advenientibus certa desit norma qua se gerere debeant, re diligenter perpensa, secundum contrariam traditionem Cardinalium et Episcoporum in Urbe, statuerunt: *In Romana Curia et in Pontificia Capella nihil innovetur.*

Quaedam etiam decreta sunt circa exequias et funera S. R. E. Cardinalium, atque etiam, Summo Pontifice optante pietatem suam Cardinalibus defunctis testari, propositum susceptum est instituendi funus anniversarium in Palatio Apostolico, ipso Summo Pontifice praesente, mense Novembri habendum, in suffragium Cardinalium qui intra annum in Curia vel extra Curiam sint defuncti.

[1] Cfr. Decreta S. Congregationis Caeremonialis, quae inserta sunt in hac Decretorum Collectione, n. **4284,** die 30 Decembris 1911.

Quae omnia SSmo D. N. Benedicto Pp. XV relata ab Emo Cardinali S. H. C. Praefecto, in audientia diei 22 Augusti, Sanctitas Sua confirmare et approbare dignata est, statuens ac iubens, ut quotannis, mense novembri, Capella Papalis in Apostolico Palatio habeatur, in suffragium S. R. E. Cardinalium intra annum defunctorum; mandans insuper ut hac de re a Sacra eadem Congregatione speciale edatur Decretum.

E Secretaria S. C. Caeremonialis, die 24 Augusti 1916.

NICOLAUS CANALI, *Secretarius*

II.

DECRETUM.

Cum in obitu S. R. E. Cardinalium, qui in Curia decessissent, varii, pro varietate temporum, funebres ritus adhiberentur, Benedictus XIV P. M., morem a Benedicto XIII servatum probando, Constitutione *Praecipuum,* die XXIII Novembris MDCCXLI edita, haec decrevit:

« Quod in posterum Cardinalium in Romana Curia decedentium exequiae semper de mane, nunquam vero de vespere celebrentur et celebrari debeant, infrascripta forma servata, videlicet, quod Fratres ex Ordinibus Mendicantium de mane diluculo ad Ecclesiam in qua defuncti Cardinalis corpus expositum reperitur, pro inibi tribus Officiis defunctorum Nocturnis de more decantandis, sollicite accedant; quibus quidem Nocturnis decantatis, eodem mane ... Capella Pontificia, intervenientibus Romano Pontifice ac Sacro Cardinalium coetu, nec non omnibus et singulis Capellam Pontificiam constituentibus, habeatur, et in ea Sacrum Missae Sacrificium a Cardinale Cardinalium coetus pro tempore Camerario exsistente, eoque impedito, ab altero Cardinale ab eodem Cardinale Camerario delegato, solemniter celebretur, quodque supra defuncti Cardinalis corpus absolutio ab eodem Pontifice praesente, eoque absente, a dicto Cardinale Camerario, seu, eo pariter absente, a Cardinale, ut praefertur, delegato, impertiatur ».

Sed hae praescriptiones cum mutata Urbis condicio quominus servarentur vetaret, Sacra haec Caeremonialis Congregatio funebria pro Cardinalibus officia ad eam exegit rationem, quae vestigium veteris magnificentiae quam maxime retineret. Itaque constituit ut, Praefecto pontificalium caeremoniarum moderante, Sacrum solemne ab Episcopo fieret, cui ministri atque adiutores, qui soliti essent, inservirent; liceret autem Cardinalibus civitatumque exterarum Legatis, quamvis non palam, interesse; et cum ipse Pontifex Maximus adesse non posset, eius loco Cardinalis Sacri Collegii Decanus ritualem absolutionem, Sacro peracto, impertiret.

Hoc tamen SSmo D. N. Benedicto Pp. XV haud satis esse, pro eius erga Cardinales animo atque studio, visum est; ob eamque rem huic Sacrae Congregationi mandavit ut, re diligenter perpensa, modum aliquem excogitaret quo posset Summus Pontifex *eis qui sibi in oneroso Pontificii regimine adiutores exstitissent,* ut est in illa Constitutione, *ultimum debitumque sui amoris suaeque pietatis persolvere officium.*

Quare Sacra haec Congregatio, in conventu proxime habito, die XVII mensis Sextilis, censuit Cardinalium funera in Curia eodem quo usque adhuc ritu, sed ampliore quodam apparatu in templis idoneis esse facienda, ac praeterea solemne quotannis in Vaticanis aedibus Sacrum pro omnibus Cardinalibus, qui intra annum proximum decessissent, Summo adstante Pontifice, habendum esse.

Haec SSmus D. N. Benedictus Pp. XV, cum sibi ab infrascripto Cardinali Sacrae Caeremonialis Congregationis Praefecto in audientia diei XXII eiusdem mensis et anni relata fuissent, probavit, et constituit ut quotannis, mense Novembri, certa die, pro omnibus Cardinalibus, qui intra annum proxime elapsum, sive in Curia sive extra Curiam, supremum diem obiissent, Sacrum solemne in aedibus Vaticanis, adstantibus Romano Pontifice ac Sacro Cardinalium Collegio atque etiam omnibus Pontificiam Capellam constituentibus, a Cardinali S. Collegii Camerario, vel a Cardinali ab eo delegato, fieret: quo peracto, ipse Summus Pontifex ritualem absolutionem tumulo impertiret.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum e Secretaria S. Caeremonialis Congregationis, die XXV Augusti MCMXVI.

† VINC. Card. VANNUTELLI,
Episcopus Ostien. et Praenestin.,
S. C. Caeremonialis Praefectus.

L. ✠ S. NICOLAUS CANALI, *Secretarius.*

INDEX

RERUM OCCURRENTIUM IN DECRETIS SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS

PER SECUNDAM APPENDICEM

HUIUS AUTHENTICAE COLLECTIONIS DIGESTIS



